
ΑΝΑΣΣΩΝ ΦΟΙΒΕ ΠΑΡΝΑΣΟΥ ΤΕ
ΚΡΑΝΑΝ ΚΑΣΤΑΛΙΑΝ ΦΙΛΕΩΝ

Friedrich Wilhelm Sturz

FRIDERICI GVILIELMI STVRZII

OPVSCVLA NONNVLLA

OLIM SEPARATIM EMISSA

NVNC CONIVNCTIM EDITA

EMENDATA ET AVCTA

A. C. CIƆIƆCCCXXV.

PROSTANT LIPSIAE

IN LIBRARIA KUEHNIANA.

PRAEFATIO.

Rogatu amicorum doctissimorum tandem coactus sum nonnullas prolusiones, quondam separatim a me emissas, nunc uno volumine complecti. Iam volueram quidem, et fortasse debebam, illas omnes ea veste indutas prodire iubere, quae non assutis pannis horreret, sed noua vestis merito ac pulchra appellaretur. Postea vero, quum nimio ornatu totum corpus non raro deformari inquinarique vidissem, nihil fere mutaui, nisi maculas elui, mendosaque emendaui, sed quae nunc quoque viris eruditis non omnino displicere posse iudicarem, passim nouis additamentis auxi; in quo hoc inprimis cauendum putaui, ne modum excessisse videri possem lectoribus aequi rectique studiosis. Talibus enim scripsi, non iis, quibus nihil placere solet, praeterquam quae vel ipsi vel eorum sequaces fecerunt.

Nunc paucis verbis declarandum esse intelligo, quae potissimum mihi proposita fuerint in his libellis et componendis et coniunctim euulgandis. Nimirum ut quis librum *de nominibus Graecorum* omnibus numeris absolutum prodat, multa ex historia et constitutione singularum Graeciae ciuitatum afferenda sunt, cuius tractationis primas lineas

*

duxit *Harlesius*, in libello, quem paulo post initium horum opusculorum (pag. 5. not. 11.) commemoraui. Deinde ostendendum est, qui ritus singulis Graeciae populis in imponendis nominibus proprii fuerint, quiue omnibus aut plerisque vel etiam barbaris gentibus communes; quam diu nonnulla huc pertinentia instituta viguerint; quaerendum item, num forte hi vel illi ritus etiam a Christianis recepti sint; quatenus et quantum diuersi hoc in genere fuerint Romanorum ritus et mores. Multa de ritibus illis, quos dixi, congeri possunt ex oratoribus Atticis, ut taceam *Meursii* aliorumque similium scriptorum opera. Iam non ego quidem has partes omnes omnino neglexi, sed nonnullas, ubi occasio esset oblata, passim exposui: mihi tamen Grammatico grammatice res agenda fuit, reliqua historiae scriptoribus et antiquitatis scrutatoribus relinquenda. Si quis igitur haec mea legens desiderauerit, quae historiae propria sunt, is perpendat velim, me grammatice argumentum propositum tractare voluisse. [Caeterum prima *de nominibus Graecorum* prolusio, et quatuor sequentes, primum prodierunt Gerae, annis 1799—1803. sexta et septima Grimae, annis 1803. et 1804. Prolusio prima, secunda et tertia fere totae, ut quidem tum editae fuerant, leguntur etiam in *Commentariis societatis philologicae Lipsiensis*, quas *Chr. Dan. Beckius* Lipsiae et Plauiae 1801. 8. edere coepit, Vol. I. p. 223—234. quarta ibidem Vol. III. (1803. edito) p. 293—295.]

Eodem modo *de vocibus animalium* disserens non Physicum agere, neque adeo nomina auium caeterorumque animalium recentiora, Linnaeana illa, hoc est, magnam partem barbara, aut Germanica, vel Franco-Gallica, e *Camo* et *Schneidero* aliisque historiae naturalis scriptoribus petenda, nominibus

antiquioribus adiicere volui. Immo solum hoc mihi propositum fuit, ut, quibus vocabulis voces animalium in utraque lingua significatae fuissent, ex antiquis potissimum scriptoribus demonstrarem. Quam ipsam ob causam, et quia grammatice rem tractandam putaui, a vocabulis generis, quae etiam de humana voce, vel de rebus inanimis, in veterum libris dicta reperiuntur, abstinere nolui, et ab illis, quae priore loco posui, ne potui quidem, nisi nescire videri vellem, animalium nomine etiam homines comprehendi, rarius tamen talia attuli. Neque me facile reprehendat quis, quod Graeca nonnulla, quae a solis Grammaticis seruata sunt, ipse quoque afferre non dubitaui. Vix enim Grammatici talia in scriptis suis posuissent, nisi ea in antiquioribus scriptoribus, ut in nouae comoediae poetis, reperissent. Non magis mirabitur aut offendetur, credo, qui me viderit etiam ea commemorasse, quae quum proprie dicta fuisse constet de hominum voce, eleganter vel ridendi iocandique causa ad bruta per poetas translata esse videamus; immo reprehendi fortasse potero, quod non plura huius generis memorauerim. Saltem in argumento per se ieiuno atque sterili talia si non orationi ornamentum aliquod addere, certe variare eam atque distinguere, sua sponte quilibet intelligit. Denique quod non raro verba Graecitatis vel Latinitatis cadentis, vel etiam quae barbara iudicari possint, admittenda existimaui, facile id excusabitur in homine Grammaticae studioso, qui, si non omnia posset afferre, certe rem quantum posset plene tradere cuperet. Neque omnia sunt barbara, quae in nullius veteris scriptoris operibus nunc residuis reperiuntur. Quam diu lingua in ore populi est, tam diu nouis subinde verbis formulisue augetur, quas non omnes ideo, quia nouae sunt, reiiciendas improbandasque esse perspicuum est. Multa item, quae per se non sper-

nenda sunt, frequentantur usu vitae quotidianae, quanquam a scriptoribus, fortasse quia occasio deerat, in libris suis non usurpata. Conferantur velim, quae pag. 220. dixi. [Prolusiones *de vocibus animalium* primitus editae fuerant Grimae, et prima quidem anno 1805. secunda et quatuor sequentes annis 1807—1811.]

Prolusio *de aduerbiis Graecorum in ὶ et εὶ exeuntibus*, quam Grimae anno 1823. emisi, nunc ut reliquae, de quibus modo dixi, et emendatior prodit et auctior. Eam autem propterea hic repetii, ut, quam vana et incerta essent nonnullorum de illis aduerbiis praecepta, quamque multa adhuc obseruanda rimandaque essent, dilucide appareret. Viri me doctiores nunc facile, quid de mea opera statuendum sit, iudicabunt. Ego saltem, ut exemplorum copia suppeteret, efficere studui.

Prolusio *de utilitate, quam Lutheri doctrina scholis publicis attulit*, Grimae anno 1817. vulgata, cur sit una cum reliquis a me repetita, ipse quilibet perspicit. Argumentum enim, quanquam proprie ad historiam spectans, tamen etiam, quatenus ad scholas pertinet, ad Grammaticam referri recte, opinor, potest.

Denique appendicis loco addidi varietatem lectionis in nonnullis Xenophontis libellis. Partim enim antiquus ille, quo olim paene flagraui, Xenophontis operum amor nondum refrixerat, partim committere nolui, ut omnis opera periret, quam *Christianus Fridericus Matthaei* in enotando et exscribendo posuerat. Nimirum e Codice Bibliothecae Augustanae chartaceo, secundum *Reiseri* catalogum p. 47. num. 26. initio saeculi quinti decimi scripto, mihi is descriptum miserat *Theodori Metochitae* caput de Xenophonte, cum nonnullis suis emendationibus et annotationibus. Quia vero iam tum illud Hauniae 1790. 8. una cum aliis ab *Iano Blochio*

editum esse sciebam, et nuper Lipsiae 1821. 8. *Theophilus Kiesslingius* ex *Christiani Godofredi Mülleri* schedis totum *Theodori* opus publicauit, istud de Xenophonte caput rursus edere superuacuum putaui. Quae vero idem *Matthaeus* ad Xenophontem pertinentia e Codicibus Augustanis mihi excerpserat, iis nolui viros eruditos carere. Et ad Hieronem quidem variantes lectiones desumsisse se significauit ex eiusdem Bibliothecae Codice, qui in Indice *Reiseri* notatus est p. 89. num. 67. Ex eodem Codice sunt 1) Oeconomici particulae a 4, 4. ad §. 12. extr. et a §. 22. usque ad finem capitis. 2) Symposii particula a 2, 9. ad 2, 11. 3) Symposii particula a 2, 23. ad 3, 1. Sed quae e Symposii initio ad 2, 26. notatae apparent diuersitates, depromtae sunt e Codice secundum *Reiserum* p. 69. num. 45.

Indicem scriptorum veterum, quorum libros passim emendare studui, ut conficerem paene necessarium esse duxi. Sed addidi etiam Indicem verborum, quibus Graeci et Romani voces animalium significauerunt, et Indicem aduerbiorum Graecorum in *ὶ* et *εὶ* exeuntium, quorum in *Henrici Stephani* thesauro nulla facta est mentio; quod meum consilium putabam probatum iri viris harum rerum vel gnaris vel studiosis. Corrigendis autem deprauatis scriptorum veterum verbis operam ita dedi, ut correctiones cuperem esse manifestas et euidentes, neque adeo copiose ac fuse de iis disputandum existimarem. Certam eiusmodi emendationem addas velim, lector, p. 49. not. 245. *Petauius* enim praeter multa alia vitia, quibus suam *Synesii* editionem foedauit, reliquit in libello de insomniis p. 146. C. hoc: *ὁ μανὴς ὁ νεώνητος*. Rescribere debebat *ὁ Μάνης ὁ νεώνητος*.

Minus fortasse viris doctis placebit, quod in enumerandis verbis, quibus antiqui scriptores expres-

sisse animalium voces reperiuntur, nonnulla non ex historia recentioris aetatis, ubi quidem id fieri posset, illustrare conatus sum, ut quum canes aut equi sermonem humanum ex parte imitati leguntur, quod veteres inter prodigia referebant, nostri autem saeculi homines anilibus fabulis annumerant. Vix enim certius et facilius fides conciliari veterum narrationi poterat, quam exemplis similibus e recentiori aetate collatis. *Leibnitius* v. c. se prope Cizam vidisse narrat canem, quae triginta fere vocabula Franco-Gallica, in vocales illa desinentia, clarissime posset proloqui. Et ipse ego pag. 214. not. 670.* et pag. 215. not. 679. de belluis marinis vocem emittentibus exempla recentiora attuli. Ne vero saepius id facerem, hoc me prohibuit, quod pleraque talia putarem satis nota esse, et in libris recentiorum scriptorum facile reperiri scirem.

Scripsi Grimae, ipsis Idibus Septembris A. C. CIↃIↃCCCXXV.

I.

DE

NOMINIBUS GRAECORUM.

Cum viri docti permulti libros peculiares scripsisse reperiantur de Romanorum nominibus, verbi causa *Onuphrius Panuinius*, *Franciscus Robortellus*, *Carolus Sigonius*, *Iustus Lipsius*, *Nicolaus Boindin*, aliique, quos laudarunt *Ioh. Albertus Fabricius* [1]) *et Iohannes Georgius Meusel* [2]), qui tamen duumuiri ne omnes quidem huius generis scriptores commemorasse putandi sunt [3]): mirum videri potest, non nisi paucos de scribendo libro aliquo aut libello cogitasse, in quo, quae fuerit nominum apud veteres Graecos ratio et a Romanorum nominibus diuersitas, ex professo et accurate exponeretur. Occasione enim oblata et obiter de nostro argumento etiam ab illis ipsis, qui de Romanorum maxime nominibus sunt commentati, passim nonnulla disputari, satis notum est, et vel tituli quorundam, qui nomina Romana tractant, possunt docere. Sic *Philippus Groſsgebauer* libellum suum inscripsit: „de veterum onomathesia, et speciatim de praenominum origine." *Iohannes Henricus Ottius*: „de nominibus hominum propriis," *Iosephus Castalio*: „de antiquis puerorum praenominibus," *Aegidius Andreas de la Roque*: „traité de l'origine des noms et des surnoms." [4]) *Christianus Haenel*, quem non minus quam duo illos, quos post hunc nominabo, scriptores, *Fabricius* et *Meuselius* indicare obliti sunt, scripsit duas dissertationes „de ὀνοματοθεσίᾳ infan-

1) in Bibliographia antiquaria p. 929. ed. *Paul. Schaffshausen*, Hamb. 1760. 4.

2) in Bibliotheca historica, Vol. IV. P. II. (Lips. 1790. 8.) p. 342–345.

3) v. c. *Sigonius* scripsit etiam: „in librum de nominibus Romanorum Francisci Robortelli," qui *Sigonii* commentarius extat in *Iani Gruteri* Lampade s. Face artium liberalium, h. e. Thesauro critico, T. II. (Frcf. 1604. 8.) p. 259—301. Aliorum paulo inferius fiet mentio.

4) De hoc libro v. *Fabric.* l. l. p. 686. et 929.

tium" [5]), *Iohannes Georgius Neumann* disputationem suam, quam per miram quandam fortunam *Antonius Laurentius Altmann* publice defendit, hac inscriptione insigniuit: „Exercitatio historica de originibus cognominum." [6]) *Georgius Michael Pfefferkorn* edidit „commentariolum de impositione nominis Iesu." [7]) Hi igitur omnes, non se de unius alicuius gentis antiquae nominibus exposituros esse professi, Graecorum quoque nominum tractationem, saltem illam non minus accuratam, quam Romanorum, sperare lectorem iubent. Etiamsi vero, ut dixi, Graecorum hominum nomina non omnino neglexerint, tamen eos pauca de his tradidisse contentos, operam suam inprimis ac fere omnem in explicandis Romanis, vel etiam Hebraeorum aliorumque populorum nominibus posuisse, patere cuilibet, qui quidem eorum libros inspexerit, facile potest. Primus quidem, ni fallor, sed breuiter, de nominibus Graecorum propriis separatim et exclusis Romanis agere instituit *Iohannes Gottfried Hauptmann* in programmate de nominibus Graecorum [8]). Etiam breuius de iisdem egit *Christianus Fridericus Jünger* in altera prolusione de nominibus [9]). Breviter item hoc argumentum tractauit *Barthelemy* in nobili illo opere: Voyage du jeune Anacharsis en Grèce [10]). Plenius de eodem exposuit *Theo-*

5) Prior *Haenelii* dissertatio edita fuit Lips. 1667. altera ibidem 1668. 4.

6) Prodiit haec *Neumanni* disputatio Wittebergae 1682. 4.

7) Aldenburgi 1669. 4. in quo libello ad nostram rem pertinet cap. 2. §. 7. Et poteram eiusmodi scriptores multo plures nominare, praesertim antiquiores. v. c. *Hermannus Torrentinus* scripsit de generibus nominum, de heteroclitis, de patronymicis, et de nominum significationibus, Antuerp. 1514. 4. *Henricus Decimator* in Parte II. Syluae vocabulorum (Argent. 1592. 8.) agit de nominibus propriis deorum dearumque gentilium, virorum et mulierum etc. *Conradus Gesnerus* edidit onomasticum nominum propriorum, Basil. 1584. fol. ut *Sethus Caluisius* Quedlinb. 1650. 8. etc.

8) quod prodiit Gerae 1758. fol.

9) Freybergae 1778. 4. edita, p. 3 — 5.

10) cap. 66. T. VII. p. 109 — 114. ed. Bipont. 1791. 12. Conf. quae *C. P. Funke*, qui etiam *Barthelemii* copiis se usum esse profitetur, de eodem argumento tradidit Vol. III. eius libri, quem *Neues Real-Schullexicon* inscripsit, (Brunouic. 1801. 8.) pag. 1055 — 1057.

philus Christophorus Harles.[11]) Quae cum ita sint, cumque nec *Harlesii* opera sufficere posse videretur: putaui me rem facturum esse tironibus utilem, viris doctis non ingratam, si praecipua, quae ego quidem hanc in rem obseruassem inter legendum, colligerem et in ordinem quendam redigerem, iis tamen non neglectis, quae variis viris eruditis de eodem argumento passim annotare visum est.

Primo igitur meminerint tirones, veteres Graecos fere omnes non nisi uno quemlibet nomine usos esse, v. c. *Πλάτων, Ξενοφῶν, Ἀριστοτέλης* etc.[12]) Idem erat mos Hebraeorum, non item Romanorum, quippe apud quos, maxime temporibus reipublicae liberae, solis seruis, et ne his quidem omnibus, simplex nomen fuisse consentaneum est. Cum vero Graeci nulla nomina gentilitia haberent, sed plerumque filius alio quam pater nomine nominaretur, et tamen illi facile perspexissent, quanta necessario esset confusio futura, nisi quaedam adderentur, quibus plures viri cognomines, v. c. plures Socrates, plures Antigoni, plures Apollodori etc. inter se recte possent distingui: mature excogitarunt varias notas, quae hanc in rem addi hominum nominibus, tam in vita communi, quam in scriptis libris, et possent et deberent. De his variis notis iam primo loco distincte et sigillatim mihi dicendum esse intelligo.

Et usitatissima quidem ratio videtur haec fuisse, ut filii nomini nomen patris adiicerent. Sic diserte Ischoma-

11) *Harlesii* de nominibus Graecorum libellus prodiit Jenae 1763. 8. et est quadripartitus. Prima enim sectione p. 17—26. docetur, unum Graecis fuisse nomen. Secunda p. 26—38. quaerit auctor, a quonam Graeci nomen acceperint. Tertia p. 38—48. ostendit, quo die et quibus caerimoniis nomen Graeci imposuerint liberis. Quarta denique p. 48—70. agit de publica nominum professione, atque de diuisione populi. Hunc libellum auctor eius eruditissimus ipse anno 1800. notis margini adscriptis auctum mihi transmiserat Geram, ut iis prout luberet uterer. Itaque sicubi quasdam illarum notarum recepi, uncinis eas inclusi, addita litera *H.* vel syllaba *Harl.* aut alio modo id significaui.

12) [v. *Spanhem.* ad *Aristoph.* nubb. 64. In marmore Sandwicensi, a *Taylore* Cantabrigiae 1743. 4. edito, ubi multi ciues nominantur, ad unum omnes uno nomine appellantur. Cf. *Taylor* lectt. Lysiac. 5. p. 253. ed. *Reisk.* Haec nota debetur *Harlesio.*]

chus apud *Xenophontem* [13]), σαφῶς, inquit, ὀνομάζοντές με Ἰσχόμαχον, πατρόθεν προσκαλοῦνται. Ubi tamen rursus duplici maxime modo usi reperiuntur. Saepe enim nomen patris apponebant in forma patronymica, v. c. Πηλείδης Ἀχιλλεύς, Τελαμώνιος Αἴας, Ἀτρείδης Ἀγαμέμνων, Τυδείδης Διομήδης, Δανάη Ἀκρισιώνη, Σεμέλη Καδμηΐς etc. [14]) Reperitur vero hic modus inprimis apud poetas, a quibus etiam passim adhibita esse constat nomina patronymica, vel potius metronymica, quippe non a patris, sed a matris nomine deriuata, v. c. Μολιονίδαι apud *Apollodorum* [15]) et Μολίονε in duali apud *Homerum* [16]) vocantur Cteatus et Eurytus, quia nati erant matre Molione [17]). Iidem tamen a patre Actore nominantur Ἀκτορίωνε [18]), quin etiam ab utroque parente Ἀκτορίωνε Μολίονε [19]). Neque vero in vita quotidiana aut omnes omnium ciuitatum Graecos a matre se cognominare consueuisse, satis docent haec verba *Herodoti* [20]) de Lyciis: ἓν δὲ τόδε ἴδιον νενομίκασι, καὶ οὐδαμοῖσι ἄλλοισι συμφέρονται ἀνθρώπων· καλέουσι ἀπὸ τῶν μητέρων ἑωυτοὺς, καὶ οὐκὶ ἀπὸ τῶν πατέρων. εἰρομένου δὲ ἑτέρου τὸν πλησίον, τίς εἴη, καταλέξει ἑωυτὸν μητρόθεν, καὶ τῆς μητρὸς ἀνανεμέεται τὰς μητέρας. Et

13) Oecon. 7, 3. Plura huius generis exempla collegit *Jac. Perizonius* in Dissertatione de constitutione diuina super ducenda defuncti fratris uxore pag. 30. in Dissertationum *Perizonii* triade, ab *Joh. Gottlieb Heineccio*, Halae 1722. 4. edita, vel in *Perizonii* dissertationibus septem, quae Lugd. Bat. 1740. 8. prodiere, p. 35. sqq. quae *Perizonii* dissertatio omnino lectu est dignissima. Adde *Dionem Cassium* lib. 57. cap. 12. p. 857, 27. edit. *Reimar.*

14) De hac forma omnino vid. *Eustath.* ad Iliad. *A.* p. 13. sq. et *Δ.* p. 483. *Etymol. M.* p. 150, 39. edit. Lips. *Phauorin.* in Ἀτρείδης et πατρωνυμικὸν, et quae paulo post ex *Prisciano* exscripsi, item *Philemon* in Lexico technologico p. 29. sq. edit. *Osann.* qui fere de metronymicis quoque egerunt. In his est Νιοβίδαι, quo etiam *Plutarchus* in Amatorio c. 17. T. II. Opp. p. 760. D. usus est.

15) 2, 7, 2.

16) Iliad. λ, 703.

17) v. *Pherecydis* fragmenta p. 191. sq. edit. 1. p. 178. sq. edit. 2.

18) ap. *Homer.* Il. ψ, 638.

19) ap. *Homer.* Il. λ, 749.

20) 1, 173. ad quem locum vid. *Valckenaer.*

Plutarchi [21]): νόμος ἦν τοῖς Ξανθίοις μὴ πατρόθεν ἀλλ' ἀπὸ μητρῶν χρηματίζειν. Nullum Atheniensium homini aut ex legitima uxore suscepto, aut adoptato, matris nomen unquam addidisse, ex *Demosthene* p. 997, 6—11. edit. *Reisk.* ostendit *Harlesius* p. 22. In his autem vel patronymicis vel metronymicis saepe a poetis omitti nomina filiorum propria, multa sunt apud poetas utriusque linguae exempla, quorum nonnulla etiam Grammatici veteres not. 14. nominati attulerunt, v. c. Agamemnon saepe Atrides; et Achilles nominatur Pelides. Calchas apud *Ouidium* [22]) vocatur Thestorides; Philoctetes apud eundem [23]) Poeantia proles et Poeantiades, quamquam *Homerus* [24]) illum quidem Κάλχαντα Θεστορίδην, hunc Φιλοκτήτην Ποιάντιον appellat, Chiron, qui matrem habebat Philyram, ab *Ouidio* [25]) non solum Philyreïus heros, verum etiam [26]) Phillyrides nominatur, sed *Pindarus* [27]) plene χείρωνα Φιλλυρίδαν dixit. Bacchus et Perseus, uterque a matre, ille proles Semeleïa, hic vero Danaeïus heros, vocantur apud *Ouidium* [28]). Quanquam per hoc alterum patronymicum respicitur fortassis ad Danaum, Persei tritauum, Agenoris generum [29]), unde idem Perseus apud eundem *Ouidium* [30]) in melioribus libris appellatur Agenorides, in aliis Abantiades, quoniam Acrisius, Persei e filia Danaë auus, fuit filius Abantis [31]), quamobrem ipse quoque Acrisius nomine Abantiadis interdum significatur [32]). Neque enim semper filius per formam

21) de mulierum virtutibus c. 9. T. II. Opp. p. 248. D. ubi *Wyttenbachius* aliquid monuit de usu verbi χρηματίζειν pro καλεῖσθαι vel ὀνομάζεσθαι.

22) metamm. 12, 19.

23) metamm. 13, 45. et 313.

24) Il. α, 69. et Odyss. γ, 190.

25) metamm. 2, 676. et fastt. 5, 391.

26) de arte am. 1, 11.

27) Pyth. 3, 1.

28) metamm. 5, 1. et 329.

29) v. *Pherecydis* fragmenta p. 111. (p. 105. edit. 2.)

30) metamm. 4, 771.

31) v. *Pherecydes* p. 81. (p. 75. sq. edit. 2.)

32) v. c. apud *Ouid.* metamm. 4, 606. ubi tamen simul adiectum est nomen proprium.

patronymicam indicatur, sed interdum nepos, vel pronepos, vel abnepos, vel adnepos, vel trinepos. Nam Atlantiades quidem pro Mercurio, Hippotades pro Aeolo ponitur, quia ille Atlantis ex Maia filia, hic Hippotae ex filia Segesta nepos fuisse fingitur. Achilles item nominatur Aeacides apud *Virgilium* [33]), quamuis alias memoretur *Αἰακίδης Πηλεὺς* [34]), quia Peleus, Achillis pater, fuit Aeaci filius. Sed Aeacides vocatur etiam in nobili illo oraculo apud *Ciceronem* [35]). Pyrrhus, rex Epiri, qui longó demum interuallo pertinebat ad Aeaci genus [36]). Eodem modo Priamus non raro vocatur *Δαρδανίδης*, cum fuerit filius Laomedontis, Laomedon Ili, Ilus Trois, Tros Erichthonii, et Erichthonius demum Dardani [37]). Et *Ἡρακλεῖδαι* sunt omnino Herculis posteri, siue filii sint, siue nepotes, siue pronepotes etc. Caeterum non negligenda hoc loco putaui verba *Prisciani* [38]): „Sunt igitur patronymicorum „formae apud Graecos tres. In *des*: quae dicitur commu„nis apud illos, quod in omni sermone possunt hac uti, „qua sola Romanorum quoque poetae utuntur. Nam aliis „duabus non utuntur, id est, in *ων* terminata, quae est „propria Iadis linguae [39]), ut *Πηλείων*, *Πηλείδης*. et in „*αδιος*, quae est Aeolica, ut Hirradios, Hirrae filius Pitta„cus [40]).“ Et paucis interiectis: „Si nominatiuus Grae„cus in *ας* vel in *ης* vel in *ιος* desinat, genitiuus vero in

33) Aen. 1, 103. Cf. *Homer.* Il. *λ*, 804.

34) v. c. ap. *Homer.* Il. *π*, 15.

35) de diuinat. 2, 56.

36) v. *Paul. Manutius* ad *Cic.* de offic. 1, 12.

37) v. *Appollodor.* 3, 12, 1—3. Unde recte in *Schol. Homer.* Il. *γ*, 303. *Δαρδανίδης* explicatur *Δαρδάνου ἀπόγονος.*

38) lib. 2. de octo partibus orationis, p. 55—57. edit. operum *Prisciani*, Basil. 1554. 8. (p. 81—83. editionis *Augusti Krehl*, Lips. 1819. 8. cuius editionis paginas semper in parenthesi addidi.)

39) h. e. Ionicae dialecti. sequens *ut* non est in editione Krehliana.

40) Sed apud *Diog. Laert.* 1, 74. Pittacus vocatur *Ὑῤῥαδίου*, np. *υἱός*. Cf. *Suid.* in v. *Πιττακός*, et *Menag.* ad *Diog. Laert.* l. l. *Krehl* scripsit *Hyrradios* et *Hyrrae.* Rectius scripsisset *Hyrrhadios* et *Hyrrhae.* Sed *Eustathio* ad Iliad. *α*, p. 13. extr. auctore, *"Υῤῥας* est *κύριον Αἰολικόν· διὸ καὶ ψιλοῦται· ἀφ' οὗ πατρωνυμικὸν Ὑῤῥάδης, ὅπερ οἱ Αἰολεῖς Ὑῤῥάδιον λέγουσι.*

„ου diphthongum, *a* penultima breuis ante *des* inuenitur „in patronymico, ut Pelias Peliades, Aeneas Aeneades, „Menecias Meneciades.“ [41]) — „In *es* vero desinentibus, „quorum genitiuus Graecus in ου desinit, tam in *ades*, „quam in *des* [42]) inueniuntur apud autores: Hippotes Hip„potades, Butes Butades, Corinetes Corinetides, sed ra„tionabilius in *ades*. Anchises ergo Anchisades vel An„chisides debuit facere, fecit autem Anchisiades [43]), quasi „ab Anchisios nominatiuo, quomodo Laertius Laertiades. „Nunquam enim patronymicum superat primitiui sui ge„nitiuum, nisi una syllaba. Alia vero omnia in ου apud „Graecos terminantia genitiuum, vel in ος vel in ους diph„thongum, vel ως, mutant eas in *ides*, et faciunt patro„nymicum, ut *Πρίαμος Πριάμου* Priamides, *Νέστωρ Νέ„στορος* Nestorides, *Πλεισθένης Πλεισθένους* Plisthenides, „*Πηλεὺς Πηλέως Πηλείδης*, et per synaeresin *e* et *i* in *ei* „diphthongum proferunt penultimam.“ — „Inueniuntur „tamen poetae in quibusdam addentes quasdam literas, „vel adimentes: addentes, ut Peliades pro Pelides [44]), et „Chalcodontiades pro Chalcodontides, Atlantiades pro „Atlantides.“ — „adimentes, ut Deucalides pro Deuca„lionides. — Excipiuntur tamen haec, quae contra re„gulam penultimas vocales producunt: Aeolides, Dema„des, per synaeresim pro Aeoliades, Demeades, Codrides, „Lycoorgides, Lagides, Belides, Euerides etiam, et Ly„comedides, apud Graecos contra regulam penultimam „diphthongum [45]) habent, pro qua nos *i* longam ponimus.

41) Legendum est *Menoetius* (*Menoetios* habet *Krehl.*) *Menoetiades*. v. *Homer*. Il. ι, 211. ρ, 270. etc. Sic paulo post vitiose apud *Priscianum*, etiam a *Krehlio*, editum est *Corinetes Corinetides* pro *Corynetes Corynetides*. Periphetes enim, quia clauam, *κορύνην*, gestabat, accepit cognomen *Κορυνήτης*. (v. *Plutarch*. in vita Thesei c. 8.) Qua de re plura infra, ubi de cognominibus, dicere constitui. Omnino etiam saepius emendatione egebant verba *Prisciani*, quanquam ego pauca emendasse contentus fui.

42) Videtur intelligi terminatio *ίδης*. Et *Krehl* edidit *ides*.

43) v. c. ap. *Homer*. Il. ρ, 754.

44) ut *Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος* statim ab initio Iliadis.

45) h. e. ει. Superius in *Prisciani* loco *Krehlius* omisit formam *Aeoliades*, et vitiose scripsit *Licoorgides* et *Licomedides*.

„Foeminina vero patronymica, vel in *is* vel in *as* desi„nunt, vel in *ne* productam. [46]) Fiunt autem a mascu„linis subtracta *de* in *is* vel in *as* desinentia, ut Priami„des Priamis, Dardanides Dardanis, Peliades Pelias." — „In *ne* autem desinentia, quae sunt ladis linguae patro„nymica eiusdem generis, *i* longam [47]) habent penulti„mam, si principale non habuerit eandem *i* vocalem, ut „Adrestos Adrestine, Nereus Nerine: si autem principale „habuerit *i*, *o* producta [48]) ante *ne* inuenitur, ut Acrisios „Acrisione." Hactenus *Priscianus*, e quo haec exscribenda putaui, quoniam, quin ea in plerisque vera essent existimanda et prodesse multis possent, prorsus non dubitabam. Sed non omnino mihi quidem probanda videbantur, quae idem *Priscianus* [49]) praecepit his verbis: „Patronymicum est, „quod a propriis tantummodo deriuatur patrum nomini„bus secundum formam Graecam, quod significat cum „genitiuo primitiui, filios vel nepotes, ut Aeacides, Aea„ci filius vel nepos. Et hac forma poetae maxime solent „uti, pro qua Romani cognominibus familiarum utuntur, „ut Cornelii, Marcelli. Omnes enim ab illo, qui primus „Cornelius et primus Marcellus vocatus est, hoc nomen „habuerunt, quicunque eiusdem familiae sunt: sicut „omnes minores [50]) Thesei, Thesidas Graeci appellant, „quos solent poetae quoque nostri imitari." Scilicet non mihi placebat, quod Priscianus patronymica Graecorum comparat cum Romanorum nominibus gentilitiis. Iam non quidem ego ignorabam, ipsum *Plutarchum* [51]) ita statuere, ubi, *τὸ μὲν κοινὸν*, inquit, (np. *ὄνομα παρὰ Ῥωμαίοις*) *ἀπὸ συγγενείας, τοὺς Πομπηΐους, καὶ τοὺς Μαλλίους, καὶ τοὺς Κορνηλίους, ὥσπερ ἂν Ἡρακλείδας τις*

46) ut *Καδμηΐς*, *Λητωϊὰς*, Latonae filia, ap. *Callimach.* h. in Dian. 83. *Ἀκρισιώνη* etc.

47) v. c. *Ἀδρηστίνη* apud *Homer.* Il. ε, 412. *Ὠκεανίνη* apud *Hesiod.* theogon. 389. ubi v. 383. est *Ὠκεανοῦ θυγάτηρ*. Cf. *Menag.* ad *Diog. Laert.* 1, 89.

48) h. e. ῶ.

49) libro laudato p. 58. (p. 77. sq. edit. *Krehl.*)

50) h. e. posteros.

51) in vita Marii cap. 1.

εἶποι καὶ Πελοπίδας. Consentire *Pausanias* [52]) videtur: τὰ γὰρ ἀρχαιότερα ὀνόματα ἐς ποίησιν ἐπάγεσθαι τῶν ὑστέρων, καθεστηκός ἐστιν Ἕλλησιν. καὶ Ἀμφιάραόν τε καὶ Ἄδραστον Φορωνείδας, καὶ Ἐρεχθείδην ἐπονομάζουσι τὸν Θησέα. Et multi viri docti recentiores eandem sequuntur sententiam, ut *Neumannus* [53]) et alii. Ego vero an probari ea recte possit, valde dubito. Est enim valde ambigua [54]) et nimis vaga haec ratio, cum non in omnia, et fortassis ne in multa quidem eiusmodi patronymica conueniat. Neque enim ea nomina propria, quae formam patronymicorum habent, et de quibus infra dicere constitui, referri huc ullo modo a quoquam possunt. Praeterea *Plutarchus* vix aliam ob causam comparationem istam instituisse putandus est, nisi ut morem, quem Romani de nominum suorum ratione obseruarent, hominibus suae gentis, h. e. Graecis, quorum mores hoc in genere sciret a Romanorum moribus discrepare, exemplo aliquo illustraret atque quantum posset perspicuum redderet. Idem fecisse non raro reperiuntur Graeci scriptores alii; v. c. *Dionysius Halicarnassensis* [55]), causam allaturus, cur Lucumo, postquam ciuis Romanus factus erat, L. Tarquinium nominari se voluerit, scripsit haec: μαθὼν ὅτι Ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸν τὸ ὄνομα κεῖται, καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐστι καὶ πατρωνυμικόν. Quin *Pausanias* [56]) diserte hactenus distinguit Romanos et Graecos, καλοῦνταί γε, inquiens, οὐ πατρόθεν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ ταὐτὰ Ἕλλησιν, ἀλλὰ καὶ τρία, ὁπότε ἢ ὀλίγιστα, καὶ ἐπὶ πλέονα ὀνόματα ἑκάστῳ τίθενται.

Alter modus, quo plures cognomines homines addito parentis nomine inter se distingui solebant, reperitur fuisse hic, ut filii nepotisue nomini nomen patris auiue diserte apponeretur in genitiuo. Verum ne hic quidem

52) in descriptione Graeciae 7, 17. p. 565. edit. *Kühn.* Lips. 1696. fol.
53) in dissertatione supra laudata §. 4.
54) v. *Plutarch.* in Lycurgo c. 1. et in Theseo c. 3.
55) in archaeologia Romana lib. 3. p. 185. extr. edit. *Sylburg.* Frcf. 1586. fol.
56) 7, 7. p. 540. sq.

modus fuit semper idem. Interdum enim addebatur nomen υἱὸς, vel παῖς, vel ἀπόγονος, vel θυγάτηρ, vel simile, v. c. apud *Homerum* [57]): Τυδέος υἱὸν Διομήδεα. apud *Apollodorum* [58]): Σαρπηδόνα, Ποσειδῶνος υἱόν. apud *Aelianum* [59]): Ξέρξης ὁ Δαρείου παῖς. apud *Xenophontem* [60]): Κυαξάρης ὁ τοῦ Ἀστυάγους παῖς. apud *Homerum* [61]): Ἀνδρομάχη θυγάτηρ Ἠετίωνος. apud *Xenophontem* [62]): Ἀρχίδαμος Ἡρακλέους ἀπόγονος λέγεται εἶναι. Sic intercedente participio verbi εἶναι, apud eundem [63]): Λεωτυχίδα, ὡς Ἄγιδος ὄντος υἱοῦ. etc. {Nomina patrum a Siculis addita filiorum nominibus fuisse docet *Doruillius* in Siculis T. II. p. 520. et 546. Add. p. 552. et 565. *Harl.*]

Interdum matris, interdum utriusque parentis nomen adiiciebant, ut *Homerus* [64]): Ἀχιλεὺς, Θέτιδος παῖς. *Appollodorus* [65]): Αἰήτης, παῖς Ἡλίου καὶ Περσηΐδος. etc. Etiam omisso nomine filii, ut *Xenophon* [66]): ὁ ἐκ τῆς Παραπίτας υἱὸς αὐτοῦ, np. Pharnabazi. Quod idem faciebant nonnunquam solo patre nominato, ut *Xenophon* [67]): τοῦ Εὐαλκοῦς υἱέος. et [68]): τῷ Ἀνύτου υἱῷ. *Aelianus* [69]): ὦ Σωφρονίσκου, i. e. Σώκρατες. *Herodotus* [70]): ὦ παῖ Τισάνδρου. *Plato* [71]): ὦ παῖ Κλεινίου, it. ὦ παῖ Κλεινίου καὶ Δεινομάχης. *Isocrates* [72]): οἱ ἔκγονοι Ἡρακλέους. Vel

57) Iliad. ε, 881.
58) 2, 5, 9.
59) Var. Hist. 13, 3.
60) Cyropaed. 1, 5, 2.
61) Iliad. ζ, 395. et θ, 187.
62) Hist. Graec. 7, 1, 21.
63) *Xenoph.* Ages. 1, 5.
64) Iliad. δ, 512.
65) 1, 9, 1.
66) Hist. Graec. 4, 1, 18.
67) ibid. 4, 1, 19.
68) *Xenoph.* Apolog. Socr. §. 30.
69) Var. Hist. 13, 32.
70) 1, 6.
71) in Alcib. I. T. II. opp. p. 103. A. et 105. D. edit. *Steph.*
72) Panegyr. c. 16.

solo matris nomine apposito, ut *Xenophon* [73]): *τὸν τῆς Παραπίτας υἱόν.* etc. Quae nominis filii praetermissio videtur facta esse, ubi magna erat patris vel matris celebritas, filii nulla, vel minor.

Inprimis autem filii nomini ita iungebatur articulus, ut nomen parentis in genitiuo apponeretur, omisso nomine *υἱὸς*, *θυγάτηρ* etc. quod pertineat ad articulum, v. c. *Ἑρμογένης ὁ Ἱππονίκου*, Hermogenes Hipponici filius [74]), *Περίβοια ἡ Ἀλκάθου*, Periboea Alcathi s. Alcathoi filia [75]), *Ἰοῦν τὴν Ἰνάχου* [76]). Et sic saepissime. Nonnunquam tamen hac ratione potest obscura reddi oratio, v. c. in his verbis *Pausaniae* [77]): *ἡ Ἁγνὴ Κόρη, τῆς Δήμητρος ἐστὶν ἐπίκλησις.* Ubi articulus *τῆς* non pertinere putandus est ad genitiuum *Δήμητρος*, qui adiectus est, sed ad omissum *θυγατρὸς*, ut intelligatur Proserpina Cereris filia. Neque tantum sic ponitur articulus, cum solius patris vel solius matris nomen additum est, sed etiam utriusque parentis nomine addito, v. c. apud *Platonem* [78]): *Σωκράτης ὁ Σωφρονίσκου καὶ Φαιναρέτης.* Quin etiam articulus omittitur, ut apud *Diogenem Laertium* [79]) et *Suidam*: *Πλάτων, Ἀρίστωνος καὶ Περικτιόνης.* item [80]): *Ἀριστοτέλης, Νικομάχου καὶ Φαιστιάδος.* etc. Sed apud *Xenophontem* [81]) *Ἀριστόδημος ὁ Ἡρακλέους* est unus ex Herculis posteris, scilicet abnepos [82]). E quo vago articuli usu factum est, ut in antiquis genealogiis saepe filii cum nepotibus et filiae cum neptibus confunderentur [83]). Memorabile etiam videbatur, quod iam magnus

73) Hist. Graec. 4, 1, 19.

74) ap. *Xenoph.* apolog. Socr. §. 2.

75) Cyneget. 1, 9.

76) ap. *Herodot.* 1, 1.

77) in descriptione Graeciae 4, 33. p. 362.

78) in Alcibiade priore T. II. opp. p. 131. E.

79) 3, 1. et *Suid.* in v. *Πλάτων.*

80) ap. *Diog. Laert.* 5, 1. Sed *Suidas* in v. *Ἀριστοτέλης* dicit: *υἱὸς Νικομάχου καὶ Φαιστιάδος.*

81) Agesil. 8, 7.

82) v. *Meurs.* de regno Lacedaemon. cap. 6.

83) v. *Henr. Verheyk* ad *Antonini Liberalis* metamorphos. (Lugd.

Salmasius [84]) obseruauit, scriptores Romanos, quippe apud quos fere filii patrum quoque nomina et cognomina usurparent, nunquam dixisse Heroden Attici, Miltiaden Cimonis, Appionem Plistonicis, sed suo modo moreque loquentes dixisse potius Herodem Atticum, Appionem Plistonicen, et similia. Hinc a *Suetonio* [85]) Apollonium, qui Molonis erat filius, ut ab aliis eiusdem nominis distingueretur, vocatum fuisse Apollonium Molonem, quamuis non diceretur Molon, sed Molonis tantum esset filius, ita ut non probanda sit eorum interpretum Suetonii ratio, qui pro *Apollonio Moloni* legi iubeant *Apollonio Molonis.* Graecam enim hanc locutionem esse, non Latinam, *Ἀπολλωνίῳ τῷ Μόλωνος*, et Apollonium Molonem etiam a *Cicerone* [86]) et *Quintiliano* [87]) vocatum fuisse [88]). Sic Appionem Grammaticum, quem Tiberius Caesar Cymbalum mundi vocabat, in *Gellii* [89]) manuscriptis membranis non Appionem Polyhistorem vocari, ut vulgo excusum est, sed Appionem Plistonicem, quamuis fuerit Plistonicis filius [90]).

Bat. 1774. 8.) c. 38. p. 256. sq. Ipse quoque de hac confusione monere quaedam memini ad *Hellanici* fragmenta p. 71. et passim ad *Pherecydem*, ubi vid. index in v. filia.

84) in notis ad inscriptionem *Regillae* p. 137. sq. ed. *Thom. Cren.* in Museo philologico et historico secundo, Lugd. Bat. 1700. 8. Multa similia allata sunt in *Fabricii* Bibl. Graec. Vol. IV. p. 273. ed. *Harles.* Conf. *Salmas.* ad *Iul. Capitolini* vitam Antonini Philosophi c. 2. T. I. Scriptorum hist. Aug. p. 292. edit. Lugd. Bat. 1671. 8. Qui igitur Herodes Atticus Latine, is Graece vocatus est Ἡρώδης Ἀττίκου, ut in Epigrammate ἀδεσπότῳ DLXXVII. Tom. III. Analectorum *Brunckii*, p. 272.

85) in Iulio Caesare c. 4.

86) v. *Ernesti* clau. Cic. ind. histor. in v. Apollonius et Molo.

87) institutt. oratorr. 3, 1, 16 et 12, 6, 7. ed. *Gesner.*

88) Minime vero in *Suetonii* l. l. ferendos esse, qui malint scribere *Appollonio Moloni*, temere contendit in animaduersionibus *Casaubonus.* Cf. *Meursii* Rhodus 2, 10. p. 101. (Operum Vol. III. p. 760. sq.)

89) Noctt. Att. 5, 14. et 6, 8.

90) Possit quis ita accipiendum putare, quod in *Hygini* fabula 81. legitur „Aiax Oileus.“ Sed Oileus ibi non esse Graecum *Ὀιλεὺς*, verum, *Ὀϊλειος*, ostendit ad illum locum *Munckerus.* Vid. tamen *Seru.* ad *Virgil.* Aen. 1, 41.

Neque vero praetermittendum est, articulum eo quo diximus modo genitiuis additum non raro vim aliam habere. Interdum enim omissum putandum est nomen πατὴρ, ut apud *Herodotum*[91]): Ἄδρηστος ὁ Γορδίεω τοῦ Μίδεω, h. e. nepos Gordii, qui fuit Midae pater. Ita enim intelligendum esse, vel *Iustinus*[92]) docere potest. Ab eodem *Herodoto*[93]) Clinias, quem patrem Alcibiadis fuisse satis constat[94]), vocatur Κλεινίης ὁ Ἀλκιβιάδεω. A *Pherecyde*[95]) Bias, Talai pater, nominatur Βίας ὁ Ταλαοῦ. *Stephanus Byzantinus*[96]) urbem Daedala dicit conditam esse et nomen habere ἀπὸ Δαιδάλου τοῦ Ἰκάρου[97]). Sic Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἀριστονίκου[98]) non est filius, verum, ut e *Suida* patet, pater Aristonici. Et Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ[99]) est pater Sychemi[100]). His exemplis addi aliud potest ex *Iohannis Ionsii* egregio opere de scriptoribus historiae philosophicae[1]).

Non raro nomen μήτηρ omittitur, v. c. mater Alexandri M. ab *Aeliano*[2]) vocatur Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου. Sic ἡ Λαμάχου, scil. μήτηρ, est apud *Aristophanem*[3]), et Μαρία

91) 1, 45. Sed. c. 35. est Γορδίεω τοῦ Μίδεω παῖς, ubi παῖς accipiendum itidem est de nepote. *Schaefero* tamen ad *Lamb. Bos* de ellipsi Graeca p. 375 priore loco nomen υἱὸς bis omissum videtur.

92) 11, 7, 14.

93) 8, 17.

94) v. quos laudauit *Henr. Ernstius* ad *Cornel. Nep.* Alcib. 1, 1.

95) p. 124. (p. 118. edit. 2.) e *Schol. Homer.* ad Odyss. λ, 289. Cf. quae annotaui ibi p. 128. (p. 121.)

96) in v. Δαίδαλα. Conf. *Bocharti* hierozoicon P. I. lib. 2. c. 43. p. 436. ed. Frcf. 1675. fol.

97) Aliud eiusmodi exemplum habet idem *Stephanus* in v. Θάσος.

98) ap. *Athenaeum* 11, p. 481. D. collato *Suida* in v. Πτολεμαῖος.

99) Act. Apost. 7, 16.

100) v. Genes. 33, 19.

1) 1, 2, 5. p. 15. ed. *Ioh. Chph. Dornii* cum praefatione *Burc. Gotthelf Struuii*, Ien. 1716. 4.

2) Var. Hist. 13. 30.

3) Thesmophor. 848. Cf. *Schol. Aristoph.* ad Equites v. 447. Posset etiam huc referri illud *Coluthi* de raptu Helenae v. 26. Ἁρμονίης Ἀφροδίτη, si locus esset sanus.

ἡ τοῦ Ἰακώβου in euangelio Marci[4]), ubi etiam exemplum est omissi simul articuli[5]): *Μαρία Ἰωσῆ.*

Eodem modo deest interdum nomen *γυνὴ*, ut apud *Aristophanem*[6]): *ἡ Θεαγένους*, ubi *Bisetus* addit hoc interpretamentum: *γυνὴ δηλονότι.* Saepe sic est in libris Noui Testamenti, ut[7]) *ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου*, et[8]) *Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ.* Etiam *Virgilius*[9]) loquitur hoc modo, dum dicit: „Hectoris Andromache." Et *Plinius*[10]): „Verania Pisonis." Saepissime tamen nomen *γυνὴ* solet addi, ut apud *Homerum*[11]): *Ἕκτορος ἥδε γυνή.*

Saepe item omittitur nomen *ἀδελφὸς*, ut apud *Lysiam*[12]): *Ἄλεξις ὁ Ἀριστοδίκου.* Apud Lucam[13]): *Ἰούδας Ἰακώβου*, ubi ne articulus quidem additus legitur. Sic *Petrus* ille, qui saeculo post Christum natum undecimo vixit, vocatur *Damiani*, quia Petrus a fratre Damiano ut filius a patre tractabatur. Apud *Alciphronem*[14]): *Τιμοκράτης ὁ Μητροδώρου.*

Interdum deest nomen *ἀδελφὴ*, ut apud *Isocratem*[15]): *Ἀντιόπην τὴν Ἱππολύτης.*

Nonnunquam deest nomen *μαθητὴς*, ut *Παρθένιος ὁ τοῦ Διονυσίου* apud *Athenaeum*[16]), *Δέξιππος ὁ Ἰαμβλίχου* apud *Simplicium*[17]), *Ἀριστοτέλης ὁ Πλάτωνος* apud *Plu-*

4) 16, 1. ubi v. *Ge. Fr. Heupelius*, qui Marci euangelium notis grammatico-historico-criticis illustratum edidit Argent. 1716. 8. it. Marc. 15, 40. ubi *Theophylacto* auctore Supplendum est *δοκοῦσα μήτηρ.*

5) Marc. 15, 47. ut Luc. 24, 10. *Μαρία Ἰακώβου.*

6) Lysistrat. 63.

7) Matth. 1, 6. ubi v. *Pricaeus.*

8) Ioh. 19, 25.

9) Aen. 3, 319.

10) epistt. 2, 20, 1. Conf. *Tacit.* annall. 4, 11, 5. ubi sic est „Apicata Seiani." et *Suet.* Caes. 50.

11) Iliad. ζ, 460.

12) orat. in Diogitonem p. 907. ed. *Reisk.* coll. p. 908. extr.

13) Euangel. 6, 16. et Act. 1, 13.

14) Epistt. 2, 2. extr.

15) Panathen. c. 78.

16) 11, p. 501. A. et 15, p. 680. D.

17) ad *Aristot.* categorias s. praedicamenta fol. 1. a. ed. Basil. 1551. fol.

tarchum[18]). Alia huius generis exempla attulit *Ionsius*[19]), qui idem putat, non raro omissum sic esse nomen διδάσκαλος, ita ut v. c. Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἡφαιστίωνος non sit Hephaestionis filius, sed Hephaestionis praeceptor [20]).

Interdum supplendum est nomen δοῦλος siue ἀκόλουθος, v. c. οἱ τοῦ Κρίτωνος apud *Platonem* [21]) sunt Critonis pedissequi, interprete *Fischero*. Apud *Lysiam* [22]): ἐγένετο ὁ Εὐμάρης Νικοκλέους καὶ Ἀντικλέους. Apud *Andocidem* [23]): Λυδὸς ὁ Φερεκλέους. Apud *Herodotum* [24]): οὗτος (Aesopus) Ἰάδμονος ἐγένετο. Apud *Lucianum* [25]): Τάλως ὁ Μίνωος. Sic apud *Plautum* [26]) legitur: „Palinurus Phaedromi," et apud *Terentium*[27]): „huius Byrrhiam." ubi etiam *Donatus* animaduertit, deesse *seruum* [28]).

Eodem modo est quando nomen δούλη omittitur, ut apud *Demosthenem* [29]): Νέαιρα Νικαρέτης ἦν. et apud *Aristophanem* [30]): τὴν Στρυμοδώρου Θρᾶτταν.

Rarius est, quod omittitur nomen φίλος, ut cum Eusebius passim dicitur ὁ Παμφίλου, et Latine quoque „Eusebius Pamphili." [31]) Similia videntur verba *Pauli*

18) de musica c. 23. T. II. Opp. p. 1139. B.

19) *Ionsius* in libro laudato 1, 2, 6. p. 16. et 3, 8, 2. nr. 17. p. 44. Add. *Schaefer.* ad *Bosii* Ellips. Graec. p. 261.

20) v. *Ionsius* 1, 2, 5. p. 16. et 2, 17, 3. p. 248. et 3, 1, 3. p. 3. sq.

21) in Phaedone c. 3. p. 244. ed. *Fischer.*

22) adu. Agoratum p. 487. edit. *Reisk.*

23) de mysteriis p. 8. extr. ed. *Reisk.*

24) 2, 134. ubi vid. *Valckenar.*

25) in Philopseude c. 19. T. III. Opp. p. 47, 71. de quo loco vid. *Brunck.* ad *Apollon. Rhod.* 4, 1643. Conf. *Schaefer.* l. l. pag. 118. Sic apud *Sophocl.* Oedip. Tyr. v. 1033. τῶν Λαΐου. ubi *Scholiastes*: οἰκετῶν δηλονότι.

26) in Curculione 2, 1, 5.

27) in Andria 2, 2, 20.

28) Aliud huius generis exemplum attulit *Munckerus* ad *Hygin.* fabul. 81. p. 133.

29) p. 1351, 20. edit. *Reisk.*

30) Acharnn. v. 272.

31) v. omnino *Martin. Hankius* de Byzantinarum rerum scriptoribus Graecis, (Lips. 1677. 4.) p. 1—5. et *Fabricius* Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 335. edit. *Harles.*

apostoli [32]): *ἐδηλώθη μοι ὑπὸ τῶν Χλόης*, h. e. a familiaribus vel domesticis Chloes.

Neque vero Graeci veteres hanc solam ob causam, ne plures homines cognomines inter se confunderentur, horum nominibus nomina patris matrisue apposuisse putandi sunt, verum etiam ideo, ut quidam iis honor conciliaretur vel accederet. Agamemnon v. c. apud *Homerum* [33]), ubi Menelaum iubet militum animos confirmare, monet ut id faciat

πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον,
πάντας κυδαίνων.

Unde *Aelianus* [34]) Dithyrambum non proprio nomine appellat, sed Harmatidii Thespiensis filium simpliciter, atque ubi Dithyrambi istius fortitudinem laudauit, addit haec: *πατρόθεν οὖν τὸν νεανίαν προσεῖπον, κυδαίνων αὐτὸν Ὁμηρικῶς.* Sic *Plutarchus* [35]): *τὴν σοφὴν καὶ περιβόητον ἀγνοεῖς Εὔμητιν; οὕτω γὰρ ταύτην ὁ πατὴρ αὐτὸς, οἱ δὲ πολλοὶ πατρόθεν ὀνομάζουσι Κλεοβουλήνην.* Patris enim nomen erat *Κλεόβουλος*. Idem *Plutarchus* [36]): *τὴν Κορινθίαν Εὔμητιν, ἄχρι νῦν Κλεοβούλην πατρόθεν οἱ πλεῖστοι καλοῦσιν.* Sequitur, ut ante omnia de reliquis notis similibus, quas Graeci hominum nominibus addere consueuisse leguntur, exponamus.

Altera igitur ratio, qua plures cognomines homines a se inuicem distinguebantur, erat haec, ut hominum nominibus adderetur patriae nomen. Cuius generis exempla cum itidem reperiantur innumera apud veteres, pauca afferenda putaui, ut, quomodo verba mea intelligi

32) 1 Corinth. 1, 11. *Lamb. Bos.* libro laudato p. 336. edit. *Schaefer.* *οἰκείων* suppleri hoc loco iubet, ut Rom. 16, 10.

33) Iliad. *κ*, 68. 69.

34) Var. Hist. 6, 2.

35) in Conuiuio septem sapientum, c. 3. T. II. Opp. p. 148. D. (Vol. VIII. opp. ed. *Hutten.* p. 7.) ubi tamen, ut in sequenti *Plutarchi* loco, praeferendam putabam alteram lectionem, *Κλεοβουλίνην.* Nam sic vocatur ap. *Diog. Laert.* 1, 89. Conf. infra ad not. 205. *Wyttenbachius* vero in Animaduerss. T. I. p. 922. defendit formam *Κλεοβουλήνη.*

36) de Pythiae oraculis c. 14. T. II. p. 401. B. (Vol. IX. p. 270.)

velim, recte tirones perspiciant. Apud *Xenophontem*[37]) memoratur *Σοφαίνετος ὁ Στυμφάλιος, Σωκράτης ὁ Ἀχαιὸς, Πασίων ὁ Μεγαρεύς.* Idem Sophaenetus paulo post [38]) vocatur ὁ *Ἀρκάς.* Nam Stymphalum erat Arcadiae oppidum. In alio eiusdem historici loco [39]) inueniuntur *Πρόξενος Βοιώτιος, Μένων Θετταλὸς, Ἀγίας Ἀρκὰς, Κλέαρχος Λάκων, Σωκράτης Ἀχαιός.* Et [40]) *Κλεάνωρ Ὀρχομένιος*, atque *Ξενοφῶν Ἀθηναῖος.* Item [41]) *Ἀριστώνυμος Μεθυδριεὺς, Ἀριστέας Χῖος, Νικόμαχος Οἰταῖος.* Item [42]) *Καλλίμαχος Παῤῥάσιος, Ἀγασίας ὁ Στυμφάλιος.* Item [43]) *Φιλήσιος καὶ Λύκων οἱ Ἀχαιοί.* Item [44]) *Λυκόφρων ὁ Φεραῖος.* Item [45]) *Θεμιστογένης ὁ Συρακούσιος.* Notissimum est *Πλούταρχος ὁ Χαιρωνεύς.* Apparet igitur, modo nomen nationis vel regionis, modo urbis nomen, siue addito siue omisso articulo, adiici. Sed interdum etiam additur utrumque, ut apud *Xenophontem*[46]) *Εὐρύλοχος Λουσιεὺς Ἀρκάς.* Et [47]) *Ἀριστώνυμος Μεθυδριεὺς Ἀρκὰς, Ἀγασίας Στυμφάλιος Ἀρκὰς, Καλλίμαχος Παῤῥάσιος Ἀρκὰς, Ἀγασίας Στυμφάλιος Ἀρκάς.* Similiter interdum Atheniensium nominibus additur nomen *δήμου* siue pagi, unde oriundi sunt, veluti apud *Platonem* [48]) *Ἀντιφῶν ὁ Κηφισιεὺς*, a quo distinguendus est *Ἀντιφῶν ὁ Ῥαμνούσιος* [49]). Item *ὁ Φαληρεὺς Ἀπολλόδωρος* [50]), *Ἀριστόδημος Κυδαθηνεὺς* [51]), *Καλλικλῆς ὁ Ἀχαρνεὺς* [52]), *Χαρμαντίδης*

37) in Anabasi 1, 2, 3.
38) §. 9.
39) Anab. 2, 5, 7.
40) ibid. §. 10.
41) Anab. 4, 6, 14.
42) Anab. 4, 7, 6.
43) Anab. 5, 6, 14.
44) Hist. Graec. 2, 3, 3.
45) Hist. Graec. 3, 1, 1.
46) Anab. 4, 2, 13.
47) Anab. 4, 1, 19.
48) Apolog. Socrat. T. I. p. 33. E. edit. *Henr. Steph.*
49) *Plat.* in Menexeno T. II. p. 236. A.
50) *Plat.* Sympos. T. III. p. 172. A.
51) *Plat.* Sympos. T. III. p. 173. B.
52) *Plat.* in Gorgia T. I. p. 495. D.

ὁ Παιανιεὺς [53]), *Δημοκράτης ὁ Αἰξωνεὺς* [54]), *Ἐρυξίας ὁ Στειριεὺς* [55]), *Εὐφρόνιος ὁ Σουνιεὺς* [56]), *Λυσανίας ὁ Σφήττιος* [57]), *Ναυσικύδης ὁ Χολαργεὺς* [58]), *Φαῖδρος ὁ Μυῤῥινούσιος* [59]), *Σωκράτης ὁ Ἀλωπεκῆθεν* [60]), *Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεύς* [61]). Tribus quoque siue *φυλῆς*, e qua quis fuit, nomen nonnunquam additur, v. c. apud *Xenophontem* [62]): *Καλλίστρατον, φυλῆς Λεοντίδος*. Quae quidem omnia ubi facta sunt, perspicuitatis causa facta esse facile patet.

Multum vero obscuritatis pro perspicuitate nobis offundi querimur tum, cum unum hominem duplici vel etiam triplici gentis siue regionis, e qua fuerit quamue incoluerit, nomine appellatum esse legimus. Quae res

53) *Plat.* lib. 1. de rep. T. II. p. 328. B.

54) *Plat.* in Lyside T. II. p. 204. E.

55) *Plat.* in Eryxia T. III. p. 392. A. Conf. quos laudat *Morus* ad *Xenoph.* histor. Graec. 4, 8, 25.

56) *Plat.* in Theaeteto T. I. p. 144. C.

57) *Plat.* apol. Socr. T. I. p. 33. E.

58) *Plat.* in Gorgia T. I. p. 487. C.

59) *Plat.* in Protagora T. I. p. 315. C. et saepius.

60) *Plat.* in Gorgia T. I. p. 495. D.

61) in *Demosthenis* oratione de corona c. 9. 26. 30. etc. *Schol. Platon.* p. 102. sq. ed. *Ruhnk.* *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων ἢ νόμων εἰσηγήσει, ὁ κήρυξ ἐπὶ μὲν τοῦ πρώτου ψηφίσματος ἢ νόμου, τό τε ὄνομα τοῦ ψηφιζομένου καὶ τιθέντος τὸν νόμον, καὶ δὴ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ τοῦ δήμου ἔλεγεν, οἷον, Δημοσθένης Δημοσθένους, Παιανιεὺς, ψηφίζεται τάδε. εἰ δὲ ἔμελλε πάλιν ὁ αὐτὸς ψηφίζεσθαι, ἔλεγεν ὁ κήρυξ, ἵνα μὴ περιττολογῇ· τὰ μὲν ἄλλα κατὰ τὰ αὐτὰ, ψηφίζεται δὲ καὶ τάδε.* Conf. *Demosth.* p. 996, 32. et 1115, 22. edit. *Reisk.* [Nemo absque ea solemnitate vel legem unquam rogauit, aut testimonium dixit, aut testamentum signauit, aut reum peregit, aut magistratum gessit, aut magistratui erat a manu. v. *Brodaeus* miscell. 6, 5. *Taylor* ad marmor Sandwicense p. 59. Conf. *Plutarch.* Themistocl. ab initio. Romani etiam moris erat, ut ex fragmento legis Seruiliae apparet, ciuem Romanum *patre*, *tribu* et *cognomine* ostendere. v. *Asconius* in *Ciceronis* prooemium actionis primae in Verrem c. 8. Nempe haec erat series: praenomen cum nomine; praenomen item patris, aliquando etiam aui; deinde tribus sexto casu, ultimo demum cognomen. v. *Taylor* l. l. et *Wesselingii* probabil. c. 15. *Harl.*]

62) Hist. Graec. 2, 4, 18.

quantopere et quoties turbet in rebus antiquis, dici non potest. Itaque nec pigebit, tironum causa paulo plura huius consuetudinis exempla afferre, quorum multa petii ex *Iohannis Ionsii* opere de scriptoribus historiae philosophicae [63]). Apollonius, Argonauticorum scriptor, vulgo quidem Rhodius vocatur, quia in Rhodo ius ciuitatis adeptus et rhetoricam ibi professus est, sed a *Suida* [64]) Ἀλεξανδρεὺς, Alexandrinus, haud dubie ideo, quod vel Alexandriae quoque doctorem egit atque adeo aliquamdiu commoratus, vel, ut *Strabo* [65]) dicit, ibi natus est, ab *Athenaeo* [66]) denique et *Aeliano* [67]) nominatur Ῥόδιος ἢ Ναυκρατίτης, quia Naucratide, Aegypti oppido, vel diu vixit, vel natus erat. Unde apud *Theophilum* [68]) omnino vocatur ὁ Αἰγύπτιος. Hunc igitur Apollonium quatuor nominibus gentilibus donarunt veteres. Sed fecit haec nominum multitudo, ut *Meursius*, quamuis alias insigniter in his rebus exercitatus, Alexandrinum Apollonium a Rhodio putaret esse diuersum [69]). Sic Dionysius grammaticus, Thrax, h. e. patre Threicio usus, qui et ipse fuit Alexandrinus, tamen vulgo dictus est Rhodius. Posidonius, philosophus Stoicus, Apameae in Syria natus, plerumque Rhodius nominabatur, quia in Rhodo docuit et in ciuitatem receptus fuit. Simmias, gente Samius, itidem Rhodius dictus esse legitur. Herodotus, quem Halicarnasseum esse constat, postea reperitur Thurius vocatus esse, quoniam socium se praebuit coloniae in Thurios deducendae [70]). Dionysodorus, qui a *Platone* [71]) Chius dicitur, ab eodem [72]) appellatur Thurius, quia, ut in priore loco narratur, ad Thurios aliquando migraue-

63) 1, 2, 6, p. 16—19.
64) in v. Ἀπολλώνιος.
65) lib. 14. p. 655. ed. Paris. 1620. fol.
66) Deipnosophist. 7, 7. p. 283. D.
67) Hist. animal. 15, 23.
68) ad Autolycum lib. 3. p. 127. C. p. 136. C. ed. Colon. 1686. fol.
69) v. *Voss.* de historicis Graecis 1, 16. p. 101.
70) v. *Strabo* lib. 14. p. 655. D. et 656. C.
71) in Euthydemo T. I. p. 271.
72) ibid. p. 283. E.

rat [73]. Thurius etiam esse dicitur a nonnullis Charondas, legislator nobilissimus, verbi causa a *Valerio Maximo* [74]), quanquam *Aristotele* [75]) auctore patria eius fuit Catana, urbs Siciliae. Linus, Chalcide ortus, cum diu Thebis manserit et humatus ibi fuerit, Thebanus vocari consueuit [76]). Pythagoras saepius appellatur Samius, quia Sami ius ciuitatis habebat, quam Tyrrhenus, quamuis ortu Tyrrhenus esset. Scilicet, ut dicit *Cicero* [77]), „omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam, „naturae: alteram, ciuitatis.“ Et post pauca interiecta: „ut Attici, postquam Theseus eos demigrare ex agris, et „in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, et „Sunii erant iidem et Attici: sic nos et eam patriam „dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus.“ Epigonus, qui natura Ambraciota erat, Sicyonius dicitur, quod Sicyone in ciuium numerum adscitus esset. Epicurus patria Atheniensis, populo siue pago Gargettius fuit: *Strabo* [78]) tamen eum quodammodo Lampsacenum esse tradit, quod diu Lampsaci commoratus sit, scholamque ibi aperuerit. Aristarchus grammaticus, natione Samothrax, habitauit Alexandriae ideoque Alexandrinus dictus est. Clemens ille, qui vulgo Alexandrinus vocatur, quia scholam ecclesiasticam, quae florebat Alexandriae, regebat, et ecclesiae Alexandrinae presbyter erat, vere fuit patria Atheniensis. Quin accipiebant nonnulli nomen ab urbe vel regione vicina, v. c. Diogenes Stoicus, Seleuciae natus, nominatus est Babylonius propter viciniam [79]). Pausanias, qui Caesareae in Cappadocia natus erat, videtur idem esse, qui apud *Galenum* ἀπὸ τῆς Συρίας σοφιστής, et a *Constantino Porphyrogenito* Damascenus appellatur [80]). Alii, quos vilioris suae patriae puderet,

73) Cf. ibid. p. 288. A.
74) 6, 5, ext. 4.
75) Politic. 2, 12.
76) v. *Pausan.* 9, 29. extr.
77) de legibus 2, 2.
78) lib. 13, p. 589.
79) v. *Diog. Laert.* 6, 81.
80) v. *Fabricii* biblioth. Graec. Vol. V. p. 307. ed. *Harles.*

nobiliorem mentiebantur: id quod docent haec *Nicolai Damasceni* [81]) verba: σοφισταὶ μεγάλοις τιμήμασιν ἐωνοῦντο Ἀθηναῖοι ἢ Ῥόδιοι καλεῖσθαι, βαρυνόμενοι τὴν ἀδοξίαν τῶν πατρίδων. Ἔνιοι δὲ καὶ συνέγραψαν περὶ τοῦ μὴ εἶναι ἀφ' ἧς πόλεως ἦσαν, ἀλλ' ἀπό τινος τῶν δι ὀνόματος Ἑλληνίδων. Nec desunt exempla. Nam Apion quidem, contra quem *Fl. Iosephus* scripsit duo libros de antiquitate Iudaeorum, natus erat Oasi, Aegypti oppido, sed Alexandrinum se mentitus est, auctore *Iosepho* [82]). Theodorus Gadaraeus se dici maluit Rhodium [83]). Et fortassis Porphyrius quoque, de cuius patria inter viros doctos controuersia est [84]), cum ipse se Tyrium vocauerit, ab aliis autem Bataneotes fuisse dicatur, simili vanitate ductus urbem illustriorem sibi patriam esse voluit. Artemidorus contra, cum Ephesi natus esset, Daldianum se nominari maluit, quia mater eius in oppido Daldia nata.[85]) Aliis nomina gentilia siue a patria deducta sensim adhaerere coeperunt pro propriis, ut cum Stobaeus simpliciter dicitur pro Iohanne Stobaeo, Corinthius pro Gregorio siue Georgio Corinthio, h. e. Corinthi metropolita, ὁ Ἀσκαλωνίτης pro Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκ. [86]) et sic porro. Similiter apud *Ouidium* [87]) Aetolius heros est Diomedes, et Narycius heros significat Aiacem, Oilei filium, regem Locrensium, quia Naryx siue Narycium fuit Locrorum oppidum. Alia huius generis exempla, in scriptoribus antiquis utriusque linguae, maxime in poetis, inueniri facile a quolibet possunt.

Iam antequam de causis ipsorum nominum propriorum exponerem, praemittenda quaedam videbantur de

81) in *Constantini Porphyrogennetae* excerptis, quae *Henr. Valesius* cum versione latina et notis edidit Paris. 1634. 4. p. 422.

82) contra Apionem lib. 2. p. 1363. ed. *Hudson.*

83) v. *Quintil.* 3, 1, 17.

84) v. *Fabric.* biblioth. Graec. Vol. V. p. 725. sq. et p. 735 ed. *Harles.* Cf. quae breuiter dixi in prima Prolusione de vestigiis doctrinae de animi humani immortalitate in Homeri carminibus p. 4.

85) v. *Artemidor.* 3, 66. extr.

86) v. *Schol. Villois.* ad Il. ε, 76. coll. Schol. ad γ, 155.

87) metamm. 14, 461. et 463.

eorundem forma. Saepe enim nomina propria formam patronymicorum habuisse reperiuntur, quamuis ille, qui tali nomine uteretur, non filius neposue eius esset, a cuius nomine patronymicum ductum est. *Priscianus* [88]) iam ita praecepit: „Inueniuntur quaedam nomina formae „patronymicorum, significatione denominatiua.“ Et post pauca: „Sunt autem alia, quae cum sint patronymica, in „aliis accipiuntur propria, ut Timarchides Timarchi „filius, et Timarchides proprium nomen.“ Sic *Ἀγαθαρχίδης* non semper significat Agatharchi filium aut nepotem. Eodem modo *Ἀναξανδρίδης*, *Ἀπολλωνίδης*, *Δρωπίδης*, *Ἐρασινίδης*, *Ζωτίδης*, *Κλεανδρίδης*, *Νικαρχίδης*, *Οἰνοπίδης*, *Φειδιππίδης*, *Φιλημονίδης*, *Φιλιππίδης*, etc. Huc etiam pertinet nomen *Ἡρώδης*. *Etymologicon Magnum* et ex eo *Phauorinus* [89]): *Ἥρως Ἡρωΐδης, καὶ συναιρέσει Ἡρώδης*. Praeter hanc formam reperiuntur etiam nomina propria ex alia patronymicorum forma, ut *Καλλιάδης* [90]), *Κεάδης*, *Στρεψιάδης*. Alia ad modum Ionicorum patronymicorum formata, veluti *Μελανίων*, *Ὠρίων* etc. Alia ex forma Boeotica siue Dorica, vel Macedonica, qualia sunt *Ἀγγενίδας*, *Ἀνταλκίδας*, *Ἀντιγενίδας*, *Δαμονίδας*, *Εὐδαιμονίδας*, *Ἰολλίδας*, *Ἡγησανδρίδας*, *Θρασωνίδας*, *Πελοπίδας*. Rursus aliter Boeotice formata, ut *Ἐπαμεινών-*

88) lib. 2. p. 54. (p. 78. sq. edit. *Krehl.* qui edidit „quae cum sint „in aliis patronymica, accipiuntur propria.“) Cf. *Hesych.* in v. *Φιλομηλιάδης*.

89) in v. *Ἀτρείδης*. Sic *Etymol. M.* p. 457. extr. (p. 397, 56. ed. Lips. *Ἡρῴδης, ἔχει τὸ ῑ προσγεγραμμένον. ἔστι γὰρ ἥρως, ἥρωος, ἥρωϊ: καὶ γίνεται ἡρωΐδης· καὶ κατὰ συναίρεσιν τοῦ ω̄ καὶ ῑ εἰς τὴν ω̄ δίφθογγον, ἡρῴδης*. Ibidem, ut in loco priore, affertur nomen *Μινῴδης*, tanquam ex *Μινωΐδης* contractum. Multo rarior est forma patronymica *Εὐρυπῴδης*, ipsa quoque ex *Εὐρυποΐδης* nata. Bene enim auctor *Etymologici M.* p. 397, (359,) 12. haec scripsit: *Εὐρυπῴδης. ἔστιν Εὐρύπων Εὐρύποντος Εὐρυποντίδης· καὶ κατὰ συγκοπὴν, Εὐρυποΐδης· καὶ κατὰ συναίρεσιν τοῦ ο̄ καὶ ῑ, καὶ ἐκτάσει πάλιν τοῦ ο̄ εἰς ω̄, Ηὐρυπῴδης*. Conf. *Valckenar.* ad *Herodot.* 8, 131. Patet igitur, Herodis nomen, quod vulgo *Ἡρώδης* scribi solet, rectius scribi *Ἡρῴδης*.

90) v. *Plat.* Alcibiad. I. T. II. p. 119. A. ubi adeo Calliades est Calliae pater.

δας, Ἡρώνδας, Καλλιώνδας, Χαρώνδας, Δαιτώνδας, Ἑρμαιώνδας, Ἀρχώνδας, Σθενώνδας, Φιλώνδας, Φρυνώνδας. Etiam feminina interdum habent formam patronymicorum. *Priscianus*[91]) hanc in rem affert nomina Βακχὶς, Δωρὶς, Πυθιὰς, et apud *Plutarchum*[92]) memoratur Τρωϊάς. Quae tamen omnia, praeter Βακχὶς, possint aeque recte ad ea nomina propria referri, quae nominum gentilium formam habent. Rectius huc refertur, quod multi viri docti erudite obseruarunt[93]), nomina formae patronymicae nonnunquam ab antiquis scriptoribus commutari cum formae primitiuae nominibus. Agnon, verbi causa, orator Atheniensis Phocionis aetate, vocatur etiam Agnonides, et Democles, alius orator, Democlides quoque nominatur[94]). Qui in *Xenophontis* symposio Φίλιππος, is apud *Athenaeum*[95]) dicitur Φιλιππίδης. Qui Παλαίμων *Apollodoro*[96]), is Παλαιμόνιος est *Apollonio Rhodio*[97]) et *Hygino*[98]). Promiscue item ponuntur Κλέανδρος et Κλεανδρίδης, Φρασικλῆς et Φρασικλείδης, Εὔβουλος et Εὐβουλίδης, Λυσίμαχος et Λυσιμαχίδης, Τεύταμος et Τευταμίδης, Μαίανδρος et Μαιάνδρος et Μαιανδρίδης, Σίμιχος et Σιμιχίδης, Θέσπιος et Θεσπιάδης[99]), Καλλίας et Καλλιάδης, Νικόμαχος et Νικομαχίδης[100]), Φαίδων et Φαιδώνδης[101]). Sic Dores patronymica forma Ἡρώνδαν vocant Herodem illum iambographum, quem laudat *Plinius minor*[102]),

91) lib. 2. p. 57. (p. 83.)

92) in vita Pyrrhi c. 1.

93) v. c. *Hemsterhusius* ad *Lucian.* T. I. p. 157. et *Wesseling* ad *Diodor. Sicul.* T. I. p. 509. et T. II. p. 34. it. *Koen.* ad *Gregor.* de dialectis p. 133. (p. 290. edit. *Schaefer.*) et *Fischer.* ad *Weller.* Spec. III. P. I. p. 298.

94) v. *Ruhnken.* historia critica oratorum Graecorum p. 165. sq. ed. *Reisk.* in Oratorum Graecorum Volumine VIII.

95) 1, p. 20. A.

96) 1, 9, 16.

97) Argon. 1, 202.

98) fabul. 14.

99) v. *Hemsterhus.* ad *Aristoph.* Plut. p. 325.

100) v. *Taylor* et *Reisk.* ad *Lys.* p. 836. et 848.

101) v. *Ruhnken.* ad *Xenoph.* memm. 1, 2, 48.

102) 4, epist. 3.

et quem nonnulli [103]) cum Herode Attico confundunt [104]).

Alia nomina propria habent formam gentilium, ita ut homines, qui iis utebantur, non semper putandi sint ex illa regione vel urbe, unde nomina ducta sunt, oriundi fuisse, prorsus ut hodie interdum filiae a parentibus accipiunt nomina Magdalenae, Sidoniae, et alia talia [105]). *Ἀργεῖος* enim apud *Xenophontem* [106]) est Elide dux factionis, neque videtur gente Argiuus fuisse. *Βοιώτιος* apud eundem [107]) est Lacedaemoniorum legatus ad regem Persarum. *Λίβυς* [108]) itidem Lacedaemoniorum praefectus, non gente Afer. *Λύκιος* non est homo in Lycia natus, sed vel Syracusanus [109]), vel Atheniensis [110]). *Σάμιος* est nomen praefecti classis Lacedaemoniorum [111]), *Σκύθης* [112]) dux tironum grauiter armatorum apud eosdem. *Παῤῥάσιος* [113]) pictor Athenis, non Parrhasiae in Arcadia, fuit, et Ephesi natus erat. [114]) *Ὀλύμπικος* [115]), et Dorica forma *Ὀλύμπιχος*, oriundus erat Mileto. Huc etiam re-

103) ut *Fabricius* biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 710. Vid. ibi *Harles.* Vol. IX. p. 617.

104) v. *Ruhnken.* hist. crit. oratorum Graec. p. 172. sq. qui de ista Dorica nominum forma laudat *Hemsterhusium* ad *Callimachi* fragmm. p. 590. et *Valkenarium* ad *Euripid.* Phoeniss. p. 764.

105) *Hemsterh.* ad *Lucian.* T. I. p. 133. affert *Σέλλος*, *Ἕλλην*, *Λάκων*, *Ἀττικος*. quae tamen sunt seruorum nomina.

106) Hist. Graec. 7, 4, 15.

107) ibidem 1, 4, 1.

108) ibidem 2, 4, 19. Sic *Αἰγύπτιος* ap. *Homer.* Odyss. *β*, 15. natione videtur Ithacensis fuisse.

109) v. *Xenoph.* Anab. 1, 10, 9.

110) v. *Xenoph.* Anab. 3, 3, 12.

111) v. *Xenoph.* hist. Graec. 3, 1, 1.

112) v. *Xenoph.* hist. Graec. 3, 4, 20.

113) v. *Xenoph.* memm. 3, 10, 1.

114) v. *Plin.* H. N. 35, 10.

115) Ita scribi vult *Schaeferus* ad *Gregor.* de Dialectis p. 292. Recte. Sed apud *Plutarchum* de sera numinis vindicta c. 3. *Huttenus* et *Wyttenbachius* dederunt *Ὀλυμπικὸς*, cum antiquiores editiones *Ὀλυμπιακὸς* habeant. Sic nomen medici Milesii apud *Galenum* in Introductione s. Medico T. IV. p. 373. *Ὀλυμπιακὸς* scribitur, sed T. IV. p. 43.

ferendum videtur nomen *Γελλίας* [116]. Ita enim, vel potius per digamma Aeolicum *Fελλίας*, non *Τελλίας*, scribi debet nomen hominis Siculi [117]. *Ἑλλὰς* est mater hominis Eretriensis [118]. *Ἑλλανὶς* est Lesbia femina [119]. *Priscianus* loco not. 91. laudato attulit *Αἱμονὶς*, *Θεσσαλὶς*, *Κολχὶς*, *Ἀργολὶς*, *Κυκλὰς*, *Ἰὰς*, *Τρωάς*. De feminarum nominibus *Δωρὶς* et *Τρωϊὰς* monui paulo ante. Interdum tamen accidit, ut nomen proprium, quod habet formam nominis gentilis, simul sit vere gentile. Cuius generis memorabile exemplum suppeditat idem *Xenophon* [120]: *ἀνὴρ Μυσὸς τὸ γένος*, inquiens, *καὶ τοὔνομα τοῦτο ἔχων*. Quamuis enim hoc non sit hominis proprie Graeci, tamen neque inter Graecos talia defuisse probabile videretur, etiamsi nullum statim exemplum mihi succurreret. Certe *Ἴων* et genere et nomine fuit poeta notissimus. Natus enim erat Chii, quae urbs erat Ionum [121].

Saepe in his nominibus, quae forma gentilia sunt, ubi propriorum loco ponuntur, accentus in alia syllaba poni solet. *Ἑλλανικὸς* enim videtur proprie nihil esse nisi *Ἑλληνικὸς*, h. e. homo Graecus, sed ubi vim nominis proprii accipit, scribitur *Ἑλλάνικος*. Hanc meam de Hellanici nomine sententiam, ante plus quam viginti annos primum propositam, alii amplexi sunt, ut *Passouius* [122], alii impugnarunt, ut *Osannus* [123]. Et hic quidem quibus armis id fecerit, breuiter ostendere visum

et 45. *Ὀλυμπικός*. De forma Dorica *Ὀλύμπιχος* vid. *Etymol. M.* p. 523, 39. An vero etiam *Ἀχάϊκος* pro *Ἀχαϊκὸς* 1 Corinth. 16, 17. nomen viri scribendum sit, dubitare vix licet.

116) de quo vid. *Diodor. Sicul.* 13, 83.

117) ut apud *Athenaeum* 1, p. 4. A. et *Suidam* in *Ἀθήναιος* et *Τελλίας*. Neque *Gillias* recte scribitur in libris *Valerii Maximi* 4, 8, ext. 2.

118) apud *Xenophont.* Anab. 7, 8, 4.

119) in *Brunckii* Analectt. poetarum Graec. Vol. III. p. 64. in *Agathiae* carmine LXXXII.

120) Anab. 5, 3, 1.

121) quod diserte dicit *Herodotus* 2, 178.

122) in Ephemerid. Litter. Ienens. anni 1816. Nr. 15. p. 117.

123) in Notis ad *Philemonis* quae supersunt p. 250. sq. item *Lobeck* in Parergis ad *Phrynichum* p. 670.

est, quia quaestio pertinet etiam ad Hellanicum illum historicum, cuius operum reliquias ipse olim collegi, collectasque edidi. Primum igitur argumentum est hoc, quod aliud exemplum adiectiui gentilis in κος desinentis desideretur, quod idem proprium sit. Alterum petitum est a quantitate syllabae penultimae, quae producatur ab *Iohanne Tzetza*, poeta quidem pessimo, sed docto tamen homine, in Posthomericis [124]:

κείνῃ νυκτὶ ὁ Λέσβιος Ἑλλάνικος ἀείδει.

Inde enim apparere nominis ex Ἕλλην et νικᾶν originem, ita ut ex Ἑλληνόνικος contractum sit Ἑλλήνικος, Dorice Ἑλλάνικος, sicuti μώνυχας *Homerus* dixerit pro μονώνυχας. At primo illo argumento, quod a forma nominis desumtum esse dixi, non est quod moueamur. Nam eodem modo nomina Ὀλύμπικος, et Ἄττικος, et Ἰωνικὸς (apud *Eunapium* p. 106.) et Ἀχαϊκὸς, et Ἑλλάδικος pariter adiectiua gentilia ac nomina propria virorum sunt, non minus quam Αἴνικος, cuius mentio paulo post fiet iterum. Hoc enim cum proprie sit adiectiuum gentile oppidi Αἰνία siue Αἴνιον, fuit tamen idem nomen Atheniensis, poetae comici. Quam parua autem vel potius nulla sit *Tzetzae* in re metrica auctoritas, perspicuum est ex hoc eiusdem carminis versu [125]:

Ἑλλάνικος, Λυσίας δὲ καὶ ἄλλοι ἄνδρες ἀγανοί.

ubi non tantum penultima, sed adeo, id quod pessimum est, antepenultima syllaba correpta apparet. Posse vero penultimam recte produci, quamuis nomen ex adiectiuo gentili factum sit hominis proprium, satis docent haec *Theognosti* verba [126]: τὰ εἰς κος λήγοντα καθαρόν — ὅσα μὲν μακρὸν ἔχει τὸ ῑ, σημειούμεθα, ὡς ἔχει τὸ Αἰνικὸς (ὄνομα ποιητοῦ), Κάϊκος, Τρήνικος (ὀνόματα ποταμῶν), Ἑλλάνικος, Φίλικος (ὄνομα κύριον· τὸ γαρ κτητικὸν ὀξύνε-

124) vers. 778. quem locum ego quoque in *Hellanico* meo p. 152. ex *Dodwelli* opere de veteribus Graecorum Romanorumque cyclis attuleram.

125) Posthomeric. v. 14.

126) in *Bekkeri* Anecdotorum Graecorum Vol. III. p. 1369. ubi Αἴνικος est scribendum.

τρεῖ; καὶ βραχὺ ἔχει τὸ ῑ). Eadem ratio est feminini Ἑλλανίκη [127]), quae tamen Alexandri M. nutrix, soror Cliti, ab aliis rectius vocatur Λανίκη, hoc est, Λαονίκη [128]). Si enim vere illa Ἑλλανίκη nominata esset, non differret hoc nomen a nomine Ἑλλανίς, quod paulo ante retuli. Iam tutissimum quidem est rem omnem in ambiguo relinquere, praeeunte *Etymologici Magni auctore* [129]): Ἑλλάνικος, ἀπὸ τοῦ Ἑλληνικός. ἢ ἀπὸ Ἕλλην Ἕλληνος καὶ τοῦ νίκη, γέγονεν Ἑλλανόνικος· καὶ συγκοπῇ, Ἑλλάνικος. Cum tamen veteres Graeci filiis non temere, sed consilio et ominis causa nomina imposuerint, vix concoquere possum nomen, quod significet *Graeciae* vel *Graecorum victorem*, quippe quale nomen aduersaretur summae illi in patriam pietati, qua Graecos antiquos excelluisse constat. (Conf. *Procli* Scholia in *Platonis* Cratylum, ab *Ioh. Fr. Boissonadio*, Lipsiae 1820. 8. edita, cap. 83. p. 43. et cap. 86. p. 46.) nisi forte alteram nominis partem de victoria improprie dicta, seu praestantia, malis interpretari, quod sane non raro faciendum esse infra patebit, ut in nominibus Δημόνικος, Νικόδημος, et similibus. Minus certe ferenda videbatur *Freinshemii* [130]) sententia: „Hellanicen fuisse vo„catam fortassis a victoria aliqua, quam quidam priorum „Macedoniae regum de Graecis reportauerit.“ Neque enim omnes Hellanici fuere Macedones. His omnibus accurate perpensis, nomen Ἑλλάνικος ex gentili adiectiuo proprium hominis factum esse arbitror, neque vero necesse esse ut syllaba eius penultima corripiatur. — Sed enumeranda sunt etiam alia nomina hominum propria e gentilibus orta, quorum accentibus alia sedes data est.

127) apud *Curtium* 8, 1, 21.

128) Vid. interpp. *Aeliani* Var. Hist. 12, 26. Mirum anachronismum commisit *Scholiastes in Platonem* p. 77. Nimirum cum *Plato* Alcibiad. I. Tom. II. Opp. p. 121. D. γυναικὸς τροφοῦ ὀλίγου ἀξίας ita mentionem fecisset, ut regis Persarum filium a tali muliercula nutriri solere negauerit, Scholiorum auctor addidit haec: αὕτη Λάκαινα τὸ γένος ἦν, Λανικὴ (scrib. Λανίκη) καλουμένη, quasi de Philippi filiolo Alexandro dixisset Plato.

129) p. 300, 16. edit. Lips. ubi bis male Ἑλλανικὸς scriptum est.

130) ad *Curtii* locum laudatum.

Ἀχαιὸς gentile est oxytonon, cum vero est nomen viri [131]), scribi solet, vel saltem debet, Ἄχαιος. Sic Θέσσαλος, ubi viri nomen est, recte scribitur, sed cum gentile, Θεσσαλός. [132]) Ἀθηναῖος significat Atheniensem, quando vero nomen proprium Athenaei intelligendum est, scribitur Ἀθήναιος. Neque enim Athenis, sed Naucratide in Aegypto natum esse constat Deipnosophistarum scriptorem. Φαιστὸς est oppidum Cretae [133]), Φαῖστος vero nomen hominis proprium, qui non Creta, sed Lydia utebatur patria [134]). *Eustathius* ubi de his monet, affert etiam alia aliorum nominum exempla, quibus idem accidere ait [135]): *ἡ Φαιστὸς ὀξύνεται πρὸς διαστολὴν τοῦ βαρυτόνου Φαίστου, τοῦ κυρίου ὀνόματος, ὃς καὶ ἔκτισεν αὐτήν. — εἰς δὲ τὴν διάφορον τόνωσιν τοῦ Φαιστὸς καὶ Φαῖστος θετέον σὺν ἄλλοις ἀλλαχοῦ δηλουμένοις καὶ τὸ Ἀθηναῖος τοπικὸν, καὶ Ἀθήναιος κύριον· καὶ ἐπαινετὸς* (h. e. *laudabilis*) *τὸ ἐπίθετον καὶ Ἐπαίνετος κύριον· — καὶ πλησίος ὁ ἐγγίζων, καὶ Πλήσιος κύριον ἀνδρὸς ἱεροῦ.* Similia docet *Eustathius* etiam pluribus locis, quorum nonnullos adscripsi, ut [136]): *Ἄνεκτος μὲν προπαροξυτόνως κύριον· ἀνεκτὸς δὲ ὀξυτόνως, ὁ φορητός. Ὁμοίως καὶ Νικήτης* [137]) *μὲν κύριον· νικητὴς δὲ ὁ νικήσας. Καὶ Κάκος μὲν, λῃστής· κακὸς δὲ, τὸ ἐπίθετον.* Item [138]): *τὸ Πυλαιμένης, κύριον, βαρύνοντες οἱ παλαιοὶ, λέγουσιν, ὅτι τὰ τοιαῦτα κύρια ὡς ἐπιπλεῖστον βαρύνεσθαι φιλεῖ.* Paulo post affert similia nomina, Ἀλθαιμένης et Ἰθαιμένης. Idem alio loco [139]): *τὸ Ὀφελέτης, εἰ καὶ παρώνυμον παρὰ τὸ ὄφε-*

131) Duo hoc nomine poetae noti sunt: alter Eretriensis, alter Syracusanus.

132) Perperam Θεσσαλὸς scribitur apud *Plutarchum* in Alexandro c. 10. T. I. Opp. p. 669. D. et c. 29. p. 681. D. ut apud *Athenaeum* lib. 12. p. 538. extr. Sed Θέτταλος apud *Diodorum Sic.* Tom. II. p. 557, 32. recte edidit *Wesseling*.

133) v. *Homer.* Il. β, 648. ibique *Eustath.* p. 313.

134) v. *Homer.* Il. ε, 43. sq.

135) ad *Homer.* Il. ε, p. 520.

136) ad Iliad. α, p. 156. sq.

137) Unde Dorica terminatione usitatum nomen *Νικήτας*.

138) *Eustath.* ad Iliad. ε, p. 583.

139) ibidem p. 596.

λος, ἀλλ' οὐκ ἐπίθετον, κύριον δέ. διὸ οὐδὲ ὀξύνεται, ἀλλὰ βαρύνεται, ὡς κύριον. ὡσαύτως καὶ Ὀρέστης παρὰ τὸ ὄρος. οὕτω δὲ καὶ παρὰ τὸ μένος Μενέστης κύριον. ἡ δὲ κοινὴ παράδοσις ἔτρεψε τὸ τ εἰς ϑ. Ἀρίσταρχος δὲ Μενεσθὴν λέγει, ὡς Ἀπελλήν. Et alio loco [140]): Εὐάνθης δὲ νῦν βαρυτόνως, τὸ κύριον, πρὸς διαστολὴν τοῦ ἐπιθέτου, ὡς τὸ εὐανθὴς λειμών. οὕτω καὶ Εὐπείθης, ὁ τοῦ Ἀντινόου πατὴρ, εἰς διαφορὰν τοῦ, ἀνὴρ εὐπειθής. ὁμοίως δὲ καὶ Εὐμάθης, ὡς οἱ παλαιοί φασι, διεσταλμένος τῇ βαρυτονήσει τοῦ ἐπιθετικῶς εὐμαθοῦς. ὅμοιον καὶ Πολυπείθης. Neque solus *Eustathius* ita praecepit. Idem sentiunt etiam alii Grammatici, e quibus satis est nominasse *Etymologici M. conditorem*, qui passim de ea re monuit, ut [141]): Ἀργέστης τὸ κύριον βαρύνεται· — τὸ δὲ ἐπιθετικὸν τοῦ νότου, ὀξύνεται, ἀργεστής. Et: τὸ Κηδέστης, τὸ κύριον ὄνομα, βαρύνεται, ὡς θύος Θυέστης· ὄρος, Ὀρέστης· τὸ δὲ κηδεστὴς, ὀξύνεται ὡς προσηγορικόν. Sic Διογενὴς est *Iouis filius*; Ἑρμογενὴς, *Mercurio satus*; Θεμιστογενὴς, *Themide natus*; θεογενὴς, *dei filius*: sed Διογένης, Ἑρμογένης, Θεμιστογένης, Θεογένης sunt nomina propria. Et ἀρητὸς dicitur *homo precibus* a Diis *expetitus*; ἐραστὸς, *amabilis*; ξανθὸς, *flauus*; τιτὸς, *honoratus*; φαιδρὸς, *hilaris*; χαροπὸς, *caesius*: cum vero eadem vim habent nominum propriorum, scribi solent Ἄρητος siue Ἄρατος, Ἔραστος, Ξάνθος, Τίτος [142]), Φαῖδρος, Χάροπος. Sed taedet plura addere exempla, cum otium mihi fecerit *Arcadius* [143]), qui permulta huius generis collegit, et ne ea quidem neglexit, quae proprie sunt participia passiui vel medii [144]), ut Ἀκεσαμενὸς, Ἀκουμενὸς, Ἰαμενὸς, Σωζομενός. Eodem modo nomen appellatiuum, quod in antepenultima syllaba accentum

140) ad Odyss. 1, p. 1623, 58. Similes alios *Eustathii* locos passim inferius afferendi erit occasio.

141) p. 123, 25. et p. 462, 57. edit. Lips.

142) v. *Ioh. Ge. Walch* de Tito, viro apostolico; in eius Miscellaneis sacris, Amstelodami 1744. 4. editis, p. 708.

143) cuius de accentibus librum primus e Codicibus Parisinis edidit *Edmund Henr. Barkerus*, Lips. 1820. 8.

144) v. *Arcadius* libro laudato p. 64, 26. et quae inferius ad not. 194. sqq. de talibus dixi.

habet, ubi est loco nominis proprii, eundem habet in penultima; verbi causa, cum δίκαιος sit *iustus*, nomen proprium scribitur Δικαῖος [145]). Quaerendum potius videtur, utrum haec omnis nominum appellatiuorum et propriorum per accentus distinctio veteribus Graecis vere in usu fuerit, an vero tota res unice debeatur Grammaticorum ingeniis. Possit sane quis suspicionem in hos solos conferre. Primo enim ex *Eustathio* paulo ante vidimus, *Aristarchum* a reliquo Grammaticorum grege de nonnullis dissensisse, ita ut saltem non omnibus temporibus, et in omnibus nominibus, Graecos has distinguendi rationes in loquendo secutos esse recte colligere liceat. E quo eodem genere est hic locus [146]): *Ἀμφοτερόν· εἰς διαστολὴν τὸ κύριον ὀξυτόνως ἀνέγνω ὁ Ἀρίσταρχος, ὡς δεξιτερόν· καὶ ἐπείσθησαν οἱ Γραμματικοί· περὶ δὲ τῆς τοιαύτης ἀνωμαλίας τοῦ ἀνδρὸς ἐν ἑτέροις ἡμῖν εἴρηται.* Deinde ipse *Eustathius* [147]) queritur, hanc quam saepissime inculcauit legem non satis ab omnibus obseruari: *ἡ μέντοι συνήθεια,* inquit, *πολλὰ παρέφθειρεν ὀξυτονοῦσα, ὡς τὸ Εὐτυχὴς, καὶ τὸ Εὐμενὴς, τὰ κύρια.* Sic Pyrrhi nomen scribi in libris solet *Πυῤῥὸς*, cum *Πύῤῥος* debeat. Sed tamen quo minus illius Grammaticorum praecepti veritatem impugnemus, *Plutarchi* auctoritas nos impedit, qui nihil minus quam rem grammaticam tractans, sed historicum agens, de Philippo Macedone refert [148]) haec: *δυεῖν δ' ἀδελφοῖν, Ἀμφοτεροῦ καὶ Ἑκατεροῦ, τὸν μὲν Ἑκατερὸν ἔμφρονα καὶ πρακτικὸν ὁρῶν, τὸν δ' Ἀμφοτερὸν εὐήθη καὶ ἀβέλτερον, ἔφη, τὸν μὲν Ἑκατερὸν, Ἀμφότερον εἶναι, τὸν δ' Ἀμφοτερὸν, οὐδέτερον.* Et alio loco [149]) tangit idem illud Grammaticorum praeceptum sic, ut, cum ex eo falsam aliquam narrationem arguat, verissimum illud et ex ipso usu lo-

145) v. *Herodot.* 8, 65. Huc referri possunt Ἀνθρωπῖνος et similia, quae ad not. 201. attuli.

146) in *Scholiis Villoisonianis* ad Iliad. π, 415.

147) ad Iliad. ε, p. 583.

148) in Regum et Imperatorum apophthegmatib. T. II. Opp. p. 177. extr.

149) in vita Thesei c. 25. extr. T. I. Opp. p. 11. extr.

quendi haustum esse appareat. Verba sunt: Ἕρμον, ἄνδρα τῶν Ἀθήνησιν εὐπατριδῶν· ἀφ' οὗ καὶ τόπον Ἑρμοῦ καλεῖν οἰκίαν τοὺς Πυθοπολίτας (Μενεκράτης φησί)· οὐκ ὀρθῶς τὴν δευτέραν συλλαβὴν περισπῶντας, καὶ τὴν δόξαν ἐπὶ θεὸν ἀπὸ ἥρωος μετατιθέντας. Quocirca laudandi sunt prudentiores veterum scriptorum Graecorum editores et interpretes, in his *Reiskius*, qui apud *Lysiam* [150]) pro Εὐμαρὴς rescripsit Εὐμάρης, nomen proprium seruile. *Marklando* enim minus recte Εὐμάθης scribendum visum erat. Sic nomen proprium non Βοιωτὸς scribendum puto, sed Βοίωτος, nec Δαναὸς recte scribi videtur, sed Δάναος.

Rarius reperiuntur nomina propria ita formata, ut genitiui esse videantur: quae ratio Lacedaemoniis maxime usitata fuit [151]), v. c. Ἄρακος dicitur apud *Xenophontem* [152]) Lacedaemoniorum nauarchus pro Ἄραξ. Neque tamen quin aliis Graeciae populis haec eadem forma in usu fuerit, ullo modo dubitabit, qui Ἀλώπεκον Metapontium et Ἄνακον Phigalensem ex copiis *Koenii* (v. not. 151.) cognouerit, et qui infra viderit nomina Ἅρπαγος, Μέλιτος, et similia, aut cui satis frequenter eam formam in appellatiuis saltem nominibus adhiberi notum sit. E genitiuo v. c. μάρτυρος nominis μάρτυρ fit nominatiuus ὁ μάρτυρος, e genitiuo φύλακος nominis φύλαξ formatur nouus nominatiuus ὁ φύλακος, et sic porro [153]).

Praeterea unum idemque nomen interdum plures induit formas, quae non raro tam ab ipsis antiquis scriptoribus, quam a librariis confusae et permutatae inter se leguntur. *Augustinus* [154]): „Argiuorum rex nonus Sthe„nelas siue Stheneleus siue Sthenelus: varie quippe in di„uersis autoribus inuenitur." Poterat etiam quartam addere terminationem: Σθενέλαος, quae apud *Polybium*

150) adv. Agoratum T. I. *Lysiae* p. 488.

151) v. *Koen.* ad *Gregorium Corinthium* de dialectis p. 279. (p. 592. edit. *Schaefer.*)

152) Hist. Graec. 2, 1, 5. et pluribus in locis.

153) v. *Eustath.* ad *Homer.* Il. α, p. 114. et *Phauorin.* in v. γενικὴν, Eustath. ad Odyss. α, p. 1393, 23. et *Phauorin.* in v. διάκτορος. Aeolibus tribuit hanc rationem *Gregorius Corinthius* l. l. sed *Schol. Apollon. Rhod.* 1, 132. Ionicam dicit. Conf. *Priscian.* 6, p. 172. (p. 235. sq.)

154) de ciuitate Dei 18, 8.

exstat. Sic non differunt Περσεὺς et Πέρσης, eademque nomina sunt Ἀριστεὺς et Ἀριστέας, Ἰφικλεὺς et Ἰφικλέας, Ἡρακλεὺς et Ἡρακλέης et Ἡρακλῆς et Ἡρακλέας [155]), Βορεὺς et Βορέας, Ἀμοιβεὺς et Ἀμοιβέας, Πρωτεὺς et Πρωτέας, Λεπρεὺς et Λεπρέας et Λέπρεος [156]), Προκλῆς et Πρόκλος, Πατροκλέας et Πατροκλεὺς et Πατροκλῆς et Πάτροκλος [157]). Sic Latini scriptores interdum genitiuum nominis *Empedocles* non tantum formant *Empedoclis*, sed etiam *Empedocli*, quasi a nominatiuo Ἐμπέδοκλος [158]).

A nominibus Ἀριστέας, Πυθέας, Ἡρακλέας, Ἡρακλέης, et similibus, patet facilem transitum fuisse ad formam contractam ῊΣ et ᾹΣ. Nam ut ex Ἐμπεδοκλέης, Ἡρακλέης, Πατροκλέης fiunt Ἐμπεδοκλῆς, Ἡρακλῆς, Πατροκλῆς, ita ex Ἡρακλέας et Πρωτέας prodire intelligitur contracta forma Ἡρακλᾶς et Πρωτᾶς. Cum vero haec quidem inprimis Doribus nonnullis et Alexandrinis aliisque Aegyptiis usitata fuerit, atque adeo satis ego de ea exposuerim in quarta disputatione de dialecto Alexandrina [159]): poteram hoc loco satis habere lectorem de ea monuisse. Unum addo, non illud, opinor, in re critica negligendum, interdum hanc formam per librarios serioris aetatis migrasse in libros Atticorum veterum, qui alias ab ea prorsus abstinuisse reperiuntur. In quodam *Xenophontis* loco [160]) scribi solet Σαμολᾶς, qui in alio loco [161]) nominatur Σαμόλας.

155) v. *Perizon.* ad *Aelian.* V. H. 3, 30. et *Hemsterhus.* ad *Luciani* Opp. T. I. p. 377. edit. *Reitz.*

156) v. *Gronouii* obseruationes 4, 15. p. 697. sq. ed. *Fr. Platner.* Lips. 1755. 8.

157) v. *Dan. Wyttenbach* ad *Plutarch.* de sera numinis vindicta p. 4.

158) v. *Gell.* noct. Att. 4, 11. cuius loco addenda sunt exempla, quae *Priscianus* lib. 6. p. 192. (p. 258. sq.) collegit. Cf. *Quinctilian.* 1, 5, 63. *Verheyk.* ad *Antonin. Liberal.* p. 298. sq. Interpretes *Cornel. Nepotis* in Themist. 1, 1. Alcib. 3, 2. Epamin. 1, 1. Ages. 1, 3. *Cort.* ad *Cic.* epistt. ad Div. 5, 12, 17.

159) Gerae 1794. 4. p. 9. siue in libro de dialecto Macedon. et Alexandrina, Lips. 1806. 8. p. 134 — 136. Adde quae *Christ. Aug. Lobeck* praeclare de substantiuis in ᾶς exeuntibus disputauit, in *Frid. Aug. Wolfii* Analectorum literariorum Parte III. Berol. 1818. 8. p. 47 - 62.

160) in Anabasi 5, 6, 6.

161) ibidem 6, 5, 7.

Quae vero in *ΑΣ* et *ΗΣ* ita terminantur, ut accentum habeant in syllaba penultima, ea non minus, quam interdum nomina in *ᾶΣ* desinentia, Latine in A, atque adeo Latina nomina in A desinentia a Graecis scriptoribus formantur in *ΑΣ*, vel in *ᾶΣ*, ut *Κορωνᾶς*, *Μεσσαλᾶς*. Saltem ita praecipit *Priscianus* [162]): „Masculina sunt, quae, cum „sint propria apud Latinos in *a* terminantia, apud Grae„cos assumunt *s*, ut Catilina, Sylla, Fimbria, Aquila, „*Κατιλίνας*, *Σύλλας*, *Φιμβρίας*, *Ἀκύλας*. vel contra apud „Graecos in *as* desinentia, vel in *es*, apud nos in *a* ter„minantur, ut *Μαρσύας*, *Σωσίας*, *Βυῤῥίας*, *Χαιρέας*, *Του„ρίας*, *Βαγράδας*, Marsya, Sosia, Byrrhia, Chaerea, Turia, „Bagrada, — *Μελικέρτης*, *Λεπτάστης*, Melicerta, Lepta„sta.“ Similiter *Quinctilianus* [163]): „Ne in *a* quidem atque „*s* literas exire temere masculina Graeca nomina recto casu „patiebantur: ideoque et apud Caelium legimus, *Pelia* „*Cincinnatus*: et apud Messalam, *Benefecit Euthia*: et „apud Ciceronem, *Hermagora* [164]): ne miremur, quod ab „antiquorum plerisque *Aenea* et *Anchisa* sit dictus. Nam „si ut *Maecenas*, *Suffenas*, *Asprenas* dicerentur, geni„tiuo casu non *e* litera, sed *tis* syllaba terminarentur.“ Sic *Πέρσης* ille, rex Macedoniae, qui alias etiam *Περσεὺς*, Latine non modo Perseus et Perses, verum Persa quoque vocatur. Interfector Pompeii Magni non semper Achillas nominatur, sed interdum Achilla. Sic *Πτερέλας* et *Φιντίας*

162) lib. 5. p. 119. sq. (p. 168. sq.) ubi in editione Basileensi male editum est *Χαιραίας*, Cyrrhia, pro *Χαιρέας* et Byrrhia. Sic *Δημέας*, *Φαιδρίας*, Demea, Phaedria. Caeterum *Τουρίας* et *Βαγράδας* sunt nomina fluminum.

163) Institut. orator. 1, 5, 61. sq. ed. *Gesner.* Sed *Henr. Stephanus* de abusu linguae Graecae c. 2. p. 56. edit. *Fr. Guil. Roloffii*, (Berol. 1736. 8.) vetat *Phileta* dici pro *Philetas*. Conf. not. 176.

164) *Ciceronis* loci sunt de inuent. 1, 6. 9. 11. ubi tamen nunc edi solet *Hermagoras*. Et *H. Steph.* l. l. c. 4. p. 75. sq. Ciceronem crediderit sui saeculi consuetudinem in terminatione *Hermagoras* secutum fuisse, sed priscam terminationem, *Hermagora*, abolitam putat, ut genus masculinum a feminino internosci posset, et Graeca syllabae quantitas una cum terminatione retineri. Qui enim non *Aeneas* et *Pelias*, sed *Aenea* et *Pelia* dicere velit, ultimam corripiat oportere. Hanc igitur in A terminationem comicis relinquendam esse iudicat.

Latine dicuntur Pterela et Phintia. [165]) Non tamen constanter hoc a veteribus factum esse, significat ipse *Priscianus* [166]), ubi non semper, sed plerumque et frequenter id fieri solere confitetur. Etiam verba *Quinctiliani* paulo ante allata possunt idem docere. *Bentleius* autem [167]) non modo rem eandem collectis multis exemplis egregie demonstrauit, sed ostendit etiam, ab antiquissimis Latinis, atque adeo a Comicis, abiectam fuisse literam S, retentam vero maxime a recentioribus [168]), ut Cicerone et aeui Augustei sequentiumque scriptoribus, cum ea tamen exceptione, ut, quanquam eruditi homines S literam retinuerint, nomina tamen seruorum, aut quicunque in Latina ciuitate viuerent, vulgaris usus plerumque immutauerit ad Latinam consuetudinem. Sed ne hanc quidem legem semper secuti reperiuntur veteres, et *Bentleius* ex antiquis inscriptionibus exempla non pauca laudauit additae literae S, ut Achillas, Arpocras, Artemas, Damas, Heraclas, Leontas, Metras, Phanias, Phileas, et alia talia. De accusatiuo talium nominum *Henr. Stephanus* [169]) ita praecipit: Si in nominatiuo AS dicatur, accusatiuum ab iis, qui videri velint sibi constare, terminandum esse in AN, sed in AM, si nominatiuus in A desinat; neque dubium esse quin *Peliam* et *Aeneam*, sicut *Sosiam*, *Byrrhiam*, *Getam*, *Demeam*, *Phaedriam*, dicturi fuerint Comici: de iis vero, qui terminatione altera, AS, nominatiuum extulerint, se ἐπέχειν profitetur. Saltem apud *Virgilium* metri leges et *Aenean* et *Aeneam* ferre, praeter Aeneid. 12, 704. ubi scribere poeta, etsi *Aeneam* maluisset, non potuerit.

Ea tamen nomina in *ΑΣ* desinentia, quae genitiuum faciunt *ΝΤΟΣ*, Latine quoque seruant S literam, v. c.

165) v. *Ioh. Fr. Gronou.* obseruatt. 4, 15. p. 697.

166) lib. 6. p. 164. et p. 187. (p. 224. et p. 253. edit. *Krehl.*)

167) in Epistola ad Ioh. Millium, quae inserta extat Opusculis eius philologicis, Lipsiae editis 1781. 8. p. 517. sqq.

168) *Quinctilianus* instit. orat. 1, 5, 63. diserte dicit: „Nunc re„centiores instituerunt Graecis nominibus Graecas declinationes potius „dare: quod tamen ipsum non semper fieri potest."

169) libro paulo ante laudato c. 4. p. 77. sq.

Βίας, Βίαντος, Κάλχας, Κάλχαντος, Calchas, Calchantis[170]). Ne quis vero huc referat nomen *Αἴας*. Quamuis enim hoc et ipsum genitiuum habeat *Αἴαντος*, tamen in Latina lingua dicitur Aiax, Aiacis. Praeterea seruatur S etiam a Latinis in iis nominibus, quorum ultima syllaba ex *ΕΥΣ* contracta est Aeolum more in *ΗΣ*, quando apud Latinos in ES terminantur, ut *Ἀχίλλης* ex *Ἀχιλλεὺς* Latine vocatur Achilles[171], et Perses pro Perseus ex *Περσεὺς*, et Ulysses pro *Ὀδυσσεύς*. *Priscianus*[172]) laudatis his exemplis addit ista: „In quo „Dores sequimur, qui pro *φιλεὺς φίλης*, et pro *Ὀρφεὺς Ὄρ-* „*φης* et *Ὄρφην* dicunt, pro *Τυδεὺς Τύδης*.“ Paulo post idem ostendit, nonnunquam Latinos seruasse terminationem Graecam. „Ab Ulysseus nominatiuo quoque, inquit, pro- „ferunt Latini in *ei* genitiuum[173]). Et ab Achilleus accu- „satiuum Graecum protulit *Lucanus*[174]): Terribilem visu „traiecit Achillea ferro. Ex quo apparet, Latinos quoque „tam in *eus* quam in *es* haec nomina solitos esse proferre; „et contra tamen in quibusdam *es* productam terminanti- „bus fecerunt Graeci poetae *eus* pro *es* proferentes, *Ἀντι-* „*φατεὺς* pro *Ἀντιφάτης*, *Γηρυονεὺς* pro *Γηρυόνης*, *Δαρεὺς* „pro *Δάρης*.“ Itque videmus hic quoque, quam inconstans sit usus loquendi, vel potius, quanta sit poetarum licentia simul et auctoritas. Frequens enim poetarum lectio effecit, ut procedente tempore multa, quae veteres Latini non nisi poetis concedenda existimarent, sensim etiam in linguam vulgarem atque adeo in orationem pro-

170) Quod enim *Priscianus* 6, p. 187. (p. 253.) antiquissimos declinasse dicunt Calchas Calchae, laudato loco *Plauti* Menaechm. 5, 1, 48. est exemplum sine exemplo. Cf. *H. Steph.* de abusu linguae Graec. c. 2. p. 38. Verum tamen est, quod supra dixi, nominatiuum huius nominis non S literam abiicere. Nam ap. eundem *Plautum* (Mercat. 5, 2, 104.) dicitur Calchas, non Calcha.

171) quanquam etiam Achillas et Achilla.

172) 6, p. 211. (p. 283. ed. *Krehl.*) Cf. *Valckenar.* ad *Herodot.* 5, 67.

173) *Priscianus* hanc in rem laudat locos *Horatii* 1, od. 6, 7. et 1, epist. 6, 63. et *Ouid.* metamm. 14, 159.

174) 10, 523. ubi nunc editur *iusto transegit* pro *visu traiecit*. In superioribus *Lucanus* plus semel dixerat in nominatiuo Achillas et in accusatiuo Achillam.

eam migrasse reperiantur. Sic, ut ad superiora redeam, valde dubito, an Augusti aetate pro Ἑρμείας, Γοργίας, Κινησίας, Κλινίας, Κριτίας, Κτησίας, Τειρεσίας, multi Latini dixerint Hermia [175]) vel Hermea, Gorgia, Cinesia, Clinia, Critia, Ctesia, Tiresia. [176]) Nec magis equidem arbitror in aurea linguae Latinae aetate literam S abiectam fuisse in iis nominibus, quorum terminatio esset ΌΡΑΣ, ut Ἀθηναγόρας, Ἀναξαγόρας, Διαγόρας, Κλεαγόρας, Πυθαγόρας. Nam de Hermagora apud Ciceronem rem incertam esse iam supra ostendi, et praeclare docuit *Bentleius* [177]).

Nomina ita in ΡΟΣ terminata, ut in eadem syllaba praecedat alia consonans, Latine desinunt in ER, ut Ἀλέξανδρος, Μελέαγρος, Μένανδρος, Τέρπανδρος, Alexander, Meleager, Menander, Terpander. Verum ne hanc quidem legem constanter et perpetuo fuisse obseruatam, ostendit *Priscianus* [178]) exemplis nominum Amphimacrus, Codrus, Petrus, aliorumque, quae non ΡΟΣ in ER, sed O in U mutant. Putem hoc quoque primo a poetis tentatum, postea etiam aliis placuisse et usu communi receptum fuisse. Certe *Priscianus* attulit locos *Virgilii* [179]), ubi Teucer et Euander vocantur Teucrus et Euandrus. In his tamen non tantum valuit magna magni poetae auctoritas, ut vulgo retinerentur formae Graecae. Haud dubie in talibus multum veteres tribuerunt aurium iudicio, quod nonnullas formas damnauit, ut Latinas in Coder et Peter, Graecas in Teucrus et Euandrus. Sic non placuit, quod *Propertius* dixerat in vocatiuo Menandre, placuit vero ut Phaedrus diceretur, non Phaeder, quanquam hoc magni nominis viro, *Gudio*, magis placebat [180]). Eodem modo

175) Neque enim locus *Ciceronis* (ad Div. 16, 15.) obstare sententiae meae putandus est. Nam legitur quidem ibi Hermia, non Hermias, sed est nomen serui, ut ibidem nomen Aegypta.

176) Sic *Phileta* recte dici pro Φιλήτας negat *H. Steph.* l. l. c. 4. p. 74. Conf. not. 163.

177) epist. ad Mill. p. 519. sq.

178) lib. 6. p. 177. (p. 241. edit. *Krehl.*)

179) Aen. 3, 108. 8, 313. et 553. Sed 10, 515. est Euander.

180) v. *Fabricii* biblioth. Lat. T. II. p. 25. ed. *Ernest.*

nostra lingua, quae homines Graecos et Latinos ratione nominum saepe mutilat, non tamen in omnes pari crudelitate grassatur. Homer et Plutarch, Virgil et Ouid audimus paene ab omnibus dici atque etiam scribi. Nemo tamen facile dicere aut scribere ausit Plin et Pers, et sic porro. Adeo verum est, quod dicit *Horatius* [181]), penes usum esse arbitrium et ius et normam loquendi.

Non maior constantia cernitur in iis nominibus, quae in *ΩN* terminantur. Nunc enim apud Latinos amittunt literam ultimam N, nunc retinent. *Quinctilianus* quidem [182]), ubi de rigidioribus quibusdam Grammaticis retulit, qui vellent Graeca vocabula omnia ad analogiam sermonis Latini conformari, addit haec: „et ut Palaemo „ac Telamo, ut Plato, (nam sic eum *Cicero* quoque ap„pellat) dicerentur, retinuerunt: quia Latinum, quod *o* et „*n* literis finiretur, non reperiebant.“ Quibus verbis videtur significari, Quinctiliani temporibus usitatum fuisse, ut diceretur quidem Plato, sed non item Palaemo ac Telamo, imo Palaemon et Telamon. *Priscianus* autem [183]), postquam exposuit de nominibus in *ΩN,* dicit antiquos solitos fuisse talia nomina ablata N proferre, et secundum Latinorum regulam in *o* terminantium, quod ubique *Terentius* faciat, declinare, ut Antipho [184]), Antiphonis [185]),

181) art. poet. 70. sq.
182) Inst. orat. 1, 5, 60.
183) lib. 6. p. 174. sq. (p. 238.)
184) Antiphon est ap. *Quintilian.* 3, 1, 11.
185) *Charisius* Grammat. lib. 1. p. 61. edit. Basil. 1551. 8. haec dicit: „Antipho quoque et Demipho similiter declinantur, huius Anti„phonis, Demiphonis: non, ut quidam, Antiphontis et Demiphontis, „Graeca declinatione.“ *Henr. Stephanus* l. l. cap. 4. p. 72. addit, a *Terentio* eodem modo Ctesiphonem dici solere. Et tamen si quis hodie dicat, scriptam esse a *Demosthene* orationem pro Ctesiphone, attonitos haesuros multos, qui hoc audiant. *Ciceronem* ipsum in Bruto, Ctesiphontis, Ctesiphontem, Ctesiphonte scribere. Sic etiam Xenophontem dicere, at *Terentium* Xenophonem dicturum fuisse. Comicos enim, quamuis lubenter Graeca vocabula usurparint, diligenter tamen cauere voluisse, ne Latinae linguae quicquam de suo iure decederet in iis Graecis, quae ad illius usum et consuetudinem conformari possent. — Quod *Stephanus* Ciceronem in Bruto laudauit, videtur per

si quis vero in nominatiuo ultimam literam N seruauerit, necesse esse ut genitiuus quoque secundum Graecos habeat T, veluti in illis *Ciceronis*[186]): „in Leonte Megarensi non „idem fecisti?" Statim vero *Priscianus* addit ex eodem *Cicerone* exempla nominum, ubi deest N litera finalis, ut Xeno pro *Ξένων* Graeco[187]), Dexo pro *Δέξων*[188]), Zeno pro *Ζήνων*[189]), Meno pro *Μένων*[190]). Sic Latine dici solent Crito, Dio, Philo, Phormio, et quae sunt alia talia. In permultis contra N seruatur, ut Anacreon, Cleon, Dinon, Memnon, Sinon, Timoleon,[191]) Timon, Xenophon, et sic porro. Et ab illo ipso *Cicerone*, a quo, ut paulo ante attulimus, Meno dictus fuit pro Menon, dialogus

memoriae errorem id factum esse. Vix enim tres illos casus omnes ibi inuenias. Sed Ctesiphontis legitur in Oratore c. 31. 38. et de opt. gen. orator. c. 7. Ctesiphontem, de Oratore 3, 56. et de opt. gen. orat. l. l. Ctesiphonte, locis modo indicatis et in Oratore c. 8.

186) Verr. 5, 6. extr. Sic etiam Tusc. 5, 3. dixit Leontem, non Leonem. et in Bruto c. 12. ut *Quintilianus* 12, 10, 22. Antiphontem, non Antiphonem.

187) Verr. 3, 22.

188) Verr. 5, 42. e quo loco apud *Priscianum* reponendum est Dexio et *Δεξίων*. quod *Krehlius* non animaduertit.

189) pro Muraena c. 29.

190) in loco quodam, quem *Priscianus* ex deperdita *Ciceronis* oratione pro Fundanio laudauit.

191) *Henr. Stephanus* l. l. cap. 2. p. 57. et c. 4. p. 63. ait, scribendum videri Thymoleo, Phocio, Bio, Matro, Acro. Et p. 67. dicit, in quadam *Aemylii Probi* (hoc est, *Cornelii Nepotis*) editione typographica ita scripta se inuenisse eiusmodi nomina. Apud *Charisium* quoque (p. 61.) talem terminationem non aliter quam controuersia carentem afferri, ut Memno et Sino. Atque hoc quidem nomen apud *Virgilium* Aen. 2, 259. et 329. scribi Sinon, cogente etiam metri lege. Deinde p. 68. affert terminationes nominatiuorum apud *Terentium* usitatas, ut Antipho, Demipho, Ctesipho, Crito, Simo, sed tamen a terminatione Xenopho, cum insolentior sit, aures magis abhorrere fatetur. Graecos dicit videri posse audacter Parmeno quidem dicere, Thraso item, et Gnatho, et alia quaedam: at vero Agamemno et Iaso aliaque nonnulla vix dicere audere. Sed ut Memno apud *Charisium*, ita etiam Agamemno recte dici. Atque ut Parmeno nemo reiiciat, ita nec Parmenio respuendum esse. Etiam Philistio et Hephaestio nobis placere debere.

nobilis *Platonis* vocatur Menon, non Meno [192]). Patet igitur, quam in his quoque inconstans sit usus loquendi. Si quis enim librariis quam ipsis scriptoribus hanc inconstantiam tribuere malit, non ego quidem id probem. Liceat hic obiter obseruare, ista nomina in *ΩΝ* saepe permutata fuisse cum nominibus in *ΟΣ*, ut eadem nomina sint *Ἀκταῖος* et *Ἀκταίων*, *Γλαῦκος* et *Γλαύκων*, *Εὔρυτος* et *Εὐρυτίων*, *Ἴασος*, *Ἰάσιος* et *Ἰασίων*, *Ἴκαρος*, *Ἰκάριος* et *Ἰκαρίων*, *Κάλλιστος* et *Καλλιστίων*, *Λύκος*, *Λύκιος* et *Λύκων*, *Ὕβλος* et *Ὕβλων* [193]).

Sed pergendum est ad recensendas alias, maxime rariores, nominum formas. Rarius est, quod *Casaubonus* [194]) obseruauit, multa participia vel praesentis vel indefiniti temporis conuerti in nomina propria, ut *Ἀλεξαμενὸς*, *Ἀραρὼς*, *Δεξαμενὸς*, *Ἐπαμύνων*, *Κασσαμενὸς*, *Παραβάλλων*, *Παραβρύκων*, *Σωζομενὸς*, *Τελέσας*, *Τισαμενὸς*, *Συμφορῶσα*. Huc referendum etiam videtur nomen *Παίων*, vel potius *Παιών*. *Eustathius* enim de eo haec fere habet [195]): *γίνονται δὲ αἱ τοιαῦται λέξεις [Παιήων, Παιὼν, Παιὰν] ἐκ τοῦ παίω τὸ θεραπεύω. — ἔστι δὲ καὶ Παιήων ὄνομα ἰατροῦ τοῦ παρὰ θεοῖς· ἐτυμολογεῖται δὲ καὶ αὐτὸ ὁμοίως.—ὥσπερ δὲ παίω παιήσω ἐπὶ τοῦ τύπτω· οὕτως ἴσως καὶ παίω παιήσω ἐπὶ θεραπείας, ἐξ οὗ ὁ Παιήων. — ὁ δὲ Παιήων συγκοπεὶς, Παιὼν γίνεται.* Sic *Ἀπολλῶς* [196]) videri potest ortum esse ex *ἀπολωλώς*. Omnino enim nomina appellatiua, ut in propriorum locum succedere possent, varie mutata sunt. Insignis est hanc in rem locus *Platonis* [197]): *πρῶτον μὲν τὸ τοιόνδε δεῖ ἐννοῆσαι περὶ ὀνομάτων, ὅτι πολλάκις ἐπεμβάλλομεν γράμματα, τὰ δ' ἐξαιροῦμεν, παρ'*

192) Tusc. 1, 24.

193) v. *Hemsterhus.* ad *Aristoph.* Plut. p. 206. sq. et *Koen.* ad *Gregor.* de dialect. p. 133. sq. (p. 290. edit. *Schaefer.*) Caeterum de genitiuis nominum in *ΩΝ* exposuit *Hartungus* in *Gruteri* thes. crit. Vol. II. p. 735–737.

194) ad *Athenae.* 5, 20. p. 392. (Vol. III. Animaduerss. p. 257. edit. *Schweighaeuser.*)

195) ad *Homer.* Iliad. *α*, p. 137. sq.

196) de quo v. disp. IV. de dialecto Alexandrina p. 10. (in libro de dialecto Macedon. et Alexandrina p. 137.)

197) in Cratylo T. I. p. 399. A. ed. *Steph.*

ὃ βουλόμεθα ὀνομάζοντες, καὶ τὰς ὀξύτητας μεταβάλλομεν: οἷον, Διῒ φίλος, τοῦτο ἵνα ἀντὶ ῥήματος ὄνομα ἡμῖν γένηται, τό τε ἕτερον αὐτόθεν ἰῶτα ἐξείλομεν, καὶ ἀντὶ ὀξείας τῆς μέσης συλλαβῆς, βαρεῖαν ἐφθεγξάμεθα. (Nempe sic oritur nomen viri Δίφιλος.) ἄλλων δὲ τοὐναντίον ἐμβάλλομεν γράμματα, τὰ δὲ ὀξέως, βαρύτερα φθεγγόμεθα. Quo eodem recte referri potest, quod in iis nominibus, quae ex appellatiuis propria fiebant, accentus ex antepenultima syllaba reiiciebatur in ultimam, ut Ἀμφοτερὸς et Ἑκατερὸς apud *Plutarchum* [198]).

Rariora item videri possunt nomina Dorica, in his Laconica, quorum multa desinunt in ΙΣ, ut Ἄλεξις, Ἄμφις, Βοῦρις, Εὔπολις, Κόννις, Λάμπις, Λύγδαμις, Λύσις, Πολύμνις, Σπέρτις, Φύλλις.[199]) Alia terminantur in ΙΣΚΟΣ et ΙΧΟΣ, ut Θεσσαλίσκος, Λεοντίσκος, Λυκίσκος, Σωφρονίσκος, Ταυρίσκος, Φιλίσκος, Ἀμύντιχος, Βοσπόριχος, Θυώνιχος, Κόννιχος, Λάμπιχος, Λάριχος, Λεόντιχος, Πέλιχος siue Πέλλιχος, Πύῤῥιχος, Σίμιχος, Στρόβιχος, Στρόμβιχος, Τύννιχος[200]) etc. Alia exeunt in ΥΣ, ut Πάλαμυς.[201]) Alia in ΙΝΟΣ,

198) Regum et imperatorum apophthegmm. T. VII. p. 96. edit. *Hutten.* cuius loci verba ad not. 148. attuli. Similia enim supra afferendi fuit occasio.

199) *Plutarchi* apophthegmata Laconica passim. Genitiuum talium nominum aeque ac datiuum ἀνισοσυλλάβως esse proferendum, sed accusatiuum ἰσοσυλλάβως, contendit *H. Stephanus* de abusu linguae Graecae p. 39—45. Seriores tamen Graecos dixisse Ἀδώνιδα, Πάριδα, Δάφνιδα, Ἀλέξιδα, Θύρσιδα, Θεόγνιδα, Τάγνιδα, Εὐπόλιδα, Στράττιδα, Τοξάριδα, Βουσίριδα, Ὀσίριδα, et in *Palladae* epigrammate [in *Brunckii* Analectorum Vol. II. p. 318. extr.] esse Πάριδας. Multo tutius et certius esse, accusatiuis Ἄδωνιν, Δάφνιν, Πάριν, caeterisque itidem uti, quam Ἀδώνιδα, Δάφνιδα, Πάριδα, Φαλάριδα dicere. Hanc alteram terminationem, in ΙΔΑ, Graecos femininis nominibus propriis integram maluisse relinquere, dicentes Θέτιδα, Δώριδα, Φύλλιδα, Ἀμαρύλλιδα, Φιλαίνιδα, Θαΐδα, sicut et apud *Maronem* Phyllida et Amaryllida nomina mulierum esse videmus: Et Latine, inquit, *Phyllidem* quoque et *Amaryllidem* dici posse, sicut Thetidem, Doridem, Philaenidem, certissimum est. quanquam etiam Θέτιν et Ἶσιν magno in usu esse scimus.

200) v. *Koen.* l. l. p. 133—135. (p. 290—293. edit. *Schaefer.*)

201) *Choeroboscus* ad *Theodosium*, in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. III. p. 1408. Πάλαμυς Παλάμνος· τὸ γὰρ Παλάμυδος διὰ τοῦ δος

ut *Ἀγαθῖνος*, *Ἀνθρωπῖνος*, *Ἀρχῖνος*, *Ἀτταγῖνος*, *Εὐπαλῖνος*, *Φιλῖνος*, *Χαρωπῖνος*.

Femininorum quoque variae formae reperiuntur, quarum itidem praecipuae enumerandae videbantur. Aliae terminabantur in A, ut *Γλυκέρα*, *Γνάθαινα*, *Λύκα*, *Μίκκα*, *Ἀσπασία*, *Δαματρία*, *Ὑπατία*[202]), *Θεόκλεια*, *Ἱερόκλεια*, *Τιμόκλεια*, *Μετάνειρα*, in quibus rarior est forma *Μελίτεια* et *Τιμαρέτεια*, pro *Μελίτη* et *Τιμαρέτη*[203]), aliae in H, ut *Εὐβούλη*, *Ἠρίννη*, *Μυῤῥίνη*, *Ξενοκρίτη*, *Πραξίλλη*, *Πολυκρίτη*, *Φρύνη*, *Βιλιστίχη*, *Μητίχη*, *Σιμμίχη*, qualia nomina Latini, maxime comici, terminarunt in A, ut *Hecuba*, *Helena*.[204]) In H desinebant etiam nomina formae patronymicae, ut *Ἀδρηστίνη*, *Εὐηνίνη*, *Θειαντίνη*, *Φαιακοσίνη*, *Ὠκεανίνη*, *Δηωΐνη*[205]), et de quo iam supra dixi, *Κλεοβουλίνη*. Alia in *INNA*, ut *Βίτιννα*, *Κόριννα*, *Μέλιννα*. Aliae formae exibant in *IΣ*, ut *Γλῆνις*, aliae in *ΙΣ*, ut *Ἀγαλλὶς*, *Ἀργιλεωνὶς*, *Βατὶς*, *Θαΐς*, *Κοναλλὶς*, *Λαΐς*, *Λεοντὶς*, *Σιμμιχὶς*, *Φυλλὶς*, *Χρυσὶς*, aliae in *ΑΣ*, ut *Γυρτιὰς*,

κλιθὲν παρ' Αἰσχύλῳ ἡμάρτηται. ἔστι δὲ ὄνομα κύριον βασιλέως. De sequentibus, quae in *ΙΝΟΣ* exeunt, vid. *Valckenar.* ad *Herodot.* 9, 15.

202) Conf. *Ioh. Chr. Wernsdorfii* diss. de Hypatia, philosopha Alexandrina, Vitemb. 1747. 4. p. 4.

203) *Μελίτεια* reperitur in *Leonidae Tarentini* carmine VIII. p. 222. Vol. I. Analectorum *Brunckii*. *Τιμαρέτεια* in iisdem Analectis Vol. III. p. 173. nr. CXV. scilicet haec est forma Ionica, cuius generis multa collegit *Valckenar.* ad *Callimachi* elegiarum fragmenta p. 78. sq. ut *Βερενίκεια*, *Πηνελόπεια*, *Ἰόλεια*, *Ἰοδάμεια*, *Εὐρώπεια*, etiam *Ἰφιγένεια*. Conf. *Eustath.* ad Odyss. *α*, p. 1412, 52.

204) Sic *Caper*, Grammaticus, auctor est, *Horatium* semper dixisse *Circa*. Unde Epistt. 1, 2, 23. „Circae pocula." Sic *Plautus* Cistell. 1, 1, 50. habet *Hecata*. Epidic. 4, 2, 34. *Circam*. Pseudol. 1, 2, 65. Dircam. Stich. 1, 1, 1. *Penelopam*. Non improbabiliter *H. Stephanus* lib. laud. c. 4. p. 81. *Horatium*, etiamsi *Circae* scripserit, non tamen hanc terminationem alteri, *Circes*, praetulisse arbitratur, cum ablatiuo *Circe*, et accusatiuo *Circen*, sicut genitiuo *Penelopes*, et accusatiuo *Penelopen*, alibi utatur, sed potius *κακόφωνον* illud *Ὁμοιοτέλευτον*, quod efficiatur ex genitiuo *Circes*, praecedente nomine *voces*, vitare voluisse. At illud certe, quod *Stephanus* de ablatiuo *Circe* dixit, non omnino verum videtur. Nam in *Horatii* Epod. 17, 17. edi solet *Circa*.

205) v. *Valckenar.* ad *Herodot.* 8, 65.

Δορκὰς, *Ἑλλὰς*, *Ἰσχὰς*, *Πυθιὰς*, aliae in *Ω'*, de quibus ita praecipit *Priscianus* [206]): „Propria quoque inueniuntur „feminina, quae apud Graecos in ῶ vel in ῶν desinunt, ut „Manto, Dido, Sappho, Ruscino, Bibo." Et eorum quidem, quae in *Ω'* desinunt, multa reperiuntur exempla, ut *Βαρὼ*, *Γοργὼ*, *Δημὼ*, *Δορκὼ*, *Ἐπαγαθὼ*, *Ἐρυξὼ*, *Ἡγησὼ*, *Θεανὼ*, *Ἰνὼ*, *Ἰὼ*, *Καλυψὼ*, *Μεγιστὼ*, *Μηλὼ*, *Μυρὼ*, *Νικὼ*, *Φιντὼ*, et plura. [207]) Sed eorum, quae in *Ω'N* terminantur, non nisi unum mihi exemplum innotuit, *Πλαγγὼν* apud *Athenaeum* [208]). Alia denique mulierum nomina desinebant in *ON*, atque adeo habebant formam nominum generis neutrius, de qua *Priscianus* [209]) in hunc modum disserit: „In *um* neutra sunt omnia. — Inueniuntur tamen „apud Comicos feminarum quoque propria, quae in hanc „terminationem diminutionis siue adulationis amatoriae „causa proferuntur, ut Glycerium, Philotium, Dorcium, „Sophronium, Abrotonium: quae quamuis habeant arti- „culos femininos, declinationem [210]) tamen et formam tam „apud Latinos quam apud Graecos seruant neutrorum." Item [211]): „In *um* Latina seu Graeca, apud Graecos in ον „desinentia, neutra sunt. — Inueniuntur tamen apud Co- „micos multa huiuscemodi, neutrorum formam habentia,

206) lib. 5. p. 122 (p. 171. edit. *Krehl.*) Cf. lib. 6. p. 168. (p. 250. sq.) Cum *Bibo* in priore *Prisciani* loco diserte inter feminina Graeca ponatur, vix dubium est quin rescribendum sit *Bito*. Certe in *Brunckii* Analectt. Vol. I. p. 215. Samia femina *Βιττὼ* nominatur in *Asclepiadis* epigr. XXII. sed a *Lucillio* ibid. Vol. II. p. 324. nr. XXXV. *Βιτὼ*, unde forma deminutiua *Βίτιννα*, de qua paulo ante dixi.

207) Genitiuus talium nominum est *Βαροῦς*, *Γοργοῦς*, etc. *Apuleius* tamen Metamm. 1, p. 107, 35. dixit *Calypsonis*. Sic alii dicunt *Didonis* et *Sapphonis*. Accusatiuum *Calypsonem*, quanquam C. Caesar antiquos (v. *Charisius* p. 60.) secutus utatur hac ratione declinandi, improbat *Quinctilianus* Instit. orat. 1, 5, 63. Nam Graece terminatur in ὼ, praeterquam in dialecto Ionica, quae accusatiuum finit in οῦν. v. *Maittaire* Graecae linguae dialecti p. 144. editionis meae.

208) lib. 13. p. 567. E. et p. 594. B.

209) lib. 5. p. 123. (p. 173. edit. *Krehl.*) Cf. p. 119. (p. 168.)

210) Ergo genitiuus fit Glycerii, Erotii, etc. v. *H. Steph.* de abusu linguae Graecae c. 2. p. 32. usq. ad 38.

211) lib. 6. p. 172. (p. 235).

„mulierum nomina, quibus articulos feminini generis ne„cessario significationis gratia praeponere solent, ut ἡ Δόρ„κιον, haec Dorcium, ἡ Γλυκέριον, haec Glycerium, ἡ „Χρύσιον, haec Chrysium, ἡ Ἀβροτόνιον, haec Abrotonium, „ἡ Λεόντιον, haec Leontium. Hoc autem solet fieri adu„lationis causa, siue diminutionis aetatis." Alia eius generis sunt Βοΐδιον, Γναθαίνιον, Ἐρώτιον, Θαυμάριον, Λοπάδιον, Μύρτιον, Νάννιον, Φαίδριον, Φάνιον, Ὤκιμον.

Non raro putantur nomina truncata esse, qualia iam olim attuli[212]). Alia suppeditat *Bentleius*[213]), ut Ἀρτεμᾶς ex Ἀρτεμίδωρος ortum, Ἑρμᾶς ex Ἑρμόδωρος, Ζηνᾶς ex Ζηνόδωρος, Ἡρᾶς ex Ἡρόδωρος, Μητρᾶς ex Μητρόδωρος, Ὀνησᾶς ex Ὀνησίφορος, Φιλᾶς ex Φιλόδημος. Quin *Ruhnkenius*[214]) nomen Χάρις, quod legitur apud Grammaticum veterem in Bibliotheca Coisliniana, putabat truncatum esse e nomine Δείναρχος[215]). Sic Ἀθηνῶ[216]) videtur ex Ἀθηναΐα vel Ἀθηνοδώρα contractum.

212) in disp. quarta de dialecto Alexandrina p. 9. sq. (in libro de dialecto Macedonica et Alexandr. p. 135.) Addi potest Ἀχιλλᾶς, et quae *Valesius* ad *Euseb.* hist. eccles. VII. 28. de nomine Νικομᾶς dixit, et *Fabricius* ad *Dion. Cassium* Vol. V. p. 556. not. 132. atque iterum *Valesius* ad *Ammian. Marcellin.* 19, 12. ubi talia nomina inprimis scurrilia et seruilia fuisse iudicat, ut Ματτιοκοπᾶς, Σακκᾶς, et alia. Sic Σωκράτης contractum est ex Σωσικράτης, Σωφάνης e Σωσιφάνης, Σώπατρος ex Σωσίπατρος. Neque vero omnia huius generis nomina contracta fuisse reperiuntur. Semper enim integre scripta apparent nomina Σωσίβιος, Σωσιγένης, Σωσίθεος, et similia. Vid. *Valckenar.* ad *Herodot.* V. 92. ubi tamen ut ad VIII. 11. nec nomen Σωκλῆς pro Σωσικλῆς videtur improbare. Multa Iudaeorum nomina in ᾶς desinentia collegit *Matthaeus Hillerus* in Onomastico sacro. p. 679. sq.

213) l. l. pag. 521. sq.

214) in hist. critica oratorum Graecorum, quae inserta extat Volumini VIII. Oratorum Graecorum a *Reiskio* editorum, p. 167.

215) Quae mutatio cum nimis audax videatur, equidem vel Χάρης legam, praeeuntibus *Albertio* ad *Hesych.* T. II. p. 775. not. 6. et *Bekkero* Anecdot. Graec. Vol. I. ubi illud ipsum Grammatici opusculum edidit, p. 191, 28. vel Χαρίσιος, quod Codex Venetus, idem opusculum habens, exhibet teste *Iac. Morellio* Bibliothecae manuscriptae Gr. Gr. et Latinae T. I. p. 304. Hic enim *Charisius*, auctore *Cicerone* in

Saepe reperiuntur nomina turpiter a librariis corrupta pessimeque deprauata, ut pro *Δαμάστης* in loco *Porphyrii* [217]) scriptum est *Δάμασος*, apud *Plinium* [218]) *Damiades*, et [219]) *Damascenus*. Apud *Xenophontem* [220]) bis est *Προκλῆς* pro *Πατροκλῆς*. Apud *Plutarchum* [221]) *Σοιβίδας* pro *Φοιβίδας*. Apud *Platonem* [222]) librarius Codicis Augustani male scripsit *Φαῖδρε* pro *Φαίδων*. Apud *Stephanum Byzantinum* [223]) pro *Ἑρμοῦ* perperam edi solet *Ἡρίμου*, et *Φερηκίδας* pro *Φερητίδας*. Apud *Scholiasten Euripidis* [224]) pro *Τάνταλος*, et apud *Pausaniam* [225]) pro *Κάλως*, legendum est *Τάλως*. Apud *Isidorum* [226]) pro *Hecataeus* pessime scriptum extat *Achatesius*. Apud *Freculphum* [227]) pro *Xenophanes* legitur monstrum *Xenohipnes*. In lexico *Phauorini* [228]) pro *Ἄνιος* est *Ἴνιος*, apud *Scholiasten Sophoclis* [229]) *Ἀντιόχη* pro *Ἀντιόπη*, et apud *Scholiasten Euripidis* [230]) *Ἀντιόπη* pro *Ἀργιόπη*, et

Bruto c. 83. cupere videbatur imitari Lysiam. Simplicissimum vero est, ut *Χαῖρις* legamus, quo nomine et alibi et in iisdem *Bekkeri* Anecdotis Vol. II. p. 663, 10. Grammaticus commemoratur, de quo vid. *Villoisoni* Prolegomena ad Iliad. pag. XXIX. Si enim Grammaticus fuit hoc nomine, quidni alius, antiquior, fuerit orator?

216) Huius feminae mentio est in *Leonidae Tarentini* epigrammate not. 203. laudato.

217) ap. *Euseb.* praeparat. euangel. 9, 39. p. 466. B.

218) Hist. nat. 7, 48.

219) in catalogo auctorum, quibus *Plinius* se usum esse profitetur in conscribendo libro historiae naturalis quarto.

220) Hist. Graec. 5, 3, 13. et 7. 1, 1.

221) Lacon. apophthegmm. T. II. Opp. p. 231. F. ubi etiam *Wyttenbachius* *Σοιβίδας* seruauit, sed *Huttenus* T. VIII. p. 234. *Φοιβίδας* recepit.

222) in Phaedone c. 38. et 39.

223) in v. *Ἄβδηρα*, et *Δώτιον*.

224) Orest. 1648.

225) descript. Graeciae 1, 21. p. 49. ed. *Kuhn.*

226) origg. 1, 38.

227) in chronico T. I. 3, 17. p. 140. ed. *Commelin.* 1597. 8.

228) in v. *Ῥοιώ*.

229) Trachin. 271.

230) Phoeniss. 5.

apud *Pausaniam* [231]) Ἄωρις pro Χλῶρις. In *Scholiis ad Platonem* insigne monstrum edidit *Siebenkeesius* [232]), Ἔχει Φιλοίδας pro Ἐχεφυλλίδας. Multa eiusmodi peccata praeter bonos veterum scriptorum interpretes et librorum criticorum auctores obseruarunt *Bentleius* [233]) et *Doruillius* [234]), inprimisque *Euerwinus Wassenbergh* [235]). Quam ob causam, et quia talia proprie huc non pertinent, plura addere nolui.

Saepe nomina fuerunt in contemtum et ignominiam detorta, atque adeo, si contumeliosa fieri inciperent, subinde mutata, v. c. Ἐλεγξῖνος (h. h. reprehendendi et refellendi cupidus) contemtus causa dicebatur pro Ἀλεξῖνος (h. e. adiutor), Σαννίδωρος vel Σαινίδωρος (donis captans aliorum beneuolentiam, vel donorum causa adulans) pro Ἀντίδωρος (doni instar aestimandus), Γέλως (risus vel risu dignus) pro Γέλων (ridens, hilaris), Ληροκριτος vel Ληρόκριτος (de rebus friuolis iudicans) pro Δημόκριτος (populi iudex), Ἀνόμιος (legum violator) pro Ἐννόμιος (legum obseruator), Ἐπιμανὴς (furiosus) pro Ἐπιφανὴς (illustris), Κακεργέτης (maleficus) pro Εὐεργέτης (beneficus) [236]), Ἀδόξιος (inglorius) pro Εὐδόξιος (gloria ornatus), Ἀσέβιος pro Εὐσέβιος (impius pro pius), Ἄτακτος (inordinatus, dissolutus), pro Εὔτακτος (ordinis studiosus), Ἀτυχὴς (infelix) pro Εὐτυχὴς (felix), Μήρινθος (laqueus) pro Κήρινθος (cereus, flexibilis), Φρεάντλης (e puteo hauriens) pro

231) Descript. Graeciae 9, 36.

232) in Anecdotis Graecis p. 11. Sed *Ruhnkenii* Scholiorum in Platonem editio recte p. 11. praebet Ἐχεφυλλίδας.

233) epist. ad Millium p. 514. sq.

234) ad *Charitonem* p. 607. sq. ed. Amst. siue p. 571. sq. ed. Lips.

235) in diss. philolog. de nominibus hominum et locorum propriis, librariorum culpa aliisue de causis in veterum scriptorum libris frequenter obliteratis aut vitiatis. Cum exemplis, e *Theognide*, *Apollodoro*, *Dionysio Periegeta*, *Plutarcho*, *Longo*, *Cicerone*, *Velleio*, *Hygino*, *Gellio*, *Horatio*, *Propertio*, *Martiali*. Franequerae 1790. 4. Adde quod in Συναγωγῇ λέξεων χρησίμων Codex Sangermanensis in v. Ἄγραι habet καὶ Δῆμος, pro quibus verbis *Ruhnkenius* ad *Timaei* Lexicon Platon. p. 223. reponendum esse vidit Κλείδημος, quod recepit *Bekkerus* Anecdot. Graec. Vol. I. p. 326, 30.

236) v. *Athenaeus* 12, p. 549. D.

Κλεάνθης (fama gloriaque florens), *Σάθων* (putris vel debilis) pro *Πλάτων* (latos humeros habens), *Ἡρακλείδης Πομπικὸς* (pompae amans, sumtuosus, luxuriosus) pro *Ποντικὸς* (in Ponto natus), *Ἄβυλλα* (inconsulta prophetis) pro *Σίβυλλα* (Dei consulta), *Ἐπιτίμαιος* (reprehensione dignus) pro *Τίμαιος* (honore dignus), *Κακοστόργιος* (malorum amans) pro *Φιλοστόργιος* (amicorum amans), *Σκοτεινὸς* (tenebricosus, stolidus) pro *Φωτεινὸς* (lucidus, ingenio valens), *Χέσιππος* (fimus equinus) et *Κρύψιππος* (tam exiguo corpusculo, ut a vicino equite statua eius occultetur) pro *Χρύσιππος* (aureum equum habens). Multa alia talia exempla collegit *Fabricius* [237]), et plura verisimiliter peti potuissent ex opere nunc deperdito *Leandri Nicanoris*, Cyrenaei, quod *μετονομασίας* inscripsit, et quod saepe laudatur a veteribus [238]). Nec recentioribus temporibus defuere, qui ingenio ad detorquenda in ignominiam nomina abuterentur. Sic in Iohannem Scharffium, qui saeculo septimo decimo Vitebergam scriptis permultis nobilitauit, iactabatur hic versus: Scharffius interdum Stumpfius esse solet. Et Philippus Repington, qui initio saeculi quinti decimi Oxonii claruit, in alium virum doctum, cui nomen erat Neckam, fecit hoc epigramma:

> Et niger et nequam, cum sis cognomine Neckam
> Nigrior esse potes, nequior esse nequis.

Cui sic fuit responsum:

> Phi nota foetoris, Lippus malus omnibus horis,
> Phi malus et Lippus, totus malus ergo Philippus.

Sic Iacobus Gronouius vocari a nonnullis aetatis suae viris eruditis solebat Grunnouius, et quae sunt alia talia.

Simile est, quod seruorum Graecorum nomina a dominis interdum immutata fuisse narrantur. Certe honorifica nomina, omninoque ea, quae inter ciues ingenuos

237) in Bibliotheca Graeca Vol. I. p. 231. sq. ed. *Harles.* Conf. *Ioh. Chph. Wolf* ad *Pseudo-Origenis* Philosophumena p. 90.

238) v. c. ab *Harpocratione* in v. *Ἄκη*, a *Stephano Byzantino* in v. *Πάρος* et *Ἴδη*, a *Scholiasta Apollonii Rhodii* 4, 262. ab *Athenaeo* 7, p. 296. D. ubi, auctore *Nicanore* isto, ait Melicerten mutato nomine Glaucum appellatum fuisse.

usitata essent, seruis dari vetita esse apparet e verbis *Herodis Attici*, quae *Gellius*[239]) nobis seruauit: „Maiores „mei, Athenienses, nomina iuuenum fortissimorum, Har„modii et Aristogitonis, qui libertatis reciperandae gratia „Hippiam[240]) tyrannum interficere adorsi erant, ne un„quam seruis indere liceret, decreto publico sanxerunt, „quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriae de„vota seruili contagio pollui." Illis igitur seruis, qui tale nomen haberent, verisimile est aliud impositum fuisse, breue quidem et duarum plerumque syllabarum, quo celerius et facilius pronunciari a dominis posset, ut *Γέτης* siue *Γέτα* vel *Δᾶυος* siue *Δάος*, quae Athenis quidem fuere usitatissima seruorum nomina[241]). Nam serui nominabantur fere nomine gentis, e qua oriundi erant, ut *Λυδὸς*, *Σύρος*, *Κὰρ*, *Φρὺξ*, si quis Lydiam, vel Syriam, vel Cariam Phrygiamue haberet patriam. *Scholiastes Theocriti*[242]): *Λάκων ὄνομα κύριον. — εἰώθασι δὲ οἱ παλαιοὶ τοῖς δούλοις ὀνόματα τιθέναι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, Σύρον, Καρίωνα· οὕτω καὶ τὸν Λάκωνα.* Unde factum est ut nomina Carum et Phrygum vel simpliciter seruos significarent, vel omnino homines vilissimos. id quod docent prouerbia: *Θύραζε Κᾶρες*, *'Εν Καρὶ τὸν κίνδυνον*, Phryx plagis emendatur[243]), et similia. Alii serui iis saltem nominibus vocabantur, quae in serui cuiusque patria essent usitatissima, ita ut seruus Paphlago nominaretur *Τίβιος*[244]), e Phrygia vero aduectus, *Μίδας* vel *Μάνης*[245]). Sic *Μανία*, mulier Phrygia, nobilis erat

239) noctt. Att. 9, 2. Conf. omnino *Athenae.* 13, p. 587. C.

240) Rectius alii Hipparchum tunc interfectum fuisse tradunt, ut *Carcinus* ap. *Athenae.* 15, p. 695. B. et *Aelianus* V. H. 11, 8.

241) v. *Strabo* 7, p. 294. ed. Basil. 1549. fol. siue p. 304. C. ed. *Casaub.* qui *Δάνους* olim appellatos fuisse putat, qui postea *Δάκοι.*

242) Idyll. 5, 2.

243) v. *Erasmi* adagiorum chill. 1, 2, 65. 1, 6, 14. 1, 8, 36.

244) Omnino praeclare et de hoc et de reliquis huc pertinentibus disputauit *Hemsterhusius* ad *Luciani* Tim. c. 22. T. I. Opp. p. 132—134. edit. *Reitz.* Conf. *Fischer.* ad *Theophrasti* Charact. 9, 1.

245) v. *Strabo* l. l. Conf. lib. 12. p. 530. (p. 553. A. ed. *Casaub.*) *Reland.* diss. miscell. P. II. p. 193. sq.

inter populares matrona, quippe marito mortuo succedere a Pharnabazo iussa in satrapia Aeolidis [246]). Sed cum Athenis meretrix aliqua, quae inde ab ineunte aetate propter exiguam corporis staturam, vocem autem et faciem suauissimam ac pulcherrimam, nominata fuerat *Μέλιττα*, non solum propter eximiam pulchritudinem [247]), sed etiam ideo, quod ridens vel excludens aliquem, vel vituperans aut laudans, exclamare solita esset: *μανία*, cognominata ab amatoribus *Μανία* fuisset, erant quibus turpe videretur, mulierem Graecam nomine Phrygio appellari [248]). E quo exemplo satis patet, quam inuisa Graecis, maximeque Atheniensibus, nomina externa, quae seruis imponi solebant, fuerint. Idem vero apparet etiam ex eo, quod manu missi, ne amplius serui putarentur, nomen suum rursus mutabant, et ita mutabant, ut nomini seruili unam pluresue syllabas adiicerent. Saltem videtur id colligi posse ex hoc *Nicarchi* epigrammate [249]):

ἦν Στέφανος πτωχὸς, καὶ παῖς [250]) ἅμα· νῦν δὲ προκόψας
  πλουτεῖ, καὶ γεγένητ' εὐθὺ Φιλοστέφανος,
τέσσαρα τῷ πρώτῳ Στεφάνῳ καλὰ γράμματα προσθείς.
  ἔσται δ' εἰς ὥρας Ἱπποκρατιππιάδης,
ἢ διὰ τὴν σπατάλην Διονυσιοπηγανόδωρος.
  ἐν δ' ἀγορανομίῳ παντὶ μένει Στέφανος.

Eodem modo *Demosthenes* [251]) Aeschinem dicit patri suo, qui antea *Τρόμης* nominatus esset, duabus syllabis additis nomen *Ἀτρόμητος* dedisse, ne ipse serui filius,

246) v. *Xenoph.* hist. Graec. 3, 1, 8—10.

247) Nam *μανικὸς* saepe est *egregius*, *insignis*, de quo vocabuli usu plura dixi in Lexico Xenophonteo, et videtur conferri posse cum Latino *insanus* quod interdum significat *magnum*.

248) v. *Machon* apud *Athenaeum* 13, p. 578. Conf. *Menag.* ad *Diog. Laert.* 5, 55.

249) in *Brunckii* analectis veterum poetarum Graecorum T. II. p. 354. nr. XXI.

250) h. e. seruus.

251) orat. de corona c. 41.

sed ciuis, esse videretur. Sic ap. *Lucianum*[252]) Simon coriarius diuitiis auctus Simonidem se dici vult. Omnino enim homines liberos et opulentos pudebat nominum seruilium[253]). Nonnunquam vero etiam aliis de causis sibi nomina mutasse ipsi leguntur, exempli gratia ad abscondendam veteris malitiae infamiam[254]).

Restat ut de articulo nominibus hominum propriis praeposito quid statuendum videatur, paucis exponam. Si quis enim legerit libros Graecorum, mirabitur, toties articulum addi nominibus propriis, cum id in lingua nostra aliisque hodiernis non fieri constet. Mirabitur etiam, in Grammaticorum libris nihil admodum, quod quidem operae pretium sit, de isto articuli usu praeceptum reperiri. *Phauorinus* quidem[255]) in hanc sententiam de eo praecipit: *ἐπιθέτου ὄντος καὶ κυρίου, τὸ ἐπίθετον ἔχει τὸ ἄρθρον ἀεὶ, ὁπότερον ἂν προτάττοιτο, τὸ δὲ κύριον οὐδαμῶς. οἷον, Πλάτων ὁ σοφὸς εἴρηκε τόδε. καὶ ἀνάπαλιν, ὁ σοφὸς Πλάτων εἴρηκε.* Quid vero faciemus iis locis, ubi nomini proprio, cui adiectiuum non sit additum, articulus tamen praeponitur? E recentioribus Grammaticis contuli hanc in rem viginti quinque. Sed in plerisque altum de hoc articuli usu silentium est, in nonnullis autem, ut in Compendiaria Graecae grammatices institutione in usum Seminarii Patauini[256]), in Grammatica Graeca *Nicolai Bantisch-Kamenskj*[257]) et *Johannis Georgii Trendelenburgii*[258]), simpliciter nec ulla omnino causa allata dicitur articulus nominibus propriis interdum praemitti, interdum omitti. Quid igitur? Num in hac sola causa Graecos sine ulla ratione versatos

252) in Gallo c. 14. T. II. p. 724. ed. *Reitz.* Conf. *Theophr.* char. 28, 1. ibique *Fischer.* et in indice v. *Σωσίας*, et *εὐγενής*.

253) v. *Lucian.* in Timone c. 21. sq. T. I. p. 131 — 136.

254) Quam in rem vid. *Plutarch.* de sera numinis vindicta c. 22. T. II. Opp. p. 564. C. ibique *Wyttenbach.*

255) in v. *ἄρθρα.*

256) quae Ratisbonae et Viennae 1754. 8. recusa est, p. 247.

257) quae prodiit Lipsiae 1779. 8. p. 237.

258) Lips. 1788. 8. p. 146. sq. Taceo multas alias Grammaticas recentiores.

esse putabimus? Aut num tota res ita est obscura putanda, ut nullo modo explicari et plana reddi tironibus possit? Scilicet iudicari res debet ex iis, quae in universum de articuli usu praecipiunt Grammatici. Consentiunt autem fere omnes, articulo indicari rem certam, vel definitam, vel in praecedentibus iam descriptam aut commemoratam. *Epiphanius*[259]): ὅπου ἄρθρον πρόσκειται ἐπὶ ἑνί τινι ὡρισμένῳ καὶ διαφανεστάτῳ, πάντως ἔστιν ἡ βεβαίωσις διὰ τὸ ἄρθρον. ἄνευ δὲ τοῦ ἄρθρου ἐπὶ ἑνὸς τοῦ τυχόντος ἀορίστως ἐστὶ ληπτέον ὡς οἷον εἰπεῖν, ἐὰν εἴπωμεν βασιλεὺς, ὄνομα μὲν ἐσημάναμεν, ἀλλ' οὐ τηλαυγῶς τὸν ὁριζόμενον ἐδείξαμεν· βασιλέα γὰρ λέγομεν, καὶ Περσῶν, καὶ Μήδων, καὶ Ἐλαμιτῶν· ἐὰν δὲ μετὰ προσθήκης τοῦ ἄρθρου εἴπωμεν, ὁ βασιλεὺς, ἀναμφίβολόν ἐστι τὸ σημαινόμενον. ὁ γὰρ βασιλεὺς ὁ ζητούμενος, ἢ ὁ λεγόμενος, ἢ ὁ γινωσκόμενος, ἢ ὁ τοῦ τινὸς βασιλεύων, διὰ τοῦ ἄρθρου ὑποδείκνυται. καὶ ἐὰν εἴπωμεν θεὸς ἄνευ τοῦ ἄρθρου, τὸν τυχόντα εἴπαμεν θεὸν τῶν ἐθνῶν, ἢ θεὸν τὸν ὄντα· ἐὰν δὲ εἴπωμεν ὁ θεὸς, δῆλον ὡς ἀπὸ τοῦ ὁ ἄρθρου τὸν ὄντα σημαίνομεν, ἀληθῆ τε καὶ γινωσκόμενον· ὡς καὶ ἄνθρωπος, καὶ ὁ ἄνθρωπος. etc. *Theodorus Gaza*[260]): κυρίως ἄρθρον τὸ προτακτικὸν ποιεῖ ἀναπόλησιν προεγνωσμένου τοῦ ἐν τῇ συντάξει· οἷον, εἰ μὲν λέγοι τις, ἄνθρωπος ἥκει, ἄδηλον τίνα ἄνθρωπον λέγει· εἰ δὲ ὁ ἄνθρωπος, δῆλον. προεγνωσμένον γάρ τινα τῶν ἀνθρώπων. τοῦτο δὲ αὐτὸ βούλονται καὶ οἱ φάσκοντες τἄρθρον σημαντικὸν οὐ πρώτης γνώσεως, ἀλλὰ δευτέρας. τὰ μὲν οὖν προτακτικὰ πάντων τῶν ὀνομάτων προτίθεται. Itaque videtur articulus addi recte posse nominibus propriis tum, cum iam antea eorum mentio facta est, non vero cum

259) aduers. haereses lib. 1. p. 17. ed. Basil. 1544. fol.

260) introduct. grammat. lib. 4. qui est de syntaxi, p. 228. ed. *Aldi*, Venet. 1512. 8. (p. 616. sqq. ed. Basil. 1545. 8.) Plura fortassis habere alicui videatur *Neophyti* commentarius in *Gazae* librum quartum, Bucorestae 1768. fol. cuius commentarii integrum titulum exhibet *Alterus* in *Allgemein. Literar. Anzeig.* 1801. nr. 71. p. 686. qui dicit, librum complecti paginas 1298. 4 mai. Conf. *Villois.* prolegg. ad Il. p. XIII. Ego vero spissum illud volumen oculis perlustrans nihil admodum, quod hanc doctrinam illustraret, inueni.

primum nominantur. Hanc legem, quam non nisi in una Grammatica Graeca [261]) inueni, sibi scripsisse repe- riuntur optimi quique scriptores, ut *Plato* et *Xenophon*. Ille ab initio libri primi de republica primo mentionem facit *Γλαύκωνος*, *Πολεμάρχου*, *'Αδειμάντου*, sed paulo post, ubi eos iterum nominat, omnibus praemittit articulum. Et initio Cyropaediae Xenophonteae, ubi primum memoratur Cyrus, non additum videmus articulum. Sed 1, 2, 1. diligentissimus auctor scripsit *φῦναι δὲ ὁ Κῦρος λέγεται*. Sic hoc ipso loco primo meminit *Καμβύσου* et *Μανδάνης*. Ubi vero semel nominati sunt, paulo post addit articulum: *ὁ δὲ Καμβύσης οὗτος* — *ἡ δὲ Μανδάνη αὕτη*. Sic 1, 3, 1. est *'Αστυάγης*, sed §. 2. *τὸν 'Αστυάγην*. et sic porro. Neque enim in aliis libris aliter versatur. Ex mea igitur sententia, si quis apud diligentem et accuratum scriptorem inuenerit articulum nomini hominis, qui primum nominetur, appositum, eum vitiose positum putet, ac per me licet deleat. Ubi vero articulus nomini saepius iam commemorato non praemissus apparet, id ne vitium putet. Tum enim penes scriptorem erat, articulum vel addere vel omittere. Videamus exempla. *Xenophon* ab initio narrationis de Agesilao simpliciter eius meminit: *'Αγησιλάου*, non *τοῦ 'Αγησιλάου*, et 1, 10. *Τισσαφέρνης*, utpote nondum antea in hoc libello memoratus, sine articulo nominatur. Sed §. 13. est *ὁ Τισσαφέρνης* et *τῷ Τισσαφέρνει*, et §. 30. *ὁ 'Αγησίλαος*. Nolim vero ideo in locis parallelis (Hist. Graec. 3, 4, 11. et 22.), ubi deest articulus ante *Τισσαφέρνει* et *'Αγησίλαος*, eum addi iubere. In Memorabilibus Socr. 1, 2, 31. meminit primum Chariclis, atque

261) quae inscripta est *Vollständigere griechische Grammatik, nach der Lehrordnung der lateinischen Märkischen Grammatik eingerichtet*, Berol. 1730. 8. p. 814. sq. Sed unum modo exemplum ibi allatum est e Matthae. 27, 2. ubi est *Ποντίῳ Πιλάτῳ* sine articulo, sed vers. 13. *ὁ Πιλάτος*. Est illa Grammatica in universum omni laude dignissima. Cf. *Der vermeinte griechische Ketzer erkläret sich deutlicher in einem vertraul. Gespräche, welches aufgezeichnet worden von M. M.* Budissae 1715. 12. p. 67. sq.

adeo recte scripsit simpliciter *Χαρικλέους*, sed §. 36. ubi non in omnibus editionibus legitur ἔφη ὁ Χαρικλῆς, non ego damnauerim articuli omissionem. 1, 3, 8. primum nominat *Ξενοφῶντα*. Tum saepius scripsit ὁ *Ξενοφῶν*. Dubitem tamen, an vitiosa putanda sit lectio nonnullarum editionum §. 12. ubi semel est ἔφη *Ξενοφῶν*. In *Aeschinis Socratici* dialogo primo, cap. 2. primum nominatur *Θεμιστοκλῆς*, ut ineunte capite quarto. Hic tamen paulo post vocatur ὁ *Θεμιστοκλῆς*, et verbis aliquot interiectis rursus omisso articulo *Θεμιστοκλῆς*, ut in *Platonis* Menone cap. 21. unde *Aeschines* sua petiit. Itaque non ego quidem necessarium putauerim, ut in ultimo illo *Aeschinis* loco cum Codice Augustano legatur ὁ *Θεμιστοκλῆς*. Verum in *Xenophontis* Memorr. Socr. 3, 10, 1. recte ab editoribus reiicitur lectio *Stobaei*: *πρὸς τὸν Παῤῥάσιον τὸν ζωγράφον*, pro *πρὸς Παῤῥάσιον τ. ζ.* non solum, quae est *Zeunii* ratio, quia nomina propria solent simpliciter poni tum, cum definiendi causa aliquid additur, quale hoc loco est *τὸν ζωγράφον*, sed potius quia nondum memoratus fuerat Parrhasius. Sic nec illa *Zeunii* crisis admodum me delectat, qua apud *Xenophontem* Cyropaed. 6, 4, 3. (8.) in verbis: ὁ *Ἀράσπης ἀπέστη αὐτοῦ*, ὁ *ἐμὲ φυλάττων*, articulum ante nomen *Ἀράσπης* recte abesse judicat a libris Guelferbytano et *Zonarae* ideo, quod accedente ad nomen proprium formula definiente, qualis inest in verbis ὁ *ἐμὲ φυλάττων*, soleat illud nomen fere sine articulo poni. Nimirum placeret hoc iudicium, nisi articulus repetitus esset ante verba *ἐμὲ φυλάττων*. Nemo enim diceret ὁ *Ἀράσπης ἐμὲ φυλάττων*. Iam vero articulus recte praemitti poterat nomini *Ἀράσπης*, ut lectores statim recordarentur, intelligi illum ipsum Araspam, qui iam saepius commemoratus fuisset. Sic in eadem Cyropaedia 6, 1, 26. (51.) sine ulla lectionis varietate legimus: ἡ *δὲ Πάνθεια*, ἡ *γυνὴ αὐτοῦ*. Quamuis enim nomini proprio addita sit explicatio, tamen illud comitem habere potest articulum, quia Pantheae iam saepius mentio facta erat. In Anabasi vero 1, 1, 4. idem *Zeunius* recte iudicat, in verbis: *Παρύ-*

σατις μὲν δὴ μήτηρ, post *μὲν δὴ* ponendum esse articulum *ἡ*. „Nam, inquit, si duo nomina, proprium et ap„pellatiuum, per appositionem copulantur, proprium fere „est sine articulo, appellatiuum autem, cum definiendi „et explicandi causa adiiciatur, articulo adiuuatur.“ Recte, inquam, *Zeunius* ita iudicat. Sed meo iudicio, si scriptum legeretur *ἡ Παρύσατις μὲν δὴ ἡ μήτηρ*, nec hoc esset reprehendendum, quia *Παρυσάτιδος* iam ab initio capitis facta erat mentio. Sic in *Lysiae* oratione contra Agoratum p. 484. recte legi poterat *ὁ Ξενοφῶν ὁ στρεβλωθεὶς*, ut ante *Reiskium* edi solitum fuerat, quia iam antea p. 477. Xenophon ille nominatus est. *Reiskius* tamen articulum non male deleuit, quia sequitur *Ἱππίας ὁ Θάσιος*, non *ὁ Ἱππίας ὁ Θάσιος*.

Quod supra dixi, veteres Graecos fere omnes non nisi uno quemlibet nomine usos esse, id verum est, si intelligas, ut dixi, Graecos veteres, hoc est, qui ante subactam a Romanis Graeciam vixerunt. Graeci enim, postquam Romanorum imperio erant subiecti, horum etiam nomina, vel ut gratiam nationis victricis captarent, vel ut gratum animum testarentur, suis nominibus saepe praemiserunt, vel addiderunt, vel substituerunt, atque adeo vel duobus vel pluribus nominibus usi esse reperiuntur. E quo genere sunt Aelius Aristides, Aelius Dionysius, Antonius Polemon, Claudius Galenus, Claudius Ptolemaeus, Flauius Arrianus, Dio Cassius Cocceius siue Cocceianus, Titus Flauius Clemens. Non tamen omnes Graeci nomina ista Romana statim ubi nati erant, sed multi postea demum accepisse intelliguntur. Eadem ratio est agnominum, de quibus infra exponere statui. Etiam Graeci in Aegypto degentes duobus nominibus illo tempore gauisi sunt, sed saepe sic, ut alterum Graecae originis esset, alterum Aegyptiacae. In *Charta quidem papyracea Graece scripta Musei Borgiani Velitris* [262]), quae saeculo post Christum natum secundo vel tertio

262) edita a *Nicolao Schow*, Rom 1788. fol. ubi huc pertinent 4, 23. 7, 29. 8, 15. et 28.

scripta putatur. commemorantur *Ἰσίδωρος Σαραπίων*, *Ἡρακλῆς Πατκόμις* siue *Παλκόμις*, *Ἡρακλῆς Ἰσκεὺς* siue *Ἰσβεὺς*, *Καλλῆς Ἀνίσωλις*. Si quis tamen cum *Schowio* alterum nomen pro cognomine vel agnomine habere malit, non ego cum eo pugnem. Neque admodum dissimilis videtur esse ratio, ubi de antiquis quoque temporibus reperiuntur exempla plurium nominum singulis hominibus datorum, cuiusmodi locus extat apud *Plutarchum*[263]): *Πολλὰ δὲ, ὡς ἔοικε, τῶν ὀνομάτων ἀποκρύπτουσιν αἱ παρωνυμίαι. τὴν γοῦν Ἀλεξάνδρου μητέρα, Πολυξέναν, εἶτα Μυρτάλην, Ὀλυμπιάδα τε καὶ Στρατονίκην κληθῆναι λέγουσι· τὴν δὲ Κορινθίαν Εὔμητιν, ἄχρι νῦν Κλεοβούλην πατρόθεν οἱ πλεῖστοι καλοῦσιν*[264])· — *τῶν δὲ γραμματικῶν ἀκούσῃ καὶ τὴν Λήδαν, Μνησινόην, καὶ τὸν Ὀρέστην, Ἀχαιὸν ὠνομάσθαι φασκόντων.* Nam hic et alii eius generis loci pertinent potius ad agnomina, quam ad nomina, neque coniungi plura ista nomina solent, sed Olympias v. c. alias Polyxena, alias Myrtale, alias Stratonice videtur nominata fuisse. In iis vero, quae sunt recentioris aetatis, raro unum nomen ponitur, nisi ubi nullum errandi periculum est; verbi causa, Aristides simpliciter, et omisso praenomine Aelii, recte nominatur tum, cum ex reliqua oratione facile perspici potest, non Aristidem illum antiquum, Iusti cognomine insignitum, significari.

Numerum pluralem in nominibus virorum magnorum celebriumque poni solere eleganter et cum emphasi quadam pro singulari, de Latinis quidem satis notum est. Graecis eundem usum loquendi placuisse, vix opus est ut multis ostendam. Videamus tamen nonnullos veterum locos. *Plato*[265]): *τἀναντία τούτοις — καὶ ἄλλα ὅσα Μέλισσοί τε καὶ Παρμενίδαι ἐναντιούμενοι πᾶσι τούτοις διϊσχυρίζονται.* Idem[266]): *ὅταν ἢ Θυέστας, ἢ τινας Οἰδίποδας εἰσάγωσιν, ἢ Μακαρέας τινὰς ἀδελφαῖς μιχθέν-*

263) de Pythiae oraculis c. 14.
264) de nomine *Κλεοβούλη* v. supra not. 35.
265) in Theaeteto T. I. opp. p. 180. E. ed. *Steph.*
266) de legg. lib. 8. T. II. p. 838. C.

τας. Item [267]): ὁρῶν αὖ Φαίδρους, Ἀγάθωνας, Ἐρυξιμάχους, Παυσανίας, Ἀριστοδήμους τε καὶ Ἀριστοφάνεις. *Aelianus* [268]): οἵους ἐν τῇ τραγῳδίᾳ τοὺς μονάρχας ὁρῶμεν, Ἀτρέας τε ἐκείνους, καὶ Θυέστας, καὶ Ἀγαμέμνονας, καὶ Αἰγίσθους. *Plutarchus* [269]): Φαβρίκιοι φασὶν εἶναι, καὶ Κάμιλλοι, καὶ Λούκιοι Κικιννάτοι, καὶ Μάξιμοι Φάβιοι, καὶ Κλαύδιοι Μάρκελλοι, καὶ Σκιπίωνες. Item [270]): ἄλλοι λεχθέντες — θεοῖς ἐράσμιοι γενέσθαι, Πηλεῖς καὶ Ἀγχίσαι καὶ Ὠρίωνες καὶ Ἠμαθίωνες. Item [271]): τοὺς μεγάλους ἐκείνους ἀριστεῖς καὶ ἡγεμόνας Μαλλίους, καὶ Σερουΐους, καὶ Ποστουμίους, καὶ Παπυρίους. Et alio loco [272]): Κριτίαι καὶ Ἀλκιβιάδαι καὶ Κλειτοφῶντες. Item [273]): Περδίκκαις, καὶ Μελεάγροις, καὶ Σελεύκοις, καὶ Ἀντιγόνοις. Item [274]); Ἀνταίους κολάζειν, καὶ Βουσίριδας παύειν μιαιφονοῦντας. Item [275]): Λημναῖοι, καὶ Πτολεμαῖοι, καὶ Λεοννάτοι, καὶ ὅσοι τὸ τεῖχος ὑπερκαταβάντες ἢ ῥήξαντες. Et rursus [276]): τοὺς Ἰσοκράτεις καὶ Ἀντιφῶντας καὶ Ἰσαίους. Denique [277]): πρωτεύων ἐν Ἐφιάλταις, καὶ Λεωκράταις, καὶ Μυρωνίδαις, καὶ Κίμωσι, καὶ Τολμίδαις, καὶ Θουκυδίδαις. Sic *Julianus* Imperator [278]): συνέδραμον Βίνδικες, Γάλβαι, Ὄθωνες, Βιτέλλιοι. Et [279]): τὸν δουλικὸν ἐκεῖνον πόλεμον ἄλλοι μὲν κατειργάσαντο, Κράσσοι καὶ Λούκιοι, τοὔνομα δὲ καὶ τὴν ὑπογραφὴν ἔσχε Πομπήϊος. In his locis fere omnibus pluralis ita positus apparet, ut non solum dignitas et amplitudo viris nomina-

267) in Symposio T. III. p. 218. B. Cf. *Plutarch.* sympos. 1, 3.
268) var. hist. 2, 11.
269) de fortuna Romanor. c. 3.
270) ibid. c. 9.
271) ibid. c. 12.
272) de Alexandri M. siue virtute siue fortuna orat. 1. c. 5.
273) ibid. orat. 2. c. 4.
274) ibid. c. 11. T. II. Opp. p. 342. A.
275) ibid. c. 3. T. II. opp. p. 344. D.
276) de gloria Atheniensium c. 8.
277) in vita Periclis c. 16.
278) in Caesaribus p. 6. edit. *Heusinger.*
279) ibidem p. 18. Conf. quae *Heusingerus* ad *Vechneri* Hellenolexiam 2, 6. p. 507. annotauit.

tis augeatur, sed etiam similes iis viri significentur, ut v. c. *Μέλισσοι καὶ Παρμενίδαι* sint Melissus et Parmenides aliique philosophi, qui hos tam cogitandi subtilitate et facultate poetica, quam nominis claritate et gloria aequant.

Non minus Latini Graecos imitati in eo sunt, quod nomine scriptoris uterentur pro libris, quorum ille esset auctor. Quam in rem apponere placuit unum *Plutarchi*[280]) locum, qui est instar omnium: *ἡμεῖς τὸν ὠνούμενον βιβλία Πλάτωνος, ὠνεῖσθαι φαμὲν Πλάτωνα, καὶ Μένανδρον ὑποκρίνεσθαι τὸν τὰ Μενάνδρου ποιήματα ὑποτιθέμενον.* Sed haec rhetoribus sunt relinquenda, quos praecipere constat, talia dici per metonymiam efficientis pro effecto.

Non admodum frequens est, quod *Σωκράτης* apud *Xenophontem*[281]) significat *Socratis nomen.* Verba sunt: *περὶ γραμμάτων, ἐάν τις ἔρηταί σε, πόσα καὶ ποῖα Σωκράτους ἐστὶν,* h. e. *quot et quaenam literae contineantur nomine Socratis, quot et quibusnam literis compositum sit Socratis nomen.* Similia tamen passim repe riuntur, ut apud *Dionem Cassium*[282]): *σεαυτὸν ἐπ' αὐτὸ ἐπιγράφεις,* h. e. *nomen tuum.* Apud *Plutarchum*[283]): *τὸν πτωχὸν λοιδόρημα ποιοῦνται, καὶ τὸν φαλακρὸν, καὶ τὸν μικρὸν, καὶ, νὴ Δία, τὸν ξένον, καὶ τὸν μέτοικον.* Et apud *Aeschinem*[283*]): *σαυτὸν ἐπὶ τὸ γεγενημένον ἐπιγράψεις.*

Verum missis his omnibus meum iam esse video, ut, quot dies nato infanti, et quibus ritibus, et a quonam impositum fuerit nomen, paucis declarem. Quamuis enim nihil admodum, quod non ante me viri docti[284]) docuerint, afferre potuero, non tamen displi-

280) de Iside et Osiride c. 70.
281) memorabb. 4, 4, 7.
282) 46, 9. p. 456, 88. edit. *Reimar.*
283) de exilio c. 17. T. II. Opp. 607. A.
283*) contra Ctesiphontem p. 558. edit. *Reisk.*
284) Praeter eos, quos supra laudaui, v. *Ioh. Phil. Pfeifferi* antiquitatum Graecarum 4, 26. *Iosua Barnes* ad *Eurip.* Electr. 1126. *Ioh.*

cebit, opinor, plena totius argumenti tractatio. Videtur autem dies lustricus, h. e. quo infantes lustrabantur et nomen accipiebant[285]), non omnibus temporibus idem fuisse, sed olim quintus a natali, tum septimus, tandem decimus. *Harpocration* enim, et ex eo *Eudocia* p. 39. et *Phauorinus*, in vocabulo Ἀμφιδρόμια ita rem exponunt: *ἡμέρα τις ἤγετο ἐπὶ τοῖς νεογνοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος παρὰ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες, καὶ ὑπὸ τῶν οἰκείων καὶ φίλων πολύποδας καὶ σηπίας ἐλάμβανον.* Item: *Ἀμφιδρόμια, ἡμέρα πέμπτη τοῖς βρέφεσιν ἐκ γενέσεως, οὕτω κληθεῖσα, καθόσον ταύτῃ καθαίρουσι τὰς χεῖρας αἱ συναψάμεναι τῆς μαιώσεως, καὶ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν φέρουσαι τρέχουσι κύκλῳ*[286]), *καὶ τοὔνομα τίθενται τούτῳ, δῶρά τε πέμπουσι τῷ παιδὶ, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον πολύποδας, οἵ τε φίλοι, καὶ οἰκεῖοι, καὶ ἁπλῶς οἱ προσήκοντες.*[287]) *Hesychius* autem sic: *Ἀμφιδρόμια, ἡμέρα ἀγομένη τοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες κύκλῳ, καὶ ἐπετίθεσαν αὐτῷ ὄνομα, ὅτε ὑπὸ τῶν οἰκείων καὶ φίλων δῶρα ἐπέμπετο.*[288]) *Meursius* in Graecia feriata, vel errasse *Hesychium*, vel eius verba mutila esse decimique diei mentionem excidisse existimabat. Eandem rationem secutus *Harlesius*[289]) pro *ἐπετίθεσαν*

Potteri archaeologia Graeca 4, 14. p. 589. sqq. T. II. versionis *Rambachiae*. *Ioh. Lomeieri* Epimenides siue de veterum gentilium lustrationibus c. 27. *Alex. ab Alexandro* dierum genialium 2, 25. *Aegidii Hochmuth* schediasma historico — literarium de ritu *ὀνομαθησίας*, Viteb. 1725. 8. quem tamen librum neque vidi unquam, neque laude admodum dignum esse cognoui. *Pet. Zornii* biblioth. antiquar. T. I. p. 1095—1102. *Ant. Borremansii* Vesperae Gorinchemenses cap. 2. p. 28. [*Ezech. Spanhem.* de usu et praestantia numismatum Diss. X. Vol. I. p. 23. sqq. *Harl.*]

285) v. *Macrob.* Saturnn. 1, 16. p. 269. edit. Lugd. Bat. 1670. 8. Conf. not. 290.

286) cf. *Plato* in Theaeteto T. I. opp. p. 160. extr.

287) *Scholia* in *Platonem* p. 21. edit. *Ruhnken.* idem tradunt, et iisdem paene verbis, sed *συνεφαψάμεναι* habent, et paulo ante *ἐν ταύτῃ*, et postea *καὶ οἱ οἰκεῖοι.* Similem *Suidae* locum infra attuli.

288) lib. 1. p. 795. Vol. III. Opp. *Meursii.*

289) de nominibus Graecorum p. 41. Veteres enim *διὰ σημείων*

legendum suspicabatur τῇ ι (h. e. τῇ δεκάτῃ) ἐτίθεσαν. Mihi vero, ut dixi, videntur tempora potius esse distinguenda, et Amphidromia puto semper tam nominalia, quam diem lustricum fuisse [290]), quamuis non semper neque ab omnibus eodem post natum infantem die celebrata. Nam verisimillimum est, Graecorum superstitionem non nisi lustrato infanti nomen dedisse, nulla vero excogitari causa idonea potest, cur non statim post lustrationem atque adeo ipso lustrationis die nomen dederint. Deinde Amphidromiis non minus quam die decimo conuiuia agitabantur lauta et splendida. id quod apparet e versibus veteris poetae ab *Athenaeo* [290]) seruatis, in cuius libris ille nunc *Ephippus*, nunc *Eubulus* vocatur. Cadit igitur, quod *Harlesius* putat amicos atque necessarios ideo fuisse ab infantis lustrati parentibus decimo die conuiuio acceptos, ut hi gratum pro donis infanti datis animum declararent. Aliud argumentum, quod me credere iubet, Amphidromia et nominalia fere coniuncta fuisse, suppeditat ipse *Hesychius*, ubi Amphidromia narrat septimo die celebrata. Verba eius sunt: *Δρομιάμφιον ἦμαρ· Ἀμφιδρομία.* (Nam etiam haec forma usitata est.) ἔστι δὲ ἡμέρα ἑβδόμη [292]) ἀπὸ τῆς γεννήσεως, ἐν ᾗ τὸ βρέφος βαστάζοντες περὶ τὴν ἑστίαν γυμνοὶ τρέχουσι. Atqui die septimo nomen imponi solitum fuisse, demonstrant loci paulo post a me afferendi. Quidni igitur vel aliquo tempore, vel apud nonnullos Graecorum, et die quinto et decimo coniuncta fuerint Amphidromia et nominalia?

scripsisse. Quam in rem exemplo suo adscripsit: „Conf. *Wesseling.* ad *Diod. Sicul.* 1, 5. p. 9."

290) quod licet a nonnullis recentioribus viris doctis negari sciam, tamen confirmat *Festus*: „Lustrici dies infantium appellantur, puel-„larum octauus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis „nomina imponuntur." Conf. not. 285. De causis, cur Romani his potissimum diebus id fecerint, vid. *Plutarch.* Quaest. Rom. CII.

291) 2, p. 65. C. et 9, p. 370. C.

292) Ita recte legit *Phauorinus*, qui hunc *Hesychii* locum lexico suo inseruit. Apud *Hesychium* male editur ἡμερῶν ἑπτά. *Meursius* l. l. p. 794. emendat ἡμερῶν πέμπτῃ.

Accedit, quod non solum *Haenelius*[293]), sed etiam *Casaubonus*[294]), cuius in eiusmodi rebus sententia permagnum apud omnes pondus habet, Amphidromia non differre a Nominalibus arbitrati sunt, et quod apud Romanos, quos constat Graecorum fere imitatores fuisse, dies lustricus, ut modo dixi, semper comitem habuit nominis impositionem. Etiam *Michael Neander*[295]), satis prouide ac circumspecte, veteres Graecos non ab ipso natiuitatis die, sed alios alio tempore liberis suis nomina imposuisse dicit. Nec magis definitus fuisse videtur hic nominis dandi dies temporibus serioribus. Certe *Nicetas Acominatus Choniates*[296]), ubi talia solemnia narrat, opipari quidem, quod amicis parari solebat, conuiuii mentionem facit, quippe quod etiam tum, cum ad sacra Christiana transierant, Graeci videntur non omisisse, sed quoto die id factum sit, silentio praetermittit. Verba *Nicetae* sunt: *ὑπεξαίρων δὲ* (Manuel Comnenus) *τὴν γενέθλιον καὶ ὀνομαστήριον τοῦ παιδὸς ἡμέραν, ὡς εἴθισται παρὰ τοῖς βασιλεῦσι Ῥωμαίων, τοὺς ἐντιμοτέρους τῶν πολιτῶν μετὰ κλάδων, θαλιῶν εἰς τροφὴν ἐκάλει, καὶ Ἀλέξιον τὸν παῖδα ὠνόμασεν.*

Ab aliis vero parentibus, aliisue temporibus, nomen accipere infans solebat septimo postquam natus erat die. *Aristoteles*[297]) non solum hoc tradit, sed causam quoque, cur id factum sit, dubito tamen an veram, affert

293) in Dissertatione supra laudata posteriore c. 4.

294) animaduerss. in *Athenaeum* 2, 24. p. 135, 36. quam *Casauboni* notam, quia *Schweighaeuserus* Animaduerss. T. I. p. 438. ut multas alias, male omisit, hic placuit subiungere: „constat, Graecorum „amphidromia Romanorum Nominalibus fuisse affinia: proprie *ἀμ-„φιδρόμια* dies est lustricus: quo die nomina imponi solita ex *Sueto-„nii* Nerone (c. 6.) clarum.“ Omnino vid. quae idem vir magnus annotauit ad *Persii* Satir. 2. Conf. *Ern. Sam. Chph. Rudorfii* commentat. de Amphidromiis, Ien. 1758. 4.

295) in opere aureo T. I. p. 143. ed. Lips. 1577. 4.

296) in imperii Graeci historia, vitae Manuelis Comneni 5, 8. p. 185. ed. (Genev.) 1593. 4.

297.) hist. animm. 7, 12. quem locum habent etiam *Schol. Aristoph.* anu. 494. et *Harpocration* in v. *ἑβδομευόμενα*, et *Suidas* in v. *δεκατεύειν*.

his verbis: τὰ πλεῖστα δὲ (παιδία) ἀναιρεῖται (h. e. *moriuntur*) πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῇ σωτηρίᾳ. *Harpocration* et *Etymologici Magni auctor* et *Suidas* et *Phauorinus* in vocabulo ἑβδομευόμενα praeter septimum diem memorant etiam decimum: τοῖς ἀποτεχθεῖσι παιδίοις τὰς ἑβδόμας[298]) καὶ τὰς δεκάτας ἦγον, καὶ τά γε ὀνόματα ἐτίθεντο αὐτοῖς, οἱ μὲν τῇ ἑβδόμῃ, οἱ δὲ τῇ δεκάτῃ. Decem autem dies nato infanti nomen datum fuisse patet ex his verbis *Aristophanis*[299]):

οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ;
καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην.

Ubi Scholiastes ad prima verba annotauit haec: πρὸς τὸ ἔθος. Et alius interpres, σαφὲς, inquit, ὅτι τὰ ὀνόματα τῶν παίδων ἐτίθεσαν τῇ δεκάτῃ. Ad eandem consuetudinem respexisse idem *Aristophanes*[300]) videtur in his:

ἐς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς, ὑπέπινον ἐν ἄστει.

Certe a Scholiasta eo referuntur, ὅτι τὴν δεκάτην, inquiente, εἱστίων ἐπὶ τοῖς γεννηθεῖσι, καὶ ἐν αὐτῇ τὰ ὀνόματα ἐτίθεντο τοῖς παισί. Quae ipsa verba, paululum quidem mutata, refert *Suidas* in verbo δεκατεύειν. Idem *Suidas* habet haec: Ἀμφιδρομία, ἣν πέμπτην ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν, ἐν ᾗ ἀποκαθαίρονται τὰς χεῖρας αἱ συναψάμεναι τῆς μαιώσεως τὸ βρέφος περιφέρουσι τὴν ἑστίαν τρέχοντες, καὶ δῶρα πέμπουσιν οἱ προσήκοντες ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον πολύποδας καὶ σηπίας. τῇ δεκάτῃ δὲ τοὔνομα τίθενται. Quem locum qui paulo diligentius contulerit cum descriptione Amphidromiorum supra ex *Harpocratione*

298) *Harpocrat.* et *Suid.* minus bene τὰς ἑβδομάδας.

299) auu. 923. sq. Cf. *Hesych.* et *Phauorin.* in δεκάτῃ (Num δεκάτην?) θύομεν. quo loco etiam *Aristotelis* affertur sententia, septimo die infantibus nomina data fuisse, de qua eadem dixit *Meursius* Critici Arnobiani lib. 3. cap. 1. Vol. VI. Opp. p. 131. qui idem vir doctus Exercitatt. crit. P. II. lib. 3. c. 33. Vol. V. Opp. p. 681. locum *Hesychii* sic emendat: Δεκάτην θύομεν τῇ δεκάτῃ ἡμέρᾳ, ὅτε τὰ ὀνόματα τοῖς βρέφεσιν ἐτίθεσαν.

300) ibid. 494.

allata, facile perspiciet, ex huius lexico eum petitum, sed mutilum et corruptum esse. Nam post μαιώσεως deest copula, pro περιφέρουσι melius esset φέρουσι περὶ, et verba τῇ δεκάτῃ, quae non huc pertinere posse docet *Harpocrationis* locus, recte forsitan mutaueris verbis τῇ αὐτῇ. Nam eodem die, quo Amphidromia celebrabantur, nomen infanti dabatur. Vtut sit, de die decimo plura nos relata a veteribus quam de quinto et septimo legere, negari non potest, et poteram multos eius generis locos afferre [301]). Verum ne nimis longus essem in re non ignota, unum saltem *Suidae* locum addere volui, et vero etiam, quia causam uniuersam iuuat, debui. *Δεκάτην ἑστιάσαι*, inquit *Suidas*, *ἔθος ἦν παίδων γεννωμένων* (f. *γενομένων*) *τοῖς Ἀθηναίων ἀστοῖς, τῇ δεκάτῃ τῶν νυκτῶν ἀπὸ τῆς γενέσεως συγκαλεῖσθαι τοὺς πρὸς πατρὸς καὶ μητρὸς οἰκείους καὶ τοὺς ἐγγύτατα φίλους, καὶ παρόντων ἐκείνων τά τε ὀνόματα τοῖς παισὶ τίθεσθαι, καὶ καλλιερεῖσθαι τοῖς θεοῖς, ἔπειτα εὐωχεῖσθαι τοὺς συνεληλυθότας. καὶ τοῦτο ἦν ἡ δεκάτη.* Quod hic ex *Demosthene* [302]) *δεκάτην ἑστιάσαι* vocatur, id in aliis *Demosthenis* locis [303]) dicitur *δεκάτην ποιεῖν*, et in loco *Aristophanis* paulo ante allato *δεκάτην θύειν*. An etiam *δεκάτην ἀποθύειν* hoc quidem sensu [304]) dictum fuerit, dubito. Caeterum cur infantes circa focum gestati fuerint, causa facile patet. Scilicet foci Laribus erant sacri [305]), et sacra in iis fiebant pro vita et salute infantis. Patet etiam, cur amici et cognati fuerint adhibiti istis solemnibus, nimi-

301) v. c. ex *Eurip.* Electr. 1125. sq. ex *Isaei* oratione super Pyrrhi hereditate p. 34. 36. 60. ed. *Reisk.* ex *Demosthenis* orat. 1. adv. Boeotum p. 1000. et 1001. ter. in quibus quatuor locis legitur *τὴν δεκάτην ποιεῖν*, *diem decimum celebrare*, np. sacrificiis epulisque.

302) orat. II. adv. Boeot. p. 1016. extr.

303) v. not. 301.

304) Nam alias *δεκάτην ἀποθύειν* significat *decimam partem praedae deo alicui consecrare.* v. *Xenoph.* hist. Graec. 3, 3, 1. Cf. *Pollux* 1, 27. De formula *δεκάτην καταθύειν* v. Lexicon Xenoph. in v. *δέκατος*.

305) De re notissima satis est *Seruium* legisse ad *Virgil.* Aen. 3, 134.

rum ut, si forte opus esset, testari possent, infantem hoc vel illud nomen tempore moribus legibusue recepto vere accepisse. Qua de re optime exposuit *Harlesius*[306]. Cur vero cucurrerint infantem gestantes, curque, ut supra vidimus ab *Hesychio* narratum, nudi cucurrerint, haud equidem dixerim, et fateor, nomen *γυμνοὶ* valde mihi suspectum esse. An *κύκλῳ* est reponendum?

Nomina autem liberis data fuisse a parentibus, et hos adeo per legem quandam habuisse hanc potestatem, e qua etiam nomina illa cum aliis commutare vel plane delere iisdem licebat, praeclare docent verba *Demosthenis*[307]) etiam ab *Harlesio* allata: *ὁ νόμος, ὃν πάντες ἐπίστασθε —, τοὺς γονέας ποιεῖ κυρίους οὐ μόνον θέσθαι τοὔνομα ἐξαρχῆς, ἀλλὰ καὶ πάλιν ἐξαλεῖψαι, ἐὰν βούλωνται, καὶ ἀποκηρύξαι.* Et maxime quidem patres nomina infantibus dabant, cuius generis exempla ubique sunt obuia, v. c. apud *Platonem*[308]) primo Demodocum Socrates interrogat: *εἰπὲ δή μοι, τί καλὸν ὄνομα τῷ νεανίσκῳ· τί αὐτὸν προσαγορευομεν;* Cumque Demodocus respondit: *Θεάγης ὄνομα τούτῳ, ὦ Σώκρατες*, reponit Socrates haec: *καλόν γε, ὦ Δημόδοκε, τῷ υἱεῖ τὸ ὄνομα ἔθου καὶ ἱεροπρεπές.* Apud *Euripidem*[309]): *ὄνομα δὲ ποῖον αὐτὸν ὀνομάζει πατήρ;* Taceo alia multa. Non raro tamen matres quoque nomina imponebant infantibus. quo pertinet hic locus *Homeri*[310]):

> *Ἀρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε. τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ*
> *ἐκ γενετῆς.*

Ad quem locum *Eustathius*[311]), *ὅτι δὲ*, inquit, *τῶν κυρίων ὀνομάτων τινὰ καὶ αἱ μητέρες ἰδίᾳ ἐτίθεντο τοῖς παισί, καὶ Εὐριπίδης δηλοῖ, ἔτι δὲ καὶ ὁ κωμικός.* Locus *Euripidis* est[312]), ubi Iocasta, Oedipi mater eademque uxor,

306) de nominibus Graecorum p. 47. sq.
307) orat. I. adv. Boeotum p. 1006.
308) in Theage T. I. opp. p. 122. D.
309) in Ione v. 800.
310) Odyss. σ, 5. sq.
311) p. 1834, 21. ed. Rom.
312) Phoeniss. 57. sq.

narrat se filio suo duas filias peperisse, τὴν μὲν, inquiens, Ἰσμήνην πατὴρ ὠνόμασε, τὴν δὲ πρόσθεν Ἀντιγόνην ἐγώ. Sed apud Comicum, h. e. *Aristophanem*, respexit *Eustathius*, nisi me omnia fallunt, ad litem illam inter maritum et uxorem aliquando ortam de nomine, quo filius recens natus esset appellandus [313]). Aliud tale exemplum suppeditat eiusdem Oedipi historia. Neque enim Polybus, cuius bubulci infantem patris iussu expositum in Cithaerone monte inuenerant, sed Periboea, Polybi uxor, ad quam delatus fuerat infans misellus, dedit huic nomen Oedipi [314]). Eodem modo Nympha Chariclo apud *Ouidium* [315]) filiam, quam Chironi pepererat, ipsa vocauit Ocyroen. Interdum auus, licet adhuc viuente patre, nepoti reperitur nomen dedisse. Cum enim Dryope, Euryti filia, Andraemonis uxor, puerum peperisset, Amphissos hic vocatus fuit non ab Andraemone patre, sed ab Euryto, auo materno [316]). Verum facile patet facti huius causa. Nam Dryope iam ante quam Andraemoni nupsisset, puerum illum ab Apolline compressa conceperat, ita ut Amphissos non genuinus esset Andraemonis filius. Similiter cum quis praeter liberos e coniuge legitime ducta procreatos, etiam spurios ex alia quadam muliere genuerat, hi cognatorum maternorum nomina acceperunt, quae pater, si forte spurios pro suis agnosceret atque adoptaret, retinere sine ulla mutatione solebat. Saltem apud *Demosthenem* [317]) Mantitheus, cuius pater Mantias duo filios e Plangone quadam ipsi natos adoptare tandem coactus erat, πολλάκις μὲν, inquit, ὅτε οὐκ ἐποιεῖτο (h. e. *adoptabat*) ὁ πατὴρ τούτους, ἔλεγον οὗτοι, ὡς οὐδὲν χείρους εἰσὶν οἱ τῆς μητρὸς τῆς τούτου συγγενεῖς, τῶν τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ. ἔστι δ' ὁ Βοιωτὸς, ἀδελφοῦ τῆς τούτου μητρὸς ὄνομα. ἐπειδὴ δ' εἰσάγειν ὁ πατὴρ τούτους ἠναγκάζετο, ἐμοῦ προεισηγμένου Μαντιθέου, οὕτω

313) v. *Aristoph.* nubb. 61. sqq.
314) v. *Apollodor.* 3, 5, 7.
315) metamm. 2, 636 — 638.
316) v. *Ouid.* metamm. 9, 356. sq.
317) orat. I. adv. Boeotum p. 1004.

τοῦτον εἰσάγει Βοιωτόν· τὸν ἀδελφὸν δ' αὐτοῦ, Πάμφιλον. Periclis tamen filius spurius ab ipsis Atheniensibus, qui patri legitimis filiis orbato gratificari vellent, quanquam ille legem tulerat, ne quis Atheniensis putaretur, nisi qui duobus Atheniensibus natus esset, ornatus fuit Periclis nomine [318]). Unde a *Xenophonte* [319]) vocatur *Περικλῆς, ὁ τοῦ πάνυ Περικλέους υἱός.*

Alias usitatissimum erat nepoti dare nomen aui [320]). Sic Orsilochus apud *Homerum* [321]) genuit Dioclem, Diocles Crethonem et Orsilochum. Sic Aristotelis pater et filius vocabantur Nicomachus [322]), Xenophontis Gryllus [323]), Aristidis Lysimachus [324]), Melesiae Thucydides [325]), Democratis Lysis [326]), Socratis Sophroniscus [327]), Miltiadis Cimon [328]), Nicerati Nicias [329]), Agesilai Archidamus [330]), Hipponici Callias [331]), Lycophronis Lycurgus [332]), Polemonis Hagnias [333]), Ligdi Iphis [334]). Et sic innumera possent exempla afferri. Recte igitur

318) v. *Plutarch.* in vita Periclis c. 37.

319) memorabb. 3, 5, 1.

320) v. *Grotius* ad Luc. 1, 59. *Gronouii* obseruatt. 4, 7. p. 595. *Perizon.* ad *Aelian.* V. H. 2, 43. et interpp. *Cornelii Nepotis* Miltiad. 1, 1. [Hinc apud *Aristoph.* nubb. 65. *ἐγὼ δὲ τοῦ πάππου τιθέμην Φειδωνίδην.* Et Troianos iam solitos fuisse, maximo natu filio nomen aui imponere, liquet ex *Virgil.* Aen. 5, 564. *Harl.*]

321) Iliad. ε, 547—549.

322) v. *Diog. Laert.* 5, 1. quanquam hic Nicomachus Aristoteli natus erat ex Herpyllide concubina.

323) v. *Aelian.* V. H. 3, 3. ibique *Perizon.* et *Diog. Laert.* 2, 48. 52.

324) v. *Plato* in Theage T. I. opp. p. 130. A.

325) v. ibidem, et in Lachete T. II. opp. p. 179. A.

326) v. *Plato* in. Lyside T. II. opp. p. 204. E. et p. 205. C.

327) v. *Diog. Laert.* 2. 18. et 26.

328) v. *Cornel. Nep.* Miltiad. 1, 1. et Cimon. 1, 1.

329) v. *Plato* in Gorgia T. I. opp. p. 472. A. et lib. 1. de rep. T. II. p. 327. C.

330) v. *Xenoph.* hist. Graec. 5, 3, 13. et 5, 4, 25.

331) v. *Aristoph.* auu. 283. sq. ibique Schol.

332) v. *Lycurgi* orat. c. 2.

333) v. *Demosth.* adu. Macartatum p. 1057. et 1066.

334) v. *Ouid.* metamm. 9, 707. sq.

praecepit *Eustathius*[335]): ἰστέον δὲ καὶ ὅτι παλαίτατον ἔθος ἦν, τοὺς ἐγγόνους καλεῖσθαι τοῖς τῶν πάππων ὀνόμασιν, εἰς ἀνάμνησιν τῶν προγόνων, καὶ ἵνα δοκοῖεν ὡς οἷον ἀναζῆν οὕτω οἱ θανεῖν φθάσαντες, καὶ ἄλλως δὲ, ἵνα ἐξαρκοῖεν τῷ γοῦν ὀνόματι ἐπὶ πλεῖον, καὶ οὕτω πως ἀναθανατίζοιντο. Et effecit haec consuetudo, ut *Ruhnkenius*[336]) Aristophontis patrem fuisse existimaret Demostratum oratorem, cuius apud *Plutarchum*[337]) fit mentio. Aristophontis enim filius, Demostratus, memoratur a *Xenophonte*[338]). Inprimis autem nomen aui, paterni quidem, raro materni, dari solebat nepoti natu maximo. Perspicue hoc discimus e *Demosthene*[339]): ἀξιοῖ δ' αὐτὸς, ὡς δὴ πρεσβύτερος ὢν, τοὔνομ' ἔχειν τὸ τοῦ πρὸς πατρὸς πάππου. Idem alio loco[340]) docet, qualia nomina imposita fere fuerint reliquis filiis: ἐγένοντό μοι υἱεῖς μὲν τέσσαρες, θυγάτηρ δὲ μία. τὰ ὀνόματα ἐθέμην τούτοις, — τῷ μὲν πρεσβυτάτῳ τὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμαυτοῦ ὄνομα, Σωσίαν, ὥσπερ καὶ δίκαιόν ἐστι. καὶ ἀπέδωκα τῷ πρεσβυτάτῳ τοῦτο τὸ ὄνομα. τῷ δὲ μετὰ τὸν πρεσβύτατον γενομένῳ, τούτῳ ἐθέμην Εὐβουλίδην, ὅπερ ἦν ὄνομα τῷ πατρὶ τῷ τῆς μητρὸς τοῦ παιδὸς τούτου. τῷ δὲ μετὰ τοῦτον, Μενεσθέα ἐθέμην· καὶ γὰρ ὁ Μενεσθεὺς οἰκεῖος ἦν τῆς ἐμῆς γυναικός. τῷ δὲ νεωτάτῳ ἐθέμην ὄνομα Καλλίστρατον, ὃ ἦν ὄνομα τῷ πατρὶ τῆς ἐμῆς μητρός. Sic cum Xenophon, Grylli filius, duo filios haberet, priorem aui nomine Gryllum vocauit, alterum Diodorum[341]). Socrates vero hanc ipsam consuetudinem, quam a *Demosthene* relatam vidimus, si *Aristoteli* quidem credimus, non secutus est. Nam hoc auctore priorem uxorem duxit Xanthippen, quae Lamproclem filium ei peperit: alte-

335) ad *Homer.* Il. ε, p. 581.
336) hist. crit. oratorum Graecor. in *Reiskii* oratoribus Atticis Vol. VIII. p. 130.
337) in vita Alcibiadis c. 18.
338) hist. Graec. 6, 3, 2.
339) adu. Boeotum orat. I. p. 1002.
340) adu. Macartatum p. 1075. sq.
341) v. *Diog. Laert.* 2, 52.

ram vero Myrtonem, Sophronisci et Menexeni matrem. Alii tamen hanc putant prius quam Xanthippen a Socrate ductam fuisse [342]) quae sententia videtur potior esse propterea, quia quin ille mores receptos sine causa idonea spernere veritus sit, dubitari vix potest. Ita enim filium natu maximum rite appellauerit aui paterni nomine Sophroniscum.

Non minus consuetudo tulit, ut nullus pater, saltem Atheniensis, duobus filiis idem nomen imponeret. Quam in rem satis diserta et luculenta sunt haec verba *Demosthenis* [343]): *δεῖξον, ὅστις Ἀθηναίων ταὐτὸν ὄνομα τοῖς αὑτοῦ παισὶν ἔθετο δυοῖν.* Et haec eiusdem [344]): *τίς γάρ ἐστιν ὑμῶν, ὅστις ταὐτὸν ὄνομα τοῖς ἑαυτοῦ παισὶ τέθειται δυοῖν οὖσι;* Videtur hoc factum fuisse, ne plures fratres cognomines inter se confunderentur. Qua de re idem *Demosthenes* [345]) disputat multa. Herculem tamen saepe pluribus, sed non ex eadem matre natis, liberis idem nomen dedisse, *Harlesio* teste copiose ostendit *van Staaueren* [346]). Neque prorsus inusitatum fuit, patrem filio dare nomen suum. Demosthenes enim legitur Demosthenis filius fuisse [347]), Melitus Meliti [348]), Eubulides Eubulidis [349]), Antisthenes Antisthenis [350]). Fortassis autem etiam patris, ut aui, nomine appellatus nonnunquam fuit filius natu maximus. Certe Dionysius prior, Siciliae tyrannus, cum duas uno die duxisset uxores, alteram Locridem gente, nomine Doridem, alteram inquilinam, Aristomachen, quarum haec diu non peperit: filium quem primo loco Doris enixa est, atque adeo

342) v. ibid. 2, 26.
343) orat. I. adu. Boeotum p. 1004.
344) ibid. p. 1006. sq.
345) ibid. p. 995. sq.
346) in Obseruatt. crit. miscell. Vol. X. T. III. p. 382.
347) v. *Demosth.* orat. de corona c. 9, 26. et 30. Ibidem c. 17. Cephisophon et Cleon patribus dicuntur cognomines. Sic apud *Herodot.* 3, 123. est *Μαιάνδριος Μαιανδρίου.* Vid. ibi *Valckenar.*
348) v. *Diog. Laert.* 2, 40.
349) v. *Demosth.* adu. Macartatum p. 1066.
350) v. *Diog. Laert.* 6, 1.

omnium liberorum natu maximum, vocauit suo nomine Dionysium[351]).

Iam ex omnibus, quae supra dicta sunt, facile intelligitur, de nominibus imponendis fere omnia parentum arbitrio et consuetudini permissa fuisse, atque infra etiam magis apparebit parentum hoc in genere libertas. Sed patet etiam, Graecorum nomina recte comparari posse cum nostrorum hominum praenominibus. Utraque enim imponuntur liberis modo diuersa ab iis, quae parentum sunt, modo eadem; et quemadmodum Graeci nulla nomina gentilitia habebant, ita etiam apud Germanos talia nomina per decem integra saecula inusitata fuisse satis constat; quin nostris demum temporibus (annis 1777. et 1796.) in ducatus Slesuicensis praefectura Haderslebiensi edictis regiis effectum fuit, ut nominibus gentilitiis uti ciues adsuescerent.

Cum autem uniuersa nominum imponendorum ratio eam ob causam recepta fuisse intelligatur, ut non modo homo ab homine, verum etiam nomina hominum propria ab appellatiuis possent distingui, cumque ego in superioribus iam plura eiusmodi distinctionum genera commemorauerim, quae nunc quoque in libris editis apparent, v. c. quod hominum nominibus addita fuere nomina patris, vel matris, vel gentis, vel urbis patriae, atque alia talia, vel quod in nominibus propriis, quae ex iisdem, e quibus appellatiua, literis composita essent, accentus mutati sunt: putabam nec illum distinguendi modum, qui maxime cernitur in libris veterum Graecorum manu scriptis multis, mihi hoc loco esse silentio praetereundum. Est autem modus iste duplicis generis. Primo enim nominibus propriis certa quaedam signa, quae ab appellatiuis ea distinguerent, id quod ex nostra consuetudine literae maiusculae initiis vocum positae praestant, superscribere consueuerunt Critici, atque adeo, qui ab his accepere, librarii. Signa ista sunt

351) v. *Plutarch.* in vita Dionis c. 3. et *Iustin.* 21, 1, 1.

———   ·———   ··———   ···——— [352])

quorum primo nomen hominis, secundo nomen gentis vel urbis, vel ab horum nominibus deductum, tertio nomen montis, quarto maris vel fluuii vel fontis significabatur [353]). Haec omnia signa seruauit in nonnullis librorum veterum editionibus *Henricus Stephanus*, v. c. in editione *poetarum Graecorum principum* [354]) et *Apollonii Rhodii* [355]). Qua ratione neglecta [356]) quot menda illata sint veterum librorum editionibus aeque ac versionibus, dici vix potest, et luculento exemplo *Reinesius* docuit. Deinde non solum accentu [357]), sed etiam spiritu distinguebantur ab appellatiuis nomina propria, ita quidem, ut, si quod nomen compositum esset e duobus nominibus, quorum alterum extra compositionem notaretur spiritu aspero, idem spiritus in composito seruaretur, ubi esset appellatiuum, at cum leni commutaretur, quando proprium esset. [358]) Saltem *Etymologici Magni auctor* et *Phauorinus* nomen ὠκύαλος, quando sit epitheton nauis velociter in mari currentis [359]), scribendum esse docent ὠκύαλος, sed Ὠκύαλος, quando nomen viri [360]). Ἡ ἁλὸς γενικὴ, inquiunt, ἐπὶ μὲν κυρίων συντιθεμένη, ψιλὸν ἀποφέρει τὸ πνεῦμα, οἷον Εὐρύαλος. Idem de iisdem nominibus praecipiunt *Scholia*

352) Cum vero vocabulo alicui tria vel plura puncta superposita reperiuntur sine lineola, indicatur vocabulum illud delendum esse. Cf. *Bastii* Addenda ad *Gregor. Corinth.* de Dialectis, p. 937. ed. *Schaefer.* Idem significatur punctis vocabulo subiectis. Vid. *Boissonad.* ad *Nicet. Eugenian.* 1, 296. 2, 16. 6, 62.

353) v. *Reines.* varr. lectt. 2, 1. p. 137.

354) Paris. 1566. fol.

355) 1574. 4.

356) id quod, exempli gratia, factum esse moneo in Codice illo Lipsiensi, libellos aliquos Xenophonteos complexo, de quo exposui in praefatione Lexici Xenophontei Volumini I. praefixa p. 12.

357) de quo supra nonnulla dixi.

358) v. praeclara *Villoisoni* prolegomena ad *Homeri* Iliada e vetere Codice Veneto ab ipso editam Venet. 1788. fol. pag. III.

359) ut ap. *Homer.* Odyss. μ, 182. et ο, 472.

360) ut Odyss. θ, 111.

Villoisoniana [361]): ὠκυἄλου] ἐψίλωσαν τὸ ᾰ, παραγωγὴν δεξάμενοι, καὶ οὐ σύνθεσιν· καὶ οὕτως ἡ παράδοσις ἐπείσθη. καὶ τάχα ἐπεὶ μηδὲν ἄλλο ἢ τὸ ὠκὺ, ἐκ τῆς λέξεως σημαίνεται. ἡ δὲ ἁλὸς γενικὴ ἐν τῇ συνθέσει ἐπὶ μὲν κυρίων, ψιλὸν ἀποφέρεται τὸ πνεῦμα, Εὐρύαλος, Ἀμφίαλος, Ἀστύαλος· ἐπὶ δὲ ἐπιθετικῶν, τὸ ἴδιον τηρεῖ πνεῦμα· πολλαὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ [362]). ἀγχίαλόν τ' Ἄντρωνα [363]). ὕφαλος· ὥστε καὶ κατὰ τοῦτο ἐλέγχεται τὸ ὠκύαλος ψιλούμενον. Item: ἐπιθετικὸν γὰρ ὂν (np. nomen ὠκύαλος) δασύνεσθαι ὤφειλεν· ἀλλὰ τοῦτο, εἰ σύνθετον ἦν, ἐγένετο ἄν· νῦν δὲ — παραγωγὴν ἔλαβε, τῆς ἁλὸς κατὰ παρολκὴν κειμένης. Διονύσιος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἐν τετάρτῳ Ἀττικῶν ὀνομάτων οὕτως ἔφη· φίλιππος μὲν τῆς μέσης δασυνομένης, τὸ προσηγορικόν· οὕτως γὰρ ἐν Τηρεῖ Σοφοκλέους ἀναγινώσκομεν·

Ἥλιε φιλίπποις θριξὶ πρέσβιστον σέλας.

Φίλιππος δὲ ψιλῶς, ὁ Μακεδών. καὶ ὠκύαλος μὲν, δασέως ἡ ναῦς, ψιλῶς δὲ, ὁ ἀνήρ. ἐναντίως δὲ ὁ Ἡρωδιανός. Eadem scholia [364]) de nomine *Εὐαιμονίδης* docent haec: ψιλοῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης [365]), ἵνα κύριον γένηται, ὥσπερ καὶ τὸ Φίλιππος, καὶ Μελάνιππος. ἔστι μὲν οὖν ὃ λέγει πιθανόν· διὰ τοῦτο γοῦν καὶ τὸ Πολύμνεια πῇ μὲν ψιλοῦμεν, πῇ δὲ δασύνομεν [366]). καὶ τὸ Εὐρύαλος, Ἀγχίαλος· [367]) οὔ γε μὴν ἀληθές· εὑρέθη γὰρ τὸ Πάνορμος [368]) δασυνόμενον· καὶ Ἔφιππος ὁ Κωμικός. Haec fere omnia com-

361) ad *Homer.* Iliad. ο, 705. p. 371.

362) apud *Homer.* Odyss. α, 386.

363) Iliad. β, 697.

364) ad Iliad. ε, 76. p. 130.

365) h. e. *Ptolemaeus* Ascalone oriundus. v. *Schol. Villois.* ad Iliad. γ, 155. p. 94.

366) np. quatenus vel a *μνεία*, *memoria*, vel a nomine ὕμνος deducitur, et quatenus vel nomen appellatiuum est, vel proprium. Cf. *Phauorin.* in v. *Πολυμνία*.

367) Nimirum ubi appellatiua sunt, scribebantur εὐρύαλος, ἀγχίαλος, ubi vero propria, Εὐρύαλος, Ἀγχίαλος.

368) np. cum intelligitur urbs et portus Siciliae.

plectitur *Eustathius*[369]) his verbis: οἱ ἀρχαῖοι καὶ ἐν μέσῳ λέξεων ἐπνευμάτιζον καὶ τὰ φωνήεντα καὶ τὸ ρ̄. εὕρηται οὖν ἐν ὑπομνήμασι παλαιῶν τοιαῦτά τινα, ὅτι τοῦ Εὐαΐμων τὴν αῑ δίφθογγον, κἂν ἐκ τοῦ αἷμα γίνεται, ὅμως ψιλοῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἵνα κύριον γένηται ὄνομα, ὥσπερ καὶ τὸ Φίλιππος, καὶ Μελάνιππος. καὶ ἐν αὐτοῖς γὰρ ἐψίλουν τὸ πρὸ τοῦ π̄ δίχρονον διὰ τὸ κύρια εἶναι, κἂν ἐκ τοῦ ἵππος παράγωνται. — λέγουσι δὲ οἱ παλαιοὶ, καὶ ὅτι εἴτε λεκτὸν τὸ ἐπὶ τέλους φωνῆεν, εἴτε καὶ παρέλκει, φυλαττέσθω τὸ πνεῦμα. καί ὅτι εὕρηται τὸ πάνορμος, δασυνόμενον, καὶ τὸ μελιηδὴς οἶνος. καὶ ὅτι κακῶς δασύνουσί τινες τοῦ ἐννῶ τὸ ῡ. ἄμεινον γάρ, φασι, ψιλοῦν, διότι οὐκ ἔστι κύριον, ἀλλὰ τὴν πολεμικὴν δηλοῖ. — εὕρηνται δὲ λέγοντες οἱ παλαιοὶ καὶ ὅτι ἡ ἁλὸς γενικὴ ἐπὶ μὲν κυρίων ὀνομάτων συνθέτων, ψιλὸν ἀποφέρεται πνεῦμα· οἷον Εὐρύαλος, Ἀστύαλος· ἐπὶ δὲ ἐπιθετικῶν, τὸ ἴδιον τηρεῖ πνεῦμα· οἷον ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ, ὕφαλος, πάραλος. καὶ ὅτι τὸ ἀέκων δασύνει τὸ ε̄· στέρησις γάρ ἐστι τοῦ ἑκόντος, καὶ ἐξ αὐτοῦ κατὰ κρᾶσιν τὸ ἄκων. ἀπὸ γοῦν τῶν τοιούτων καὶ ἑτέρων δὲ πλειόνων, σημειούμεθα ὡς οἱ ἀρχαῖοι οὐ μόνον ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῶν λέξεων τὸ ρ̄ στοιχεῖον καὶ τὰ φωνήεντα ἐπνευμάτιζον, ἀλλὰ καὶ ὁπουδήποτε. οἱ γοῦν Ἀττικοὶ καὶ, ὡς Ἀθήναιός φησι[370]), τοῦ ταῶς[371]) τὴν λήγουσαν περιέσπων τὲ καὶ ἐδάσυνον· ὥσπερ αὖ πάλιν τοῦ λαῶς, κριῶς, ἰῶς, καὶ τῶν ὁμοίων τὰ τέλη ἐψίλουν. Ἡρωδιανὸς δὲ περὶ τοῦ ὡς ἐῤῥέθη κατὰ τὸν Φίλιππον πνευματισμοῦ νοήσας ἑτεροῖόν τι φησὶν, ὅτι Φίλιππον μὲν τὸ κύριον, ἀξιοῦσιν οἱ γραμματικοὶ ψιλῶς λέγεσθαι· δασέως δὲ τὸ ἐπίθετον, ἀγνοοῦντες ὅτι καθ' ἓν ἑκάτερα δύνανται εἶναι. καὶ γὰρ λεύκιππος λέγεται παρὰ Στησιχόρῳ ἐπιθετικῶς· ἀλλὰ καὶ Λεύκιππος ὀνομάζεται ὁμοίως ὁ Φοίβης καὶ Ἐλαείρας πατήρ. ὥστε ψιλοῖ αὐτὸς ἐν ἀμφοῖν τούτοιν, τοῦ

369) ad *Homer*. Iliad. ε, p. 524. ed. Rom. Cf. *Schol. Villois.* ad Iliad. ε, 333. p. 139.

370) *Athenaeus* 9, p. 397. sq. qui omnino est locus classicus. Cf. *Casaubon.* ad h. l. p. 680. (T. V. Animaduersionum edit. *Schweighaeuser.* p. 195. sqq.) et ad 8, 2. p. 580. (T. IV. p. 494.)

371) quod *pauonem* significat.

ἵππος τὴν ἄρχουσαν, καὶ οὐκ ἐν μόνῳ τῷ κυρίῳ. Patet, iam olim fuisse, qui legem istam de nominibus propriis et appellatiuis spiritu distinguendis nonnunquam in scribendo negligerent, immemores etiam praecepti illius, quod *Eustathius* alio quodam loco [372]) tradidit: τὰ βραχυνόμενα φωνήεντα, καταλήγοντα δὲ εἰς ρ̄ ἐπιφερομένου τοῦ μ̄, δασύνεται· ὅρμος, ἅρμα, ὁρμαθός. οὕτω δή φασι καὶ τό ἕρμα. πλὴν τοῦ ἄρμενον τὸ ἁρμόδιον, καὶ πλὴν τοῦ Ὄρμενος κυρίου ὀνόματος. Vidimus item, ne Grammaticos quidem omnes inter se consensisse, et recentiores librorum veterum Graecorum editores cunctos scimus nunquam spiritibus distinguenda nomina duxisse eo quidem modo, quo supra docuimus. Sed vellem tamen ego, ut haec antiqua, et *Ptolemaeo Ascalonitae* etiam in aliis probata [373]) scribendi ratio, esset hodie quoque in usu. Certe si semper ea obseruata fuisset, vix tot nominum monstra, quale est nomen *Jon* monosyllabum et similia, pro *Ion* etc., dicta et scripta fuissent unquam, sed *Japetus* v. c. et *Jonia* duce *Ouidio* [374]) semper quatuor syllabas, non tres, haberent; et *Jhesus* diceretur, non *Jesus*. Hoc enim nomen ex Hebraico יְהוֹשֻׁעַ factum esse, tralatitium est. Quare nec cum *Villoisono* ignorantiae librarii tribuerim, quod in quodam codice Harleiano, qui saeculo quarto decimo scriptus quatuor euangelia complectitur, pluribus spiritibus unum idemque vocabulum notatur, atque adeo non Ἰωάννης, ut hodie fieri solet, aut Ἰωἄννης scribitur, sed Ἰωἅννης. Immo recte, opinor, seruatus est spiritus asper, quia hoc nomen ortum est ex Hebraico יוֹחָנָן, ita ut mirari subeat, multos viros doctos nomen suum scribere *Ioannes* pro *Iohannes*. Fortassis editores librorum veterum recentiores debebant etiam illud signum ‿ seruare, quod ὑφὲν vocarunt Grammatici antiqui, et quo indicarunt, aliquod nomen, quod e duobus compositum esset, non nisi pro uno esse habendum. Etsi enim in iis nominibus, quae propter fa-

372) ad Iliad. α, p. 140.
373) v. Scholia Veneta a *Villoisono* edita ad Iliad. φ, 262. p. 472.
374) metamm. 1, 82. 4, 534. et fastt. 6, 175.

ctam partium mutationem facile patet pro uno esse accipienda, v. c. in nomine Ἑρμοκράτης, recte omitti signum istud poterat: non tamen inutile aut superuacaneum putari debebat in iis nominibus compositis, quorum neutra pars esset mutata, quale est *Πανταλέων*. Faciunt huc verba *Porphyrii*[375]): τὸ Χειρίσοφος, οὐ λέγω, χειρὶ σοφὸς, ἀλλ' ὁρῶν τὴν ὑφὲν, ἀναγινώσκω Χειρίσοφος.

Poscit iam argumenti ratio, ut, quid in imponendis nominibus Graeci spectauerint, et e quibus veluti fontibus ea hauserint, ostendere studeam. Liceat vero, priusquam fontes illos commonstrem, paucis praemonere, omnino mihi videri in officiis eius, qui recte versari in perscrutandis exponendisque ritibus antiquis velit, etiam hoc numerandum esse, ut, sicubi inuenerit, veteres non admodum vel plane non diuersas ab iis, quae apud nos obtinent, consuetudines esse secutos, vel saepe in obseruandis consuetudinibus magis a casu et fortuna pependisse, quam rationi et consilio paruisse, ne ideo de iis exponere superuacaneum neque ullius usus esse existimet. Profecto enim non omnes, quibus talia narrantur, ipsi per sese possunt intelligere, hanc vel illam veterum consuetudinem propterea a narratore omissam fuisse, quod cum nostris moribus illa conueniat; immo permulti sunt, quos monere oportet, nihil noui inesse in his vel illis nostrorum temporum nostraeque gentis ritibus moribusue; sunt etiam, qui, ubi tale quid omissum esse forte animaduerterint, sua scilicet sapientia doctrinaque elati clamare sustineant, necessarias quasdam rei partes pessime praetermissas fuisse, atque adeo scriptorem esse negligentiae vel ignorantiae accusandum. Quemadmodum igitur in superioribus nonnulla tradenda putaui, quae ab hominibus intelligentibus atque attentis facile sponte perspiciuntur sua, verbi causa, plures eorundem

375) de prosodia p. 108. T. II. anecdotorum Graecorum *Villoisoni*, Venet. 1781. 4: Cf. ibid. p. 107. et 115. Multa exempla signi ὑφὲν habes in *Fischeri* animaduerss. ad Grammaticam Graecam Welleri P. I. p. 225. sq. edit. 2.

parentum liberos diuersis nominibus usos esse: ita etiam porro eadem ratione in talibus semper versari, optimum et omnino consultum duxi.

Sed video, etiam de aliis quibusdam praemonendos esse lectores, si non omnes, certe nonnullos. Scilicet nolim ut quis putet, me omnia veterum Graecorum nomina afferre et explicare aut voluisse, aut potuisse. Immo satis habui, nomina cuiusque generis tam multa colligere, ut, quae reliquorum fuerit ratio, satis inde eluceat, utque facile quilibet, qui hoc sibi agendum putet, plura vel eiusdem generis vel similia possit addere. Cum vero hic quoque non paucis videri queam nimium sedulus fuisse, rogo eos, ut, quae ipsi abesse posse opinentur, ea ne sibi scripta credant, sed aliis, quos talia docere necesse sit, utque semper meminerint, non omnia posse omnes. Quod autem ad nominum explicationem attinet, putabam me in plerisque non inanem consumsisse operam, neque tamen me omnibus recte interpretandis parem fuisse lubens ac sponte confiteor. Multa enim veterum Graecorum nomina reperiuntur adeo ad explicandum obscura esse, ut de eorum interpretatione, nisi contortam et improbabilem aliquam cupias, prorsus desperandum sit. Talia sunt *Ἀμερίας*,[376]) *Ἀπελλῆς*, siue *Ἀπελλᾶς*,[377]) *Ἀριάδνη*, *Βίτων*, *Βιτὼ*, *Βίτιννα*, *Δευκαλίων*,[378]) *Θερσίτης*,[379]) *Θησεὺς*,[380]) *Ἰάμβλιχος*, *Ἴκαρος*, *Κέ-*

376) Vix enim *Ἀμερίας* deduci potest ab Aeolico nomine *ἀμέρα*, ut significetur *homo interdiu natus*, quanquam inter nos quoque sunt, qui nomine *Tag* appellentur. Melius acciperetur pro *Ἀμελίας*, *curis non vexatus*, *Ohnesorge*. Sic philosophus Gentilianus proprie *Ἀμέλιος* vocabatur, sed se *Ἀμέριον* vocari maluit. v. *Porphyr.* in vita Plotini c. 7. qui tamen cum Gentilianum illum dicat Tuscum natione fuisse, ostendere potius videtur, nomen *Ἀμέριος* esse gentile, quod Latine dicitur *Amerinus*.

377) Deriuari haec possunt a verbo Aeolico *ἀπέλλειν*, ut significetur *minax*, *minis a male agendo deterrens*. Neque vero mihi placet haec deriuatio.

378) *Δευκαλίων* potest esse *homo dulcis*, *aliis carus*.

379) *Eustath.* ad Iliad. *β*, p. 203. sq. et *Etymol. M.* p. 405, 22. deducunt ab Aeolico futuro *θέρσω* verbi *θέρω*, h. e. *θερμαίνω*, ut *Θερ-*

βης, *Μέτων*, *Μίνδαρος*, *Νιόβη*,[380*]) Ὅμηρος, Ὀππιανὸς, Ὀρφεὺς, *Πίνδαρος*, Ῥιανὸς, *Σαμύθας*, *Στάμφυλος*, *Στησίμβροτος*, *Στράττις*,[381]) *Σουΐδας*, Ὠρίων[382]). Nam ex innumeris paucissima commemorasse sufficiat. Alia deriuanda sunt e linguis orientalibus. Ut enim taceam, nomen Ἴναχος non male a non nemine deriuandum putari a בֶּן נוֹחַ, certissimum videtur, nomen Ἴων e nomine יון et nomen *Κάδμος* e vocabulo קֶדֶם orta esse, atque adeo nomine *Κάδμος* significari hominem, qui ex orientali plaga aduenerit. Sic nomen *Βηρωσσὸς*, *Iosepho Scaligero* auctore[383]), ortum est ex בִּיר הוֹשֵׁעַ *filius Hoseae*. Multum enim Graecis licentiae fuisse in talibus, facile largietur, quicunque populos Orientis olim consonantium quidem, sed non item

σίτης sit *feruidus in dicendo*, vel a nomine Aeolico θέρσος, pro θάρσος, ut sit εὔτολμος, et per antiphrasin ἀσθενής, vel θάρσος ἔχων ἐν τῷ ὑβρίζειν. Sed *Reiskius* ad *Constantini Cephalae* Anthologiam p. 254. „Thersitae, inquit, proprie sunt gens Illyrica a ferocia infamis. Ut „igitur Latini *Dauos*, etiam gentem Illyricam, sic Graeci *Thersitas* „sermone iactabant.“ Ita Thersitae nomine appellari omnem hominem rudem, stolidum, et agrestibus moribus praeditum, eoque nullo in loco habendum.

380) Improbabile nominis Θησεὺς etymon attulit *Auctor Etymologici M.* p. 409, 36.

380*) *Godofr. Hermannus*, qui in Programmate de historiae Graecae primordiis (Lips. 1810. 4.) periculum fecit Graecorum nomina Latinis nominibus reddendi, nomen *Νιόβη* pag. XI. vertit *Imimea*.

381) *Etymol. M.* p. 661, 38. ὥσπερ παρὰ τὸ Βάκχος γίνεται Βάκχις, Κρόνος, Κρόνις, δῆμος Δῆμις καὶ Δάμις, οὕτω στρατὸς Στράτις· καὶ πλεονασμῷ τοῦ τ, Στράττις. Ex hac ratione non differret a nomine *Στράτων*.

382) Vehementer se torquet *Eustathius* in explicanda huius nominis etymologia. v. eius commentar. ad *Homer.* Odyss. ε, p. 1535, 42 — 53. et *Phauorin.* in v. Ὠρίων.

383) in Notis in Graeca *Eusebii* p. 408. a.

383*) Quapropter *Gustauum Seyffarthum*, qui in libro de sonis literarum Graecarum (Lips. 1824. 8.) p. 65. sq. nomen *Κάδμος* e Syriaco ܩܕܡ deriuandum putat, libenter sequerer, nisi Cadmum ex Phoenice, non e Syria, in Boeotiam venisse sciremus. A קֶדֶם enim non tantum Hebraica קַדְמוֹן et קַדְמֹנִי et Chaldaicum קַדְמַי sed etiam illud Syriacum *Cadmo* descendere manifestum est, ita ut prima syllaba in his omnibus *a* pro *e* habeat, quemadmodum הַרְבֵּן ex

vocalium, signis in scribendo usos esse nouerit [383*]). Sed dubitaui ex hoc fonte plura haurire. Multa nomina hominum, quorum praecipue in mythologia fit mentio, constat a poetis conficta fuisse. Et viderunt hoc iam antiqui Grammatici [384]). De his igitur nominibus multum laborare, vix operae pretium esse arbitratus sum. Specimina tamen nonnulla passim infra dedi praeeunte *Platone*, alia hic dabo verbis *Eustathii* [385]): *ἀντὶ πυρὸς δεδόσθαι λέγεται ἡ τοιαύτη* (np. *θρασεῖα* et *θερμὴ*) *γυνὴ, καὶ εὕειν ἄτερ δαλοῦ* [386]). *ᾧ δὴ λόγῳ καὶ τὸν Ἡρακλῆν ἡ Δηϊάνειρα κατειργάσατο, φερώνυμος* [387]) *ἀπεκβᾶσα τοῦτό γε, οἷα δήϊος εἴτουν δάϊος καὶ καυστειρὰ τῷ ἀνέρι γενομένη. οὕτω γὰρ ἐτυμολογεῖται ἡ Δηϊάνειρα.* Item [388]): *ἔοικεν ἡ δούλη Εὐρύκλεια ἐθέλειν τοιοῦτόν τι ὄνομα τῷ παιδὶ τεθῆναι, οἷον Δημάρητον — ἢ Ἄρητον — ἢ Εὐχήνορα, ἢ τοιοῦτόν τι ἐφετὸν τοῖς πολλοῖς· ὅπου γε καὶ ὁ γελοῖος πτωχὸς Ἀρναῖος, παρὰ τὴν ἀρὰν, ὡς δεδήλωται, εἰρῆσθαι δοκεῖ. Αὐτόλυκος δὲ, τῇ δούλῃ μὴ προσεσχηκὼς, ἐξ ἐκείνων οἷς ἐκέκαστο ἐθέλει ὀνομάσαι τὸν παῖδα, ἐκ τοῦ μίσους δηλαδὴ ὃ εἶχεν ἐκ πολλῶν διὰ τὴν κλεπτοσύνην. δῆλον γὰρ ὡς ὠδύσσοντο αὐτῷ ἐκεῖνοι· ὃ δὴ τίθησιν ὄνομα* (np. *Ὀδυσσεὺς*) *τῷ ἐγγόνῳ. — διὸ καὶ ψιλοῦται κατὰ τὴν ἄρχουσαν, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ δεδήλωται, καὶ ἐν δυσὶ σσ γράφεται ὡςεπιπολύ. Σιληνὸς μέντοι ὁ Χῖος κατὰ τὴν ἱστορίαν ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν αὐτῶν μυθικῶν, δασύνει παρὰ τὴν ὁδὸν, λέγων ὡς Ἀντικλείας ὁδευούσης παρὰ τὸ Νή-*

הֵרֶךְ fieri constat, et Graeca terminatio ος͂, οῦ, ῷ, ον͂ facile potuerit adiici. Neque mirarer, si Graeci *Κέδμος* pro *Κάδμος* dixissent. Sic Genes. 15, 19. qui populus Hebraice קַדְמֹנִי nominatur, ab interpretibus Graecis vocatur *Κεδμωναῖοι.* Cum autem קֶדֶם tam de loco quam de tempore dicatur, cuiuis apparet, nomine *Κάδμος* non modo eum significari posse, qui ab Oriente venerit, sed etiam primum, priscum, vel primarium, principem. Ita nihil hic certi est.

384) v. *Car. Godofr. Siebelis* diatrib. de *Aeschyli* Persis, Lips. 1794. 8. p. 43.

385) ad *Homer.* Odyss. *τ*, p. 1856, 58 — 62.

386) *Eustathius* docte utitur versu *Hesiodi* ἔργ. 705.

387) h. e. *nomen habens rei et euentui ipsi conueniens.* Cf. not. 390.

388) ad *Homer.* Odyss. *τ*, p. 1871, 14 — 22.

ριτον, ὕσεν ὁ Ζεύς· τὴν δὲ ὑπὸ ἀγωνίας ἐκεῖ πεσοῦσαν, τεκεῖν, καὶ τὸ γεννηθὲν κληθῆναι Ὀδυσσέα, παρὰ τὸ ἐν τῇ ὁδῷ ὕσαι. Aiax apud *Sophoclem*[389]) ita de sorte sua queritur:

> αἶ, αἶ, τίς ἄν ποτ' ᾤεθ', ὧδ' ἐπώνυμον[390])
> τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
> νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοί,
> καὶ τρίς.

Ubi Scholiastes: ἔστι δὲ, inquit, καὶ τοῦτο ἀρχαιότροπον, τὸ πρὸς τὰς ὀνομασίας ἐκφέρειν τὰς συμφοράς. — ἔπλεξε δὲ τὸ ὄνομα παρὰ τὸ αἶ τὸ θρηνητικόν. Sed ὄρνιχος ἐπώνυμον vocat *Αἴαντα*, atque adeo hoc nomen a vocabulo *αἰετὸς*, *aquila*, deriuat *Pindarus*[391]). Eteocles apud *Euripidem*[392]) Polynici fratri dicit:

> —— ἀληθῶς δ' ὄνομα Πολυνείκην πατὴρ
> ἔθετό σοι θείᾳ προνοίᾳ, νεικέων ἐπώνυμον.

Scholiastes ad hunc locum commentatur sic: παρετυμολογεῖ τὸ ὄνομα Πολυνείκους, ὄνομα νεικέων φερώνυμον, τουτέστιν ἀπὸ τῶν νεικέων τὴν ἐπωνυμίαν λαβόν. Tiresias apud eundem *Euripidem*[393]):

> Πενθεὺς δ' ὅπως μὴ πένθος εἰσοίσει δόμοις.

De eodem Pentheo *Chaeremon* apud *Aristotelem*[394]):

> Πενθεὺς ἐσομένης συμφορᾶς ἐπώνυμος.

Aristoteles ibi etiam plura huius generis exempla attulit. Alia collegerunt *Eustathius*[395]) et *Doruillius*[396]),

389) in Aiace vers. 430 — 433.

390) ὄνομα ἐπώνυμον τοῖς κακοῖς est *nomen cum aduersa fortuna congruens.*

391) Isthm. 6, 77 — 79.

392) *Phoeniss.* 639. sq. Deinde vers. 1500. Antigone dicit: ὦ Πολύνεικες, ἔφυς ἄρ' ἐπώνυμος. quae verba Scholiastes interpretatur his: ἐγένου — αὐτὸ, ὃ ἐπωνόμασαι, τουτέστι φιλόνεικος, ἐριστικός. Cf. *Scalig.* coniectan. Varr. p. 155. sq.

393) Bacch. 367. Aliud eiusmodi exemplum habes in *Euripidis* Rheso v. 158. sq.

394) rhetor. 2, 23. Cf. *Franc. Luisin.* parerg. 1, 6.

395) ad *Homer.* Iliad. α, p. 158. et ι, p. 636. (ed. *Bas.*)

396) ad *Chariton.* p. 78. et 185. (p. 247. et 312. edit. Lips.) Ipse

e quibus illa petant, qui volent. Ego enim diutius istis immorari nolui, memor eorum, quae *Quinctilianus* [397]), scripsit: „Illud apud *Euripidem* frigidum sane, quod „nomen Polynicis, ut argumentum morum, frater incessit. Iocorum tamen ex eo frequens materia, qua *Cicero* in Verrem non semel usus est.“ Non plus operae posui in conquirendis nominibus per periphrasin significatis, qua periphrasi utebantur praecipue tum, cum nomini inesset quicquam metro refractarium, atque adeo pro *Ἀπολλόδωρος* dicebant *Δῶρον Ἀπόλλωνος*, ut in isto epigrammate [398]):

Μυστοπόλος τελετῶν τοῦτον συνθήκατο βωμὸν,
Δῶρον Ἀπόλλωνος θεῖον ἔχων ἐπίκλην.

Denique praetereundum non est, e consideratione nominum Graecorum etiam alia quaedam, quae fortasse non cuilibet in mentem veniant, posse cognosci. Primo enim nouum ea exemplum praebent, quam inexhausta sit Graecae linguae in componendis nominibus ubertas. Sic unum idemque significant nomina *Λαόνικος* et *Νικόλαος* et *Νικόδημος* et *Δημόνικος*; item *Ἀγησίλαος*, *Ἡγησίλεως*, *Ἀρχέλαος*, *Ἀρχίδαμος*, et *Ἀρχιδαμίδας*; item *Θεότιμος*, *Τιμόθεος* et *Τιμησίθεος*; item *Θεοδόσιος*, *Θεόδοτος*, *Θεόδωρος*, *Θεοδώρητος*, *Θεοδωρίδας*, *Δωρόθεος* et *Δωσίθεος*. [398*]) Deinde docent eadem nomina, quae potissimum momenta Graecis maxime curae cordique fuerint. Pleraque enim nomina ducta sunt a populo, pugna, victoria, gloria, exercitu, imperio, consilio, robore, et aliis talibus, quae infra cognoscere ex iis, quae a me allata fuerint, facile licebit.

quoque iam anno 1789. Gerae edidi prolusionem de nominibus hominum propriis olim ominosis putatis, in qua etiam laudaui *Ioh. Henr. Stussii* programma de omine in nomine, Gothae 1735. 4. editum, qui idem eodem anno edidit progr. de impositione nominum. Adde *Charitonem* 4, 2. et 1, 12.

397) institutt. oratt. 5, 10, 31. ed. *Gesner.*

398) quod e *Grutero* repetiit *Doruillius* ad *Chariton.* p. 136. (p. 313. edit. Lips.)

398*) Hanc linguae Graecae fecunditatem, de nominibus et pro-

Iam quod ad ipsam nominum interpretationem attinet, putet quis, multum nobis profuisse nobilem illum dialogum *Platonis*, qui inscribitur: *Κρατύλος, ἢ περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος*, quae verba *Ficinus* reddidit Latine sic: *de recta nominum ratione*, sed rectius *Fischerus*: *de impositione nominum, naturae rerum conueniente.* Eum vero perparum nobis in causis et fontibus nominum inuestigandis adminiculi utilitatisque praestitisse, credet facile, quicunque eum attente legerit. Scatet enim, ut utar verbis *Fischeri*[399]), etymis incredibilibus, et iusto longius arcessitis. Itaque circumspicienda fuerunt alia et firmiora auxilia. Et nonnullos quidem fontes monstrauit *Plutarchus*[400]): *Ἕλληνες*, inquiens, *ἐτίθεντο πράξεως μὲν ἐπώνυμον, τὸν Σωτῆρα καὶ τὸν Καλλίνικον· ἰδέας δὲ, τὸν Φύσκωνα καὶ τὸν Γρυπόν· ἀρετῆς δὲ, τὸν Εὐεργέτην καὶ τὸν Φιλάδελφον· εὐτυχίας δὲ, τὸν Εὐδαίμονα, καθάπερ τῷ δευτέρῳ τῶν Βάττων.* At nec haec, et quae ibi plura sequuntur, satis ad rem nostram faciunt. Pertinent enim non omnia ad primam nominum impositionem, quae fit paulo post natum infantem, sed pleraque spectant ad cognomina et agnomina, quae adultis hominibus dantur. Magis placent, quae praecipit *Cyprianus*, vel potius *Arnoldus Carnotensis*[401]): „Solent matres „infantulis nuper editis in ipso vitae introitu aptare vo„cabula, et ex aliquibus praecedentibus vel circumstan„tibus causis, vel ex genere, vel ex euentibus imponere „nomina, ut in ipsis primordialibus initiis quaedam

priis et appellatiuis, dudum obseruauit *Eustathius* ad *Homer.* Odyss. δ, p. 1489, 53. sqq. et 1490, 1 — 23. edit. Rom.

399) in prima earum prolusionum, quas *Platonis* Cratylo illustrando scribere instituit, Lips. 1792. 4. pag. XVII. Vide exempli gratia *Plat.* Cratyl. T. I. Opp. p. 394. extr. de nomine *Ὀρέστης*. p. 395. de nominibus *Ἀγαμέμνων*, *Ἀτρεὺς*, *Πέλοψ* et *Τάνταλος*.

400) in vita Coriolani c. 11.

401) Hunc enim, non *Cyprianum*; esse auctorem libri de operibus Christi cardinalibus, e cuius praefatione petita sunt verba supra posita, (v. opera *Cypriani* p. 417. ed. *Erasm.* Basil. 1521. fol.) ostendit *Ioh. Dallaeus* de scriptis Dionysii et Ignatii 2, 39. Cf. *Andr. Riueti* crit. sac. 2, 15. p. 232.

„praefigerentur commonitoria ingredientibus vitam, ne „nomen eis esset ad ignominiam, si originalis naturae „traductio a consueto limite deuiaret, et a virtute pa„trum degenerans indigna successio, monstri, non ho„minis, faciem exhiberet. — Prouisum est in populo an„tiquo et institutum, ut aliqua esset in vocabulis ratio, „et interpretarentur nomina vitam, et exprimerent ali„quam personae proprietatem, secundum quam vel dif„ferret a caeteris, vel etiam communicaret.“ Sed cum ne haec quidem satisfacere omnibus possint, cumque praeceptor acer atque subtilis scrutari debeat mille origines nominum, auctore *Quinctiliano* [402]): putaui mihi faciendum esse, ut, quae ipse inter legendum obseruassem, ea componerem quam possem aptissime, et quasi coagmentarem. In quo quidem negotio fieri non potest quin multa dicenda sint, quae multis videantur notissima et tralatitia, multa item, quae cum nostris moribus conueniant, multa denique, quae solis coniecturis nitantur.

Quoniam autem nihil refert, quinam potissimum nominum fons primo loco indicetur, incipere placuit ab eo, qui omnium reperitur esse uberrimus. Scilicet petebantur nomina saepissime a bono omine, spe, voto, atque adeo parentes infantibus nomina dabant eiusmodi, quibus hi adulti moneri possent, quae fuisset atque esset parentum de ipsis exspectatio [403]). Itaque si pater esset vel videri vellet pietatis in deos studiosissimus, vel filiolum aeque aliquando in deos pium euadere cuperet,

402) institutt. oratorr. 1, 4, 25.

403) v. *Valckenar.* Opuscc. Vol. II. p. 138. [*Mollius* ad *Longi* Pastoralia p. 7. „Dabantur, inquit, aut auorum nomina aut parentum, „ut ipsa nominis recordatione ad imitandas eorum virtutes accenderentur.“ *Harl.* Idem *Harl.* alio loco habet haec: „Haec consuetu„do ad Romanos transiit.“ Et addidit haec verba *Ciceronis* de Div. 1, 45. „In lustranda colonia, ab eo, qui eam deduceret; et cum im„perator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, „qui hostias ducerent, eligebantur. quod idem in delectu consules ob„seruant, ut primus miles fiat bono nomine.“]

vel eundem aut omnino diis, aut speciatim huic vel illi deo deberi, ac per insignem quandam deorum beneuolentiam natum esse putaret: nomen petebat a diis vel a deo quodam. Similiter nomina ducebantur a genere vitae, cui vel pater deditus erat, vel alius, qui per illud diuitias gloriamue erat assecutus, vel cui pater filium studere aliquando cupiebat. Haec atque alia non solum scriptores veteres ipsi passim diserte docent, sed etiam exempla multa clare demonstrant. Ex utroque genere nonnulla contemplemur. *Plato*[404]): πολλὰ μὲν (ὀνόματα) κεῖται κατὰ προγόνων ἐπωνυμίας, οὐδὲν προσῆκον ἐνίοις· πολλὰ δὲ ὥσπερ εὐχόμενοι τίθενται. *Eustathius*[405]): τὸ, Ἀρήτη δ' ὄνομ' ἔστιν ἐπώνυμον, ἱστορίαν τε ὑπολαλεῖ, καὶ τρόπον ἐτυμολογικὸν, ὡς τῆς Ἀρήτης παρὰ τὸ ἀράσασθαι κληθείσης, ἵνα ὥσπερ φαιδρὸς ἐπίθετον, ἐξ οὗ Φαῖδρος κύριον καὶ γυνὴ Φαῖδρα, οὕτω καὶ ἀρητὸς ἐπίθετον, ὡς τὸ[406]), πένθος ἀρητὸν, ἐξ οὗ Ἄρητος κύριον· ὅθεν ὁ παρὰ τοῖς ὕστερον Ἄρατος· καὶ θηλυκὸν Ἀρήτη, ὡς εἴ τις εἴποι εὐκταία τοῖς γονεῦσιν· ὥσπερ καὶ Δημάρατος ὁ Λάκων, ὡς πολύευκτος, οὕτως ἐκλήθη· εὐξαμένων γὰρ καθ' Ἡρόδοτον[407]) πανδημεὶ Σπαρτιατῶν, ἐγένετο ἐκεῖνος τῷ πατρὶ Ἀρίστωνι. Ἐπώνυμον δὲ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, τὸ παρὰ τοῖς ὕστερον φερώνυμον[408]), ἤγουν ἔνθα τὸ ὄνομα ἐμφερὲς τοῖς πράγμασι. διττῶς δὲ ὡς ἐπὶ πολὺ τὸ ῥηθὲν ἐπώνυμον· ἢ τὸ αὐτομάτως τεθὲν τὴν ἀρχὴν, ὕστερον δὲ ἐπαληθεῦσαν, ὡς εἴπερ ἐκ προνοίας ἐτέθη· οἷον, ὁ ῥήτωρ Δημοσθένης ἐπωνύμως ἐκλήθη, ἐπεὶ σθένος τοῦ τῶν Ἀθηναίων δήμου γέγονεν ὕστερον· καὶ τῷ Αἴαντι δὲ τὸ ὄνομα ἐπώνυμον ἐξηνέχθη τοῖς αὐτοῦ κακοῖς κατὰ τὴν τραγῳδίαν, διὰ τὸ αἴ, ὡς ἄξια αἰαγμάτων παθόντος αὐτοῦ· ἢ γοῦν οὕτως ἐπώνυμον τὸ ἀπὸ γενέσεως ἁπλῶς οὕτω τεθὲν, ἢ τὸ ἐκ μελέτης εἴτουν προνοίας, ὡς τὸ Ὀδυσσεὺς, περὶ οὗ

404) in Cratylo T. I. opp. p. 397. B.

405) ad *Homer.* Odyss. η, p. 1567, 51 — 62.

406) *Eustathius* haud dubie respicit ad Iliad. ρ, 37. et ω, 741.

407) v. *Herodot.* 6, 63.

408) *Euseb.* H. E. 5, 24. extr. ὁ μὲν Εἰρηναῖος φερώνυμός τις ὢν τῇ προσηγορίᾳ, αὐτῷ τε τῷ τρόπῳ εἰρηνοποιός. Cf. 4, 16. init.

ὁ πάππος φησί[409])· τῷ δ' Ὀδυσσεὺς ἔστω ὄνομα. οὕνεκά μοι πολλοὶ ὀδύσαντο. τοιοῦτον ἐπώνυμον καὶ τὸ Ἀρήτη, ὡς ἐῤῥέθη, καὶ τὸ Δημάρατος, ὃ καὶ Δημάρητος, καὶ ἡ Δημαρέτη. *Plutarchus*[410]): ᾧ ἕκαστος θεῷ συντέτακται, καὶ παρ' οὗ δυνάμεως καὶ τιμῆς εἴληχεν, ἀπὸ τούτου φιλεῖ καλεῖσθαι. καὶ γὰρ ἡμῶν ὁ μέν τις ἐστὶ Δΐϊος, ὁ δὲ Ἀθηναῖος, ὁ δ' Ἀπολλώνιος, ἢ Διονύσιος, ἢ Ἑρμαῖος· ἀλλ' ἔνιοι μὲν οὖν ὀρθῶς κατὰ τύχην ἐκλήθησαν, οἱ δὲ πολλοὶ μηδὲν προσηκούσας, ἀλλ' ἐνηλλαγμένας ἐκτήσαντο θεῶν παρωνυμίας. Quod in his locis significatur, saepe falli, qui putaret nomen hominis semper eius naturam moresque indicare, cum facile fieri posset, ut parentes infantem recens natum Θεόφιλον nominarent, quoniam eum deorum amantem et amicum esse cuperent, etiamsi deinde non ad spem responderet euentus: id cum per se possit intelligi, tum *Plato* diserte docuit pluribus in locis, v. c. in hoc[411]): τοῖς κατὰ φύσιν γιγνομένοις τὰ αὐτὰ ἀποδοτέον ὀνόματα. — τί δαὶ τοῖς παρὰ φύσιν, οἳ ἂν ἐν τέρατος εἴδει γένωνται; οἷον, ὅταν ἐξ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ καὶ θεοσεβοῦς ἀσεβὴς γένηται, ἆρ' οὐχ ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν; κᾂν ἵππος βοὸς ἔκγονον τέκῃ, οὐ τοῦ τεκόντος δήπου ἔδει τὴν ἐπωνυμίαν ἔχειν, ἀλλὰ τοῦ γένους οὗ εἴη; — καὶ τῷ ἐκ τοῦ εὐσεβοῦς ἄρα γενομένῳ ἀσεβεῖ τὸ τοῦ γένους ὄνομα ἀποδοτέον, — οὐ Θεόφιλον, ὡς ἔοικεν, οὐδὲ Μνησίθεον, οὐδὲ τῶν τοιούτων οὐδέν· ἀλλ' ὅ τι τἀναντία τούτοις σημαίνει, ἐάν περ τῆς ὀρθότητος τυγχάνῃ τὰ ὀνόματα. Similiter *Priscianus*[412]): „In his ipsis (np. „nominibus propriis) est quando euentus — cogit — „quod euenit saepe eodem proprio nomine duos vel „plures nuncupari, ut Aeneas Anchisae filius, et Siluius „Aeneas: Pyrrhus filius Achillis, et Pyrrhus rex Epirota„rum; Aiax Telamonius et Aiax Oilei filius. Haec enim „non naturaliter communia sunt, quippe nullam quali-

409) ap. *Homer.* Odyss. τ, 407—409.
410) de defectu oraculor. c. 21. extr.
411) in Cratylo T. I. opp. p. 394. D. E. Cf. p. 403. B. et passim in Cratylo.
412) lib. 5. p. 143. sq. (p. 201. edit. *Krehl.*)

„tatem communem significant, sed casu diuersis conti„gere personis. Non enim ideo eodem nomine nuncu„pati sunt, quia qualitatem similem habeant, id est, „quod duo albi essent, vel duo nigri, vel duo formo„si." [413]) Quamuis autem vel sana ratio doceat quemque, temerarium esse boni maliue quicquam e nominibus augurari [414]): non tamen defuerunt unquam, qui isto vel superstitionis vel ioci genere delectarentur. Attuli talia iam paulo superius. Alia infra per occasionem aliam memorabuntur.

Iam enim properandum est ad enumeranda exempla nominum a diis desumtorum, quorum pleraque sunt explicatu facillima, alia paulo accuratiore explicatione indigebunt. Ex illo genere sunt *Θεαίτητος, Θεαγένης, Θεογένης, Θέογνις. dea deoue natus; Θεοδόσιος, Θεόδοτος, Θεοδότη, Θεόδωρος, Θεοδώρητος, Θεοδωρίδας, Ὑπατόδωρος, Δωρόθεος, Δωσίθεος, Θεόπομπος, a deo* vel *supremo numine datus, donatus, missus; Θεοφάνης, per deum in lucem editus; Θεοδέκτης, deum recipiens,* vel *rerum diuinarum susceptor; Θεοκρίνης, Θεόκριτος, deorum iudicio electus* s. *probatus; Ἀμφίθεος, rebus diuinis occupatus; Θεοκλῆς, Θεόκλεια, Θεόφημος, Θεοκύδης,* et inde forma patronymica eaque contracta *Θεοκυδίδης* [415]), *per deos clarus, diis famam et gloriam de-*

413) Haec ultima verba, Non enim ideo — duo formosi, *Krehlius* tanquam glossema eiecit.

414) Praeter *Quinctiliani* iudicium, supra ad n. 397. exscripsi, v. *Ioh. Broduei* miscell. 7, 5. ubi peculiari capite tractat quaestionem: an boni maliue quidpiam ex nominibus suis hominibus contingat. Cf. *Mureti* V. L. 17, 14. *Ant. Borremansii* Vesperae Gorinchemenses c. 2. p. 22. sqq. *Ioh. Schmid* diss. de fatalitate nominum propriorum humanor. Lips. 1683. *Dan. Guil. Moller* diss. de fatalib. personarum nominibus, Altorf. 1685. [Veteres, iique antiquissimorum temporum, in imponendo nomine ominis boni ut esset curarunt. Alcinous igitur apud *Homer.* Odyss. *ϑ*, 550 — 554. Ulyssem interrogat: „quodnam tuum nomen est? Nam „nemo omnino est absque nomine. Forsan ergo nomen tuum tale est, „ut iam ex eo fata tua vitaeque conditio cognosci atque tanquam possint praesagiri." *Harl.*]

415) Ita recte *Etymol. M.* et *Phauorin.* in v. *Ἀτρείδης*. Nomen *Θεοκύδης* extat ap. *Herodot.* 8, 65. Male igitur *Priscianus* 2, p. 54.

bens; Θεότιμος, Τιμόθεος, Τιμησίθεος, deos honorans, ut apud nos nomen *Ehregott*; *Μνησίθεος, memor deorum*; *Εὐξίθεος, diis vota precesque faciens; Θεόφιλος, Φιλόθεος, deorum amans, diis gratus, Gottlieb; Θεάγης, diis ducibus utens,* (unde Socrates apud *Platonem*[416]) hoc nomen appellat *καλὸν καὶ ἱεροπρεπές*) *Θεσπέσιος*, multaque alia. Difficilius explicari possunt haec: *Θούδιππος, Θεανὼ, Θεάνωρ, Θεόμανδρος*. Nam quod ad primum attinet, vix aliud quid videtur significare posse, quam *equum diuinum*, vel *hominem qui diuinos*, h. e. *praestantissimos, equos habet.* Neutra vero interpretatio mihi satis placebat. *Θεανὼ* vel a verbo *ἄνω*, h. e. *ἀνύω*[417]), descendere videtur, ut sit *deos adiutores habens in rebus gerendis*, vel ab *ἀνέω*, antiqua forma pro *ἄνειμι*, ut sit *ad deos adscendens.* Nam a verbo *θεᾶσθαι* deriuare non audebam, quanquam tum verti posset *spectabilis. Θεάνωρ* fortassis est *per deorum voluntatem praecox* s. *praematurus*, ut descendat a vocabulo *ὥρα*, a quo fit *ἄνωρος*. Magis placere potest ut deriuetur a nomine *ὥρα, cura.* Ita enim significatur *qui diis curae est, Gottwerth.* Rectius vero deducatur a verbo *θεᾶσθαι* et nomine *ἀνὴρ*, ita ut significetur *vir* siue *homo spectabilis.* Sic enim *Ἀγήνωρ, Ἀντήνωρ, Δεισήνωρ, Ἐλεφήνωρ, Εὐήνωρ* (v. *Etymol. M.* p. 238, 9. et 298, 20.), *Εὐφράνωρ, Κλεάνωρ*, dicuntur. Eiusdem generis sunt *Ἀλεγήνωρ, Εὐχήνωρ, Πεισήνωρ, Προθοήνωρ, Ὑπερήνωρ, Ὑψήνωρ*. Horum tamen nonnulla deriuari etiam possunt a nomine *ἠνορέη*. *Θεόμανδρος* verti potest *monachus*; proprie, *versans in spelunca deo sacra*, quae *μάνδρα* vocabatur, ut vel nomen *ἀρχιμανδρίτης* docet, quod proprie indicat praefectum hominum in speluncis viuentium.

Nomina, quae a diis nonnullis singulis desumta sunt, ita recensere placuit, ut sequerer ordinem literarum, a quibus nomen cuiusque dei in lingua Latina incipit. Ab

„Thucydides, *ἀπὸ τοῦ θόκου* (leg. *θώκου*), *τοῦ ἑδράνου.*" *Krehlius* p. 79. Graeca haec omisit.

416) in Theage T. I. opp. p. 122. D.

417) v. *Eustath.* ad *Homer.* Odyss. *β*, p. 1434, 17.

Adrastea igitur profectum videri potest nomen Ἄδραστος, nisi quis velit a verbo διδράσκειν deriuare, ut significetur *homo a fuga alienus, fortis.* Ab *Aesculapio*, Ἀσκληπιάδης, Ἀσκληπιόδοτος, Ἀσκληπιόδωρος. Ab *Apolline*, Ἀπολλώνιος, Ἀπολλόδοτος, Ἀπολλογένης, Ἀπολλοφάνης,[418]) Ἀπολλόδωρος, Ἀπολλωνίδης, item Φοιβίδας, Σμίνθης, Σμινθέας, item Πύθων, Πυθόδωρος, Πυθοκλῆς, Πυθαγόρας, quo nomine significari videtur *Apollinem in ore habens.* Minus enim probabilis est *Aristippi*[419]) ratio, Pythagoram nomen suum ideo accepisse, ὅτι τὴν ἀλήθειαν ἠγόρευεν οὐχ ἧττον τοῦ Πυθίου. Certe tale etymon nemo tulerit in nominibus Ἀθηναγόρας, et Ἀναξαγόρας, et Διαγόρας. A *Baccho*, Βάκχις, Βακχίδης, Βακχυλίδας, Διονύσιος, Διονυσόδωρος. Huc pertinere videtur Σαβαιθὶς[420]), utpote quod nomen cognatione quadam attingit Bacchum, qui Σαβάζιος a Thracibus vocatus est. A *Bono Genio*, Ἀγαθοδαίμων. A *Castore et Polluce*, Διοσκορίδης. A *Cerere*, Δημήτριος, Δαματρία. A *Charonte*, Χάρων, Χαρώνδας. A *Diana*, Ἄρτεμις, Platonis ancilla[421]), Ἀρτεμισία, Ἀρτεμίδωρος, et contracte Ἀρτεμᾶς, Ἀρτέμων. A *Gratiis*, Χαρίτων, Χαρικλῆς, Χαρίκλεια, Χαρικλώ. Ab *Harpocrate*, Ἁρποκρατίων. Ab *Hecate*, Ἑκαταῖος. Ab *Hercule*, Ἡρακλείδης, *ab Hercule oriundus.* Ab *Heroibus*, Ἡρώδης[422]), Ἡρωδιανὸς, Ἡρώνδας. Ab *Iside*, Ἰσίδωρος. Ab *Iunone*, Ἡρόδοτος, Ἡρόδωρος, contracte Ἡρᾶς, Ἡρόφιλος, Ἡρόδικος, *Iunonis iudicium et mores sequens,* Ἡράκλειτος et Ἡρακλέων, *Iunoni gloriam debens*, Ἥρυλλα. Ab *Ioue*, Δῖος, pater Hesiodi, Δίων, Διογένης, Διογενιανὸς, Διόδωρος, Διόφαντος, Διοκλῆς, Διότιμος, Διοτίμα, Διαγόρας, Διομήδης, *Iouem curans*, vel *Iouis con-*

418) *Theognostus* in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. III. p. 1394. b. τὰ εἰς ων ὀνόματα προηγούμενα λέξεως ἐν τῇ συνθέσει τρέπει τὸ ω εἰς τὸ ο. σπάνια δὲ τὰ παραδείγματα, οἷον — Ἀπόλλων Ἀπολλογένης, Ἀπολλοφάνης.

419) ap. *Diog. Laert.* 8, 21.

420) apud *Nossidem* in *Brunckii* Analectt. Vol. I. p. 195. n. VIII.

421) v. *Diog. Laert.* 3, 42. Conf. ad not. 433.

422) Est enim contracta forma ex Ἡρωΐδης. v. *Etymol. M.* p. 150, 44. et *Phauorin.* l. l. Sed Ἡρώνδας est Dorica.

silio utens, *Διοπείθης*, *Ioui parens*, *Δίφιλος* [423]), item Ζήνων, Ζηνόδοτος, Ζηνόδωρος, Ζηνᾶς, Ζηνόβιος, *Ioui vitam debens*, item *Ἀμμώνιος*, *Κάσιος*, quod et ipsius Iouis cognomen est [424]), *Ὀλυμπιόδωρος*, *Ὀλυμπικός* [425]). A *Matre deorum*, *Μητρόδωρος*. A *Mercurio*, *Ἕρμος*, de quo notabilis est hic locus *Plutarchi* [426]): *σὺν αὐτοῖς Ἕρμον, ἄνδρα τῶν Ἀθήνησιν εὐπατριδῶν· ἀφ' οὗ καὶ τόπον Ἑρμοῦ καλεῖν οἰκίαν τοὺς Πυθοπολίτας· οὐκ ὀρθῶς τὴν δευτέραν συλλαβὴν περισπῶντας, καὶ τὴν δόξαν ἐπὶ θεὸν ἀπὸ ἥρωος μετατιθέντας*. Item *Ἕρμων*, *Ἑρμείας*, *Ἑρμογένης*, quod ab ipso Hermogene apud *Platonem* [427]) exponitur verbis *εὐμήχανος λόγου*; quoniam Mercurius erat etiam inuentor eloquentiae, sed a Socrate apud eundem [428]) verbis *χρημάτων ἐφιέμενος κτήσεως*. Item *Ἑρμόδοτος*, *Ἑρμόδωρος*, et forma contracta *Ἑρμᾶς*, *Ἑρμοκράτης*, *Mercurii ope*, i. e. *dolo*, *imperans*. Idem fere significat *Ἑρμομησιάναξ*. Sed *Ἕρμιππος* quomodo interpretari possis, patere potest ex iis, quae paulo ante de nomine *Θούδιππος* dixi. Fortassis tamen intelligi possit *ex equis lucrum faciens*. *Ἑρμόλυτος*, *liberatus a Mercurio*, h. e. *calliditate*. *Ἑρμαππίας* quid significet, non ego pro certo dixerim. Videtur tamen paene idem esse quod *Ἑρμογένης*. Nam *ἄππας* est *pater* vel *nutritor*, *educator*. [429]) A *Minerua*, *Ἀθηνίων*, *Ἀθηνόδωρος*, *Ἀθηναγόρας*, *Ἀθηνοκλῆς*, *Παλλάδιος*. Forsitan etiam *Ἀθήναιος* [430]), quanquam aliunde hoc nomen deriuari posse

423) v. quae *Platonis* verbis de hoc nomine exposui ad n. 197.

424) v. *Plin.* H. N. 5, 12.

425) Saepe legitur ap. *Plutarchum*, ut sympos. 2, 6. de sera num. vind. c. 3. etc. Sed *Ὀλύμπικος* rectius dici, supra not. 115. ostendi.

426) in vita Thesei c. 26. (25.) extr. quem locum supra iam tractaui ad n. 149.

427) in Cratylo T. I. opp. p. 403. B.

428) ibidem p. 384. C.

429) v. *Hesych.* et *Phauorin.* in v. *ἄππας*, et *Spanhem.* ad *Callimach.* h. in Dian. 6. Conf. quae ipse Prolusione prima ad *Zonarae* glossas sacras Noui Testamenti (Grimae 1818. 4.) p. 4 — 6. dixi.

430) v. verba *Plutarchi* ad n. 410. posita.

iam suprà ostendi [431]). A *Musis*, *Μουσαῖος*, *Πιέριος*, *Πολύμνις*, fortassis etiam *Θαλῆς*. A *Nemesi*, *Νεμέσιος*. A *Neptuno*, *Ποσειδώνιος*. A *Nymphis*, *Νυμφόδωρος*. A *Parcis*, *Μοιρώ*, *Μοῖρις*, *Μοιραγένης*. A *Pataecis*, *Παταικος*. A *Saturno*, ut *Κρόνις*. Vid. not. 381. A *Satyris*, *Σάτυρος*, *Σατύρη*, *Σατύριος*, *Σατυρίων*. A *Sole*, *Ἡλιόδωρος*. A *Themide*, *Θεμιστέας*, *Θεμίστιος*, *Θεμιστογένης*, *Θεμιστοκλῆς*. A *Venere*, *Ἐπαφρόδιτος*. A *Vesta*, *Ἑστιαία* [432]), item *Ἱστιαῖος*, *Φιλιστίδης*. Nam Vesta Graece dicitur et *Ἑστία* et *Ἱστία*. A *Victoria*, *Νικόδωρος*. A *Vulcano*, *Ἡφαιστίων*, *Ἡφαιστιόδωρος*. Etiam nomina Deorum ipsa, neque ullo modo mutata, hominibus nonnunquam dabantur, ut *Ἆπις*, *Ἀσκληπιὸς*, *Διόσκορος*. [433])

Quia vero flumina quoque constat pro diis culta fuisse a Graecis [434]), lubet etiam eorum nominum, quae a fluuiis ducta sunt, exempla quaedam addere: *Πόταμις* [435]), *Ποτάμων*, *Καλλιῤῥόη* [436]), *Ocyroë* (*Ὠκυρόη*) [437]), *Εὔηνος*, Aetoliae rex, ab Aetoliae fluuio. *Εὐριπίδης* vocatus fuit nobilis tragicus, quia illo die natus est, quo Athenienses cum Persis in Euripo bellum commisere [438]). *Ἴναχος*, rex Argiuorum, cuius tamen nominis paulo superius aliam originem significaui. *Ἰσμηνίας*, *Ἰσμηνόδωρος*, *Ἴστρος*, *Καφεισίας*, *Κηφισόδωρος*, *Λάδων*, *Μαίανδρος*, vel potius *Μαιάνδριος*, Sami tyrannus, *Νέσσος*, Centaurus, *Σιμοείσιος*,

—— —— *ὅν ποτε μήτηρ*
Ἴδηθεν κατιοῦσα, παρ' ὄχθησιν Σιμόεντος

431) ubi tractaui nomina propria ex gentilibus facta.

432) Grammatica, cuius mentio fit in *Schol. Homer.* Il. γ, 64.

433) v. *Reiske* ad *Constant. Cephalae* Anthologiam p. 47. Nomen *Ἄρτεμις* paulo ante ad not. 421. attuli.

434) v. *Ioh. Gottli. Bosseck* diss. de cultu fluminum apud Graecos, Lips. 1740. 4. ut alios taceam.

435) Memoratur ap. *Xenophontem* hist. Graec. 1, 1, 20.

436) v. *Charito* 2, 5. ibique *Doruill.* p. 185. (p. 312. edit. Lips.) et ad 1, 1. p. 13. (p. 205.)

437) v. *Ouid.* metamm. 2, 637. sq.

438) Sunt verba *Prisciani* 2, p. 54. Sed *Krehlius* p. 79. omisit verba supra apposita „quia illo die — commisere."

γεῖνατ', ἐπεὶ ῥα τοκεῦσιν ἅμ' ἕσπετο, μῆλα ἰδέσθαι.
τοὔνεκά μιν κάλεον Σιμοείσιον.

Sunt verba *Homeri* 439). Eodem modo Hector filiolum suum vocauit Σκαμάνδριον 440). Verum satis de his. Non tamen praetereundem per hanc occasionem videbatur, quod *ea nomina, quae non essent a Diis desumta*, proprie ἄθεα ὀνόματα appellata sint. 441)

Addo statim alia nonnulla iis affinia, ut quae omnino a *sacris* petita sunt, v. c. Ἱεροκλῆς, Ἱερώνυμος, vel a *pietate in deos*, ut Ἄρατος, de quo paulo ante ad not. 405. *Eustathii* explicationem attuli, et Εὐσέβιος, Ὅσιος, Πολύευκτος, vel a *bonitate*, ut Ἀγαθίας, Ἀγάθων, Ἀριστέας, Ἀρισταῖος, Ἀριστίας, Ἀρίστων, Ἀριστείδης, Ἀριστοτέλης, Ἀριστοφάνης, Ἐπαμεινώνδας. Nam sic scribendum est hoc nomen, non Ἐπαμινώνδας, quia dubium non est, quin descendat a vocabulo ἀμείνων. 442) Porro quae a *virtute et honestate* ducuntur, ut Ἀρετὴ 443), Ἀρεταῖος, Πανάρετος, Δαμαρέτας, Παιδάρετος, Τιμαρέτεια, Εὔεργος, Καλλίβιος, Φιλόκαλος, vel ab *iustitia*, ut Δικαῖος 444), Δικαιοσύνη 445), Δικαίαρχος, Εὔνομος. Reperiuntur vero etiam nomina ab *iniuria et petulantia* ducta, qualia sunt Ὑβρίας, Ὑβριστὸς, fortassis etiam Σιληνὸς, *inter loquendum oculos cum contemtu auertens ab eo, quocum loquitur*. Nisi hoc malis a Sileno, Bacchi comite, deducere.

Ex eodem boni ominis fonte uberrimo fluxerunt alia multa, ut quae a *vitae diuturnitate et bona valetudine* desumebantur, v. c. Ὑγῖνος 446), Βίας, Βίων, Ζωΐλος,

439) Iliad. δ, 474—477. ubi *Eustathius* p. 500. simile exemplum attulit.

440) v. *Homer.* Il. ζ, 402. ibique *Schol. Villoisoniana* p. 170.

441) quam in rem vid. *Athenae.* 10, p. 448. E.

442) Recte hoc etiam *Perizonius* animaduertit ad *Aelian.* V. H. 2, 43.

443) Est filia Dionysii iunioris, ap. *Plutarch.* de Alex. M. siue virtute siue fortuna orat. 2, c. 5. extr.

444) Memoratur ab *Herodoto* 8, 65.

445) Est soror Ἀρετῆς, ap. *Plutarch.* l. l.

446) quod seruile nomen esse ostendit *Doruill.* ad *Charit.* p. 402. sq. (p. 444. extr. edit. Lips.)

Ζώσιμος, *Μακρόβιος*, *Πολύβιος*, *Εὐαίων*, *Εὐζώϊος*, *Πολυχρόνιος*. A *sana ratione*, ut *Σώφρων*, *Σωφρονίσκος*, *Σωφροσύνη*[447]), *Εὐθύφρων*. A *vi intelligentiae*, ut *Ἀντίνοος*, *Ἀρσίνοος*, *Ἀστύνοος*, *Αὐτόνοος*, *Ἴφίνοος*, *Συνέσιος*, *Φωτεινός*. A *prudentia et sapientia*, ut *Εὔκαιρος*, *Γρηγόριος*, *Πυνταγόρας*, *prudenter in concione dicens*[448]), *Προμηθεὺς*, *Σοφοκλῆς*, *Σίσυφος*, quod nomen significat, opinor, eum, *qui excellenti ac diuina valet sapientia*. Nam *σιὸς* lingua Aeolica et Laconica est i. q. *θεὸς*, et *συφὸς* dicitur pro *σοφός*[449]). Omnino a *perfectione*, ut *Τελέσιλλα*, *Τελέστης*, *Τελέστωρ*, *Τέλης*. Nisi haec pertinent ad nomina a rebus gerendis ducta. A *felici memoria*, ut *Μνήμων* Grammaticus[450]), *Μνασέας*, *Μνῆσις*, *Εὐμάθης*, *Εὐμάθιος*, *Κλυταιμνήστρα*, *a memoria celebris*, *Πολύμναστος*. Sic ab *arte*, *peritia*, *dexteritate*, ut *Ἁρμόδιος*, *Δαίδαλος*, a verbo *δαίειν*, quod *discere* et *scire* significat, *Προκόπιος*, *proficiens*. Huc referri etiam potest nomen *Σαπφὼ*, h. e. vel *vera dicens*, vel *perspicuitati studens*. Nihil enim aliud est, quam *Σαφώ*, Nimirum quemadmodum litera Hebraica פ vel leniter vel dure pronunciatur: ita etiam Graeca Φ non apud omnes Graecos eandem vim habet. A vetustissimis quippe Ionibus et Aeolibus pronunciabatur *πφ*, ut in illo *Homeri*[451]):

Τρῶες δ' ἐῤῥίγησαν, ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν.

Alia nomina ducebantur a *fortuna*, ut *Τύχων* et *Τυχικὸς*, inprimis a *fortuna secunda et diuitiis*, ut *Εὐτυχὴς*, *Εὐτυχίδης*, *Εὐτύχιος*, *Εὔβιος*, *der gut leben kann*, *Εὐήμερος*, *der gute Tage hat*, *Ἀφθόνιος*, *qui viuit in*

447) Est soror *Ἀρετῆς*, ap. *Plutarch.* l. l.

448) v. *Freinshem.* ad *Curt.* 4, 3, 11.

449) v. *Hesych.* in v. *σιὸρ*, et ibi interpp. item *Gregor.* de dialectis p. 274. ibique *Koen.* (p. 585. sq. edit. *Schaefer.*) Conf. *Etymol. M.* p. 647. extr.

450) Nam interdum nomen *Μνήμων* est cognomen, de quo infra.

451) Iliad. *μ*, 208. Cf. *Scaliger* ad *Euseb.* chron. p. 119. Huius enim sententia multo magis probanda mihi quidem visa est, quam quae *Ernesti* ad laudatum *Homeri* locum annotauit, etiam *ὄρνιν* pro *ὄφιν* legi posse significans.

rerum omnium abundantia, Τρύφων, *delicate viuens*, Τρυφιόδωρος, *deliciis donatus*, Ἄβρων, *laute viuens*, Ἡδύλος, *suauiter viuens*, Γλύκινος, Γλύκων, et aeuo seriore Γλύκας, *qui vitam dulciter agit*, Βαυκὶς, Βαυκὼ[452]), Εὐθάλιος, *bene florens*, Εὐφορίων, *cui res bene fluunt*, Πλουτίων, Πλούταρχος, Χρυσολόγος, *aurum colligens*, Κτησίας et Κτησίβιος, *qui res ad vitam necessarias sibi comparat* vel *possidet*, Ἐπίκτητος, *qui rebus hereditate acceptis plura acquirit et addit*, Εὐκτήμων, *qui facile opes sibi parat*, Φιλοκτήτης, *rei familiaris acquirendae studiosus*, Εὐγάμιος, *cui matrimonium et nuptiae bene procedunt*, Εὐνάπιος, *locis nemorosis abundans*, cuius tamen nominis etiam alia ratio reddi potest, ut inferius patebit, Εὐτέκνιος et Εὐτόκιος, *liberos vel multos habens vel probos*, quod itidem aliter explicari posse infra ostendam, Μελέαγρος, *agros suos curans nec negligens*, Μηλὼ, *rei pecuariae studiosa*, Εὔμηλος, et Πολυμήλη, *pecorum gregibus abundans*, Πολύβοια, *bubus abundans*[453]). Eadem ratione nomina sumebantur a *metallis*, ut Χρύσης, Χρυσίλλα, Χρυσοχρόη, Ἀργύριος, Χάλκων, Σιδηρώ. Sed nomen a *fortuna aduersa* petitum vix inuenias praeter nomen Τάνταλος, quod huc trahit *Plato*[454]): τελευτήσαντι, inquiens, ἐν ᾅδου ἡ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τοῦ λίθου ταντάλεια θαυμαστῶς ὡς συμφώνως τῷ ὀνόματι καὶ ἀτεχνῶς ἔοικεν. ὥσπερ ἂν εἴ τις βουλόμενος ταλάντατον ὀνομάσαι, ἀποκρυπτόμενος ὀνομάσειε, καὶ εἴποι ἀντ' ἐκείνου Τάνταλον.

Alia nomina desumebantur ab *animo tranquillo et sorte sua contento*, ut Ἀλύπιος, Γαληνὸς, Ἡσύχιος, Ἡσυχία, Ἄρκεσος, Ἄρκων, Ἀρκεσίλαος, *quo populus est contentus*[455]). Alia omnino ab *otio*, ut Παυσανίας, quod

452) *Hesychius*: βαυκά· ἡδέα. Aliam interpretationem paulo post habes.

453) v. *Eustath.* ad *Homer.* Iliad. β, p. 324.

454) in Cratylo T. I. opp. ed. *Steph.* p. 395. D. E.

455) Aliter tamen hoc nomen explicatur ab *Scholiaste Homeri*. v. infra n. 483.

nomen respondet Hebraico נֹחַ [456]). Alia a *felicitate*, ut *Εὐδαίμων*, *Μακαρεὺς*, *Μακάριος*. Alia a *mansuetudine*, ut *Πραῦλος*. Alia contra ab *animi duritie*, ut *Νηλεὺς*, *immisericors*, et *Σκληρίας*, quod tamen nomen pertinere forsan rectius putari posset ad duriusculam cutim. Sic *Doruillius* [457]) a *morum feritate* nomen *Θήρων* deducit, quod ego quidem a *venatione* potius deriuauerim. Ortum enim haud dubie est e participio *θηρῶν*, et respondet nomini *Jaeger*, satis inter Germanos meos frequenti. Alia nomina petebantur ab *hilaritate et gaudio*, ut *Ἀγάλλιος*, *Εὐγάθης*, *Hilarius* [458]), *Εὔθύμιος*, *qui est bono animo*, *Φαῖδρος*, *Εὐφράνωρ*, *Χαιρέας*, *Χαιρήμων*, *Χαίρις*, *Χάρις*, *Χαρίλαος* [459]), *Χάριλλος*, *Χαρμίδης*, *Ἐπίχαρμος*, *Πολύχαρμος*, *Παγχάριος*, *Τέρπανδρος*, *Τερπνὸς* [460]), *Τερψίων*. Sic a *risu*, ut *Γελάσιος* et *Γέλων* [461]). Neque inter nos infrequens est nomen *Lachmann*. A *cantu*, ut *Μόλπις*, *Μόλπος*, *Εὔμολπος*, *Εὐμολπίδας*, *Παιάνιος*. Quo fortasse referri potest nomen *Ἀρχιέπης*, ut sit *princeps poetarum*, *archipoeta*, quemadmodum quondam *Camillus Querno* se ipse appellabat, qui Leonis X. Pontificis Maximi temporibus erat ex illo poetarum genere, quos *improuisatori* vocant Itali. Non tamen ignorabam, nomen *Ἀρχιέπης* etiam aliis modis explicari recte posse. A *choro* nomen acceperunt *Πρόχορος*, *chorum ducens*, *Στησίχορος*, *choros instituens*, et *Φιλόχορος*. A *coronis*, laeti animi indicibus, *Στέφανος*, *Φιλοστέφανος*, *Εὐστέφιος*. Ab *unguentis*, quae et ipsa constat a veteribus tum, cum genio suo indulgebant, adhibita fuisse, *Μύρων*, *Μυρὼ*,

456) v. Genes. 5, 29. et *Ioh. Cunr. Dieterici* antiquitates bibl. p. 231.

457) ad *Charit.* 1, 7. p. 78. (p. 247. ed. Lips.)

458) v. *Reisk.* ad *Constantin. Cephal.* anthologiam Graecam p. 103. sq.

459) Ita Lycurgus appellauit fratris sui filium, *διὰ τὸ τοὺς πάντας εἶναι περιχαρεῖς*, auct. *Plut.* in Lycurgo c. 3.

460) Citharoedus hoc nomine est in *Reiskii* Inscriptt. Class. XI. 13. p. 613.

461) *Plutarch.* in libello qua quis ratione se ipse laudet c. 10. *Διονύσιος, τὸν Γέλωνα διασύρων, καὶ γέλωτα τῆς Σικελίας ἀποκαλῶν.*

Μύρινος, Μύριλλα. Pauci nomina nacti sunt a *luctu*, ut *Αἴακος* et *Αἴας* a verbo *αἰάζειν*, *Πενθεὺς* a verbo *πενθεῖν*[462]). Et ab *onere* nomen habuit *Φάκελλος*.

Alia nomina ducebantur a *frugalitate et parsimonia*, ut *Φείδων*, *Φειδίας*, *Φειδιάδης*, *Σωσίβιος*, *facultates suas seruans, non dilapidans*, *Μεσομήδης*, *mediocritati studens*.

Alia ab *hospitalitate ac liberalitate*, ut *Ξένων*, *Ξενιάδης*, *Ξενόφιλος*, *Φιλόξενος*, *Ξενοδόκος*, *hospites excipiens*, *Πολύξενος*, *hospites multos habens*, *Εὔξενος*, *Εὐξενίδης*, *Ξέναρχος*, *hospitum princeps*, *Ξενόδημος* et *Πρόξενος*, *ciuitatum externarum legatos hospitio excipiens*, *Ξενοφάνης*, *qui hospitibus apparet ac praesto est*, *Ξενοκράτης*, *hospites vincens et regens*, *Ἀριστόξενος*, *hospes s. in hospites optimus*, *Κλεόξενος* et *Ξενοκλῆς* et *Ξενόκλεια*, *ab hospitalitate clarus et celebris*, *Ξενόκριτος*, *hospites recte diiudicans*, vel *hospitibus probatus*, *Χαριξένη*[463]), *hospitibus grata*, *Εὔδωρος*, *Πολύδωρος*. Etiam nomen *Πολυδέκτης* huc retulerim.

Alia ab *amicitia* et *amore*, ut *Φίλων*, *Φιλήμων*, *Φιλήτας*, *Φιλέας*, *Φιλῆς*, *Φιλικὸς*, *Φιλίσκος*, *Φιλίων*, *Φιλήσιος*, *Φιλησίη*, *Φιλῖνος*, *Φίλα*, *Φιλιὰς*, *Φιλουμένα*, *Φίλιστος*, *Φιλιστίων*, *Φιλτάτως*, *Φιλτάτις*, *Φιλέταιρος*, *Φιλοκλῆς*, *Φιλοκράτης*, *Πάμφιλος*, *Παμφίλα*, *Εὐμένης*, *Ἀριστογείτων*. Huc etiam pertinet nomen *Φιντὼ*, et *Φίντις*. Nam Dorice *φίντατος* pro *φίλτατος* dicitur[464]). Item *Ἀγαπητὸς*, *Ἀσπάσιος*, *Ἀσπασία*, *Ἔρως*, *Ἐρώτιον*, *Ἐρωτιανὸς*, *Ἔραστος*, *Ἐράτων*, *Εὐδοκία*, *Ἐγκόλπιος*, *qui est in sinu aliorum*, i. q. *Ἀγαπητὸς*, *Ἱμέριος*, *Ποθεινὴ*, *Φιλοστόργιος*. Contra a *contentione et rixa* dicebantur *Ἐρίννα*, *Πολυνείκης*, *Πολύνεικος*, *Φερένεικος*. Potes tamen nomina *ἔρις* et *νεῖκος* de laudabili contentione et aemulatione accipere, vel adeo nomen *Ἐρίννης* a *Furiis*, quae *Ἐριννύες* vocabantur, desumtum existimare.

Multa item nomina petita erant a *splendore et igni*,

462) Cf. quae supra ad not. 389 — 394. attuli.

463) v. *Phauorin.* in *ἐπὶ Χαριξένης*.

464) v. *Schol. Pindar.* ad Olymp. 6, 37.

ut *Λάμπης*, *Λάμπις* (masculin.), *Λαμπρίας*, *Λαμπροκλῆς*, *Λαμπυρὶς*, *Λαμπυρίων*, *Λάμπων*, *Λαμπὰς*, *Φανίας*, *Φανιάδης*, *Φάνιος*, *Φαεννὼ*, *Φανοκλῆς*, *Ἀντιφάνης*, *Ἐπιφάνης*, *Ἐπιφάνιος*, *Ἐπιφανίδης*, *Ἐριφάνης*, *Τηλεφάνης*, *Ἔκφαντος*, *Ἐκφαντίδης*, *Εὔφαντος*, *Τηλαύγης*, *Πυριλάμπης*, *Πυρινὼ*, *Πύρσων*, *Ζώπυρος*, *Ζωπυρίων* [465]), *Φώτιος*, *Φωτίδης*, *Φλέγων*. Sic a *sole occidente* [466]), *luna*, *stellis*, ut *Δύμας*, *Ἐνδυμίων*, *Μηνογένης*, *Μηνόδοτος*, *Μηνόδωρος*, *Μηνοφάνης* [467]), *Ἀστέριος*.

Alia a *generis nobilitate et parentibus*, ut *Ἀντίγονος*, et *Ἀντιγόνη*, et *Εὐαίμων*, et *Εὐγένης*, et *Εὐγένιος*, et *Περιγένης*, et *Εὐτόκιος*, *nobili genere natus*, e quibus tamen nomen *Εὐτόκιος* pertinere etiam eo potest, ut, qui hoc nomen filio imponerent, ei optarent et animo praesagirent largam prolem, quemadmodum nomen *Πάππος* ostendit, parentes filio optasse, ut nepotes aliquando videret. Sed verius ad id, quod proposui, referuntur nomina *Ἀντίπατρος*, *Δοξίπατρος*, *Δοξόπατρος*, *Εὐπάτωρ*, *Κλεόπατρος*, *Κλεοπάτρα*, *Πατροκλῆς*, *Πάτροκλος*, *Ματρέας*, *Μάτρων*, *Ματροκλῆς*, forsitan etiam *Εὔμαιος*. Nam *μαῖα* non modo *obstetrix* dicitur, sed *amita* quoque, et *nutrix*, quin ipsa *mater*. Quare etiam nomina *Βαυκὶς* et *Βαυκὼ* [468]) huc referri possunt, si quis ea pro *Βαυκαλὶς* et *Βαυκαλὼ* contracte dicta, atque adeo a verbo *βαυκαλᾶν* deducenda putet, quod *Hesychius* interpretatur verbis *κατακοιμίζειν*, *τιθηνεῖν*, *παιδία μετ' ᾠδῆς κοιμίζειν*.

Alia nomina patet profecta esse a *dignitate*, ut *Ἄξιος*, *Ἀξιώριος*, *cura dignus*, *Ἀκρότατος* [469]), *Ἄκρων*. Inprimis a *dignitate regia* [470]), ut *Βασίλειος*, *Βασιλίδης*, *Βα-*

465) De his duobus nominibus v. *Doruill.* ad *Charit.* p. 446. (472. ed. Lips.) qui nomen *Ζωπυρίων* docet seruile fuisse.

466) De iis nominibus, quae a *Sole* deo et ab *Apolline* essent petita, exposui supra ad not. 418. sqq.

467) Ex his tria saltem, *Μηνογ.* *Μηνόδοτος* et *Μηνόδωρος*, rectius fortasse referas ad nomina a diis desumta.

468) de quibus vid. not. 452.

469) ap. *Plutarch.* apophthegmm. Laconn. T. VIII. opp. ed. *Hutten.* p. 195.

470) v. *Plato* in Cratylo T. I. opp. p. 393. sq.

σιλικὸς, Βασιλίσκος, Κρέων, Ἀνακρέων[471]), Παγκρέων, Τιμοκρέων, *rex honoratus*, Ἀνάξανδρος et Ἀναξανδρίδας, *rex virorum*, Ἀνάξαρχος, *rex praestantissimus*, Ἀναξήνωρ et Ἀναξιμένης. *qui est animo regio*, Ἀναξαγόρας, *regie concionans*, Ἀνακτορία, *regina*, Πορφύριος, Τυραννίων, Ἕκτωρ. *Plato*[472]): ὁ Ἄναξ καὶ ὁ Ἕκτωρ σχεδόν τι ταυτὸν σημαίνει, βασιλικὰ ἀμφότερα εἶναι τὰ ὀνόματα. οὗ γὰρ ἄν τις ἄναξ ᾖ, καὶ ἕκτωρ δήπου ἐστὶ τούτου. δῆλον γὰρ ὅτι κρατεῖ τε αὐτοῦ, καὶ κέκτηται καὶ ἔχει αὐτό. Sic Ἀνδοκίδης proprie significat *successorem*.

Eodem modo nomina non pauca ducebantur ab *honore*, ut Τίμων, Τίμαιος, Ἐμπεδότιμος, *qui constanter honoratur*, Φιλότιμος, Τιμοχάρης, Κλεότιμος, Τιμοκλῆς, Τίμαρχος, Τιμοκράτης, Τιμαγένης, *honori natus*, fortassis etiam Τισίας.

Multo plura a *gloria*, ut Κλέων, Κλεύης et Κλεύας[473]), Ἀγακλῆς, Ἀμφικλῆς, Διοκλῆς, Ἀγαθοκλῆς, Εὐκλῆς, Εὐκλείδης, Καλλικλῆς, Μεγακλῆς, Μεγακλείδης, Βαθυκλῆς, Ἰφικλῆς, et Ἴφικλος, Δόρυκλος, *bello clarus*, Πολυκλῆς, Ἐμπεδοκλῆς, *cuius gloria est stabilita*, Ἐτεοκλῆς, *qui veram habet gloriam*, Εὐρυκλείδης, *qui habet gloriam late diuulgatam*, Τηλεκλῆς et Τηλεκλείδης, *cuius gloria in terras loginquas peruenit*, Πάτροκλος, de quo etiam aliter explicando paulo ante dixi, Προκλῆς et Πρόκλος, *insigniter gloriosus*, Κλεάνθης, *gloria florens*, Κλέανδρος, Κλεώνυμος, Ἀγασικλῆς et Κλεοχάρης, *qui gloria exsultat et gaudet*, Φιλοκλῆς et Φιλύλλιος, *gloriae amans*[474]), Κλεάνωρ, *cui gloria s. bona fama curae est*, Κλεόφρων, *qui cogitat de gloria*, Κλεάρατος, *vota faciens pro gloria*, Κλεοφάνης, *cuius gloria cuilibet patet*, Πασικλῆς, *celeber apud omnes*, Ὑψικλῆς, *cuius glo-*

471) v. *Phauorin.* in v. *Κρέων.*

472) in Cratylo T. I. opp. pag. 393. A.

473) *Κλεύης* est apud *Strabonem* lib. XIII. p. 582. *Κλεύας* in *Brunck.* Anall. Vol. II. p. 55. nr. II. ex emendatione *Ruhnkenii* in Epist. crit. I. p. 203. edit. 3. Lugd. Bat. 1808. 8.

474) Scil. proprie significat eum, *qui se celebrari cupit.* Nam *Hesychius* verbum ὑλλεῖ interpretatur verbo θρυλλεῖ.

ria altum gradum attigit, Ἐχεκλῆς et Ἔχεκλος, Κτησικλῆς, Στησικλείδης, *gloriam fundans*, Σωσικλῆς, *gloriam seruans*, Νεοκλῆς, Νεοκλείδης, *in iuuentute inclarescens*, Παλαίφατος, *dudum celeber*, Κλεομένης et Μενεκλῆς, *ab animi fortitudine clarus*, (nisi eandem vim habet, quam Ἐμπεδοκλῆς) Κλεόβιος, *ob vitam celeber*, Κλεινίας, Κλείτων, Κλειτώνυμος, Κληδώνιος, Κλύμενος, Εὔφημος, Εὐρύφαμος, Πολύφημος, Εὔδοξος, Ἐπικύδης, Φερεκύδης.

Etiam a *laude*, ut Ἐπαίνετος, Εὐαίνετος, Ἀξιόλογος, Ἀρισταίνετος, Πάνταινος, Πολύαινος, Φιλαινίς.

Nomina non admodum multa imposita fuerunt ab *utilitate*, ut Ὠφελίων, Ὀνήσιμος, Ὀνάσιμος, Ὀνησίδημος, Ὀνησίκριτος, Ὀνησίφορος. Quo referri potest Ἀβλάβιος. Multo pauciora a *noxa*, ut Σίνων.

Si vero varias utilitatis partes, variasque iuuandi rationes spectaueris, reperies satis multa eius generis nomina. Nonnulla enim ducta erant a *diuinatione*, ut Θέσπις, Μαντίας, Μαντώ. Alia a *salute et auxilio et depulsis periculis*, ut Σάων, Σωσίας, Σωσὼ, Σόος, Σωζομενὸς, Σωτήριος, Σωτηρίδας, Σωτήριχος, Σώτειρα, Σωσιφάνης, *qui in salutem apparet*, Σωσιγένης, *ad seruandum natus*, vel *qui familiae suae saluti est*, Σωσίπατρος et Σώπατρος, Ἀλέξων, Ἄλεξις, Ἀλεξίων, Ἀλέξανδρος et Σώσανδρος, Βοηθὸς, Λύσις, Λυσίας, Λυσανίας, Λύσανδρος, Ἐπίκουρος, Φύλαξ. Sed cognomen potius quam nomen fuisse videtur Ἀλεξῖνος [475]). Alia a *medicina et arte medendi*, ut Ἰάσων, Ἴασος, Ἰάσιος, Ἰασίων, Ἰατρόδωρος, Ἰατροκλῆς, Ἀκεσίμβροτος, *mortalibus medens* [476]), Πανάκεια, Ἀλθαία. Alia a *consilio*, ut Ἀριστόβουλος, Εὔβουλος, Εὐβουλίδης, Εὐβούλιος, Εὐβούλη, Βουλαγόρας, *concioni consilia dans*, Κλεόβουλος, *a consilio clarus*, Θρασύβουλος, *audacter consulens*, Πολυφράδμων, *homo multi consilii*, Μήδεια, Ἀγαμήδης, Ἀρχιμήδης, *consiliariorum princeps*, Γανυμήδης et Φιλομήδης, *consilio gaudens*, Θρασυμήδης, Κλεομήδης, Λυκομήδης,

475) Nam *Diogenes Laert.* 2, 109. Ἀλεξῖνος, inquit, ἐγένετο — φιλονεικότατος· διὸ καὶ Ἀλεξῖνος ἐπεκλήθη.

476) v. *Plato* l. l. p. 394. C.

Παλαμήδης[477]), *Εὐμήδης* et *Εὐπείθιος*, *bene suadens*, *Πείσανδρος*, *viris suadens*, nisi hoc utrumque nomen malis ad eloquentiam et persuadendi facultatem referre.

Alia nomina petebantur a *robore*, ut *Ἀλκαῖος*, *Ἄλκανδρος*, *Ἄλκιμος*, *Ἀλκιβιάδης*, *violentia robur ostendens*, *Ἀλκάθοος*, *robur currendo ostendens*, *Μνασάλκας*, *roboris memor*, *Ἀλκαμένης* et *Ἀλκίνοος* et *Ἀλκίφρων*, *robore animi praeditus*, *Κράτης*, *Κρατῖνος*, *Κρατερὸς*, *Κράτων*, *Κρατύλος*, *Κράντωρ*, *Εὐκράτης*, *Εὐκρατίδης*, *Ἐχεκράτης*, *Ἐχεκρατίδης*, *Ἰφικράτης*, *Φερεκράτης*, *Φιλοκράτης*, *Ὑψικράτης*, *cuius robur conscendit quasi gradum altissimum*, *Σωκράτης* et *Σωκρατίδης* et *Σωκράτιος* et *Σωσικράτης*, *robur suum conseruans*, *Μενεκράτης*, i. q. *Ἀλκαμένης*, *Κρατεσίκλεια*, *Σθένελος*, *Ἀντισθένης*, *Εὐρυσθένης*, *Καλλισθένης*, *Μεγασθένης*, *Κρατισθένης*, *Ἐρατοσθένης*, *Μενέσθης*, i. q. *Ἀλκαμένης*[478]), *Σωσθένης*, i. q. *Σωκράτης*, *Κλεισθένης*, *Κλεοσθένης*, *Τιμοσθένης*, *Ἰνὼ*, *viribus valens*. Sic *Βίας*, *Βίων*, *Βιάνωρ*.

Alia ab *animo virili et fortitudine*, maxime *bellica*, ut *Ἄνδρων*, *Ἀνδροτίων*, *Εὔανδρος*, *Μένανδρος*, *Περίανδρος*, *Μέναιχμος*, *Ἐπιμενίδης*, *Παρμένων*, *Παρμενίδης*, *Παρμενίων*, *Παρμενίσκος*, *Μενεσθεὺς*[479]), *Μενέστωρ*, *Παμμένης*, *Ὑπερμένης* (nisi haec duo explices *potentissimus*, *praepotens*), *Σωσιμένης*, *Μέμνων*, *Ἀγαμέμνων*[480]), *Ἀδείμαντος* et *Ἀτρεὺς*, *intrepidus*, *Καινεὺς*, *qui hostes caedit*, *Φαίδιμος*, *alacer*, *Ἀγήνωρ*, *qui est animo valde*

477) *Philemon* in Lexico technolog. p. 33. edit. *Burnei*. (p. 94. ed. *Osann.*) et ex eo *Phauorinus* in v. *πατρωνυμικόν*· *τὸ Παλαμήδης καὶ Γανυμήδης καὶ Θρασυμήδης, οὐ πατρωνυμικά εἰσιν, ἀλλὰ ὀνόματα κύρια ἀπὸ τοῦ μήδομαι συγκείμενα, τὸ βουλεύομαι. ὅθεν διὰ τοῦ η τὴν γραφὴν ἔχουσιν.*

478) Sed Scholia Veneta a *Villoisono* edita, ad *Homer*. Iliad. ε, 609. dissentiunt: *ὥσπερ ἀπὸ τοῦ ὄρους, Ὀρέστης, οὕτως ἀπὸ τοῦ μένος, Μενέστης, καὶ μεταβολῇ, Μενέσθης*. Fere eadem tradit *Etymol. M.* p. 525, 23. edit. Lips.

479) v. quae modo e *Schol. Homer.* attuli.

480) *Plato* l. l. p. 395. A. *ὅτι ἀγαστὸς κατὰ τὴν ἐπιμονὴν* (*ἐν Τροίᾳ*) *οὗτος ὁ ἀνήρ*, *ἐνσημαίνει τὸ ὄνομα ὁ Ἀγαμέμνων.*

virili [481]), Ἀντήνωρ, Ἐλεφήνωρ, Εὐήνωρ, Προθοήνωρ, Ἀγαπήνωρ. Haec quinque nomina, et similia plura, etiam simpliciter a nomine ἀνὴρ deduci posse, iam supra significaui. Res tamen redit eodem. Sic a *constantia*, ut Στάσιμος, Στάσινος, Εὐστάθιος, Μίμνερμος. Item ab *audacia ac temeritate*, ut Τολμίδας, Εὐτόλμιος, Θρασέας, Θράσυλλος, Θρασωνίδης, quae tamen tria postrema paene rectius pertinere videri possint ad *animi ferociam*, ut apud nos nomen *Trotz*. Contra a *latendo*, Λαθρία [482]).

Multis nominibus vario modo *bellum* originem dedisse, cum supra passim monitum fuit, tum hoc loco diligentius declarandum est. Et *scholiastes* quidem *Homeri* [483]), ἰστέον δὲ, inquit, ὅτι ἐτίθεσαν πλεῖστοι τῶν παλαιῶν προληπτικῶς τὰς ὀνομασίας τοῖς παισὶν, ἀφ' ὧν ἔμελλον οἱ παῖδες ἐπιτηδεύειν πραγμάτων. σφόδρα δὲ αὐτοῖς ἔμελε τὰ τοῦ πολέμου. Διὸ Πηνέλεως μὲν ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ πένεσθαι περὶ τὸν λεὼν, ὅ ἐστι, πονεῖν καὶ ἐργάζεσθαι κατὰ τὸν ὄχλον. Λήϊτος δὲ, ἀπὸ τοῦ λείαν ἄξειν. λεία δὲ, ἡ ἀπὸ πολέμου κτῆσις. Ἀρκεσίλαος δὲ, ἀπὸ τοῦ ἐπαρκέσειν καὶ βοηθήσειν τοῖς λαοῖς, τουτέστι, τοῖς ὄχλοις. Προθοήνωρ δὲ, ὁ προθευσόμενος, προθρέξων καὶ προδραμούμενος ἠνορέῃ, τουτέστιν, ἀνδρίᾳ. Κλόνιος δὲ, ὁ γενναῖος καὶ μάχιμος γενησόμενος. κλόνος γὰρ ἡ μάχη. Luculentiora vero sunt haec: Πολέμων, Πτολεμαῖος, Πτολεμαΐς, Ἀρχεπτόλεμος, Τληπόλεμος, *qui bellum sustinet*, Τριπτόλεμος, Εὐπόλεμος, Νεοπτόλεμος, *qui iuuenis bellat*, Κλεοπόλεμος, Πορθάων, Ἅρπαγος. Item quae ab *armis* sunt sumta, ut Θώραξ, Κλέαιχμα, Ξιφιλῖνος, Σάγαρις, Τελαμών. Non minus, opinor, huc pertinent,

481) *Phauorinus*: Ἀγήνωρ οὐ μόνον ἐπὶ ψόγου λαμβάνεται, ὅτι δηλοῖ τὸν θρασὺν καὶ ὑβριστὴν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἐπαίνου, ὁπηνίκα τὸν ἀνδρεῖον δηλοῖ. γίνεται ἀμφότερα ἐκ τοῦ ἄγαν, καὶ τοῦ ἠνορέη, τουτέστιν ἀνδρεία. De nomine Προθοήνωρ v. in scholio ad n. 483. adscripto.

482) v. *Pausan.* 3, 16. p. 248.

483) ad Iliad. β, 494. Fere eadem leguntur in Scholiis a *Villoisono* ad hunc ipsum locum editis, et apud *Eustath.* ibid. p. 264.

quae originem debent *equis et arti equitandi*, ut Ἵππων, Ἵππυς, Ἱππίας, Ἵππασος, Πῶλος, Ἔφιππος, *eques*, ut apud nos nomina *Reuter* et *Ritter*, Ἱπποκράτης et Κράτιππος et Δαμάσιππος et Δάμιππος et Ἱππόδαμος et Ἱπποδάμεια, *equos domans*, Φίλιππος, Φιλιππίδης, Κύδιππος et Ἱπποκλείδης, *ab equis clarus*, Ἱππῶναξ, *equorum emax*, Κτήσιππος, Ἱππομέδων, *equorum curam gerens*, Φείδιππος, *equis parcens*, Ἱπποθάλης, *equis florens*, Ἱπποσθένης, *equis valens*, Ἱππόδρομος, Ἱππόθοος, Ἱπποθόων, Σπεύσιππος, Ἱππόλυτος, Λύσιππος, Εὐξίππη, *equos voluens*, Κάλλιππος, Ἀρίστιππος, Γύλιππος, *equos graciles habens*, Ξάνθιππος et Ξανθίππη et Ξανθόπουλος, *equos s. pullos flauos habens*, Χρύσιππος, Νόθιππος, *equum spurium habens*, Διώξιππος et Ἡνίοχος et Ζεύξιππος et Διφρίδας, *auriga*, *Fuhrmann*, Δέξιππος et Μένιππος, *equi impetum sustinens*. Item quae ab *exercitu eiusque partibus* erant petita, ut Στράτων, Στράττις, de quo supra not. 381. dixi, Εὐστράτιος, Καλλίστρατος, Πολύστρατος, Ἐρασίστρατος, Φιλόστρατος, Σώστρατος et Σωστράτιος et Σωσίστρατος, *exercitum seruans*, Μενέστρατος, *exercitus impetum sustinens*, Πεισίστρατος, *exercitui persuadens*, Κλεόστρατος et Στρατοκλῆς, Ἱππόστρατος, Ἀμφίλοχος, *qui in Locho versatur s. occupatur*, Δεινόλοχος, *terribilis in Locho*, Εὐρύλοχος, *amplum Lochum habens*. Sic a *nauibus*, ut Ναυκράτης et Ναυσικράτης et Ναυκράτιος et Ναυκρατίτης, *naues tenens* vel *nauibus vincens*, Ναυσίθοος, *celeriter nauigans*, Ναυσικύδης, Ναυσιφάνης, Ναυτέλης, Ναύκληρος, Πρῶρος, Πλωτῖνος.

Quae a *pugna* ducta sunt nomina, quin huc referenda sint, nemo facile dubitat. Talia erant Μαχάων, Μαχαίτας, Μαχαρίων, Ἀμφίμαχος, *pugnando occupatus*, Ἀνδρόμαχος et Ἀνδρομάχη, *cum viris pugnans*, Λάμαχος, *cum populo pugnans*, quod nomen *Hesychius* exponit verbis ἄμαχος et ἀκαταγώνιστος, Ἀντίμαχος, Δαΐμαχος, *in bello pugnans*, Δίμαχος, *tam peditis, quam equitis munere fungens in pugna*, Ἐρύμαχος, *pugnando tuens*, Εὐρύμαχος, *late pugnans*, Ἀριστόμαχος, Θρασύμαχος, Καλλίμαχος, Μενέμαχος et Μιμνόμαχος, *pugnam non dese-*

rens, *Μνησίμαχος*, *pugnae memor*, *Πρόμαχος*, *Κλειτόμαχος* et *Κλεόμαχος*, *pugnando clarus*, *Λυσίμαχος*, *e pugna liberans*, *Σύμμαχος*, *Τηλέμαχος*, *Τιμαχίδας* et *Τιμόμαχος*, *honoris causa pugnans*, *Δορύμαχος*, *Ναυμάχιος*, *Ἀντίοχος*, *contra* hostes *equitans*. Item a *certamine*, ut *Ἀέθλιος*, *Εὔαθλος*, *Πύκτων*, *Σόλων*, a nomine *σόλος*, quod *discum ferreum* significat.

Magna etiam reperitur eorum nominum multitudo, quae a *victoria* essent deriuata, ut *Νίκων*, *Νικαῖος*, *Νικέας*, *Νικησίας*, *Νικήτας*, *Νικίας*, *Νικίδιον*, *Νικύλλα*, *Νικοκράτης*, *victoriam tenens*, *victoria potitus*, *Νικηφόρος*, *Φερενίκης* et *Φερένικος*, et Macedonice *Βερενίκη*[484]), *Νίκανδρος* et *Ἀνδρόνικος*, *viros vincens*, *Νικάνωρ*, *cui victoria curae est*, *Νίκαρχος*, *qui victoriam in sua potestate habet*, vel *qui vincere incipit*, *Νικοτέλης*, *victoriam perficiens*, *Νικήρατος* et *Φιλόνικος*, *victoriae amans*, *Νικοχάρης*, *Νικοκλῆς*, *victoria clarus*, *Νικομήδης*, i. q. *Νικάνωρ*, *Νικοφάνης*, *qui victor apparet*, *Πλειστόνικος*, *plurimos vincens*, *Πασίνικος*, *omnes vincens*, *Ἀριστόνικος*, *Ἱππόνικος* et *Νίκιππος*, *Νικόλοχος*, *locho* vel *lochum vincens*, *Νικόμαχος*, *Νικόστρατος* et *Στρατόνικος*, *Ἀνίκητος*, *Πολεμοκράτης*, *Δαμάστης*, *Δαμάστωρ*, *Ἀμφιδάμας*, *Ἰφιδάμας*, *Πολυδάμας*, *Χερσιδάμας*. Item a *victoria improprie dicta* s. *praestantia*, ut *Νικοβούλη*, *Νικόδημος*, *Νικόλαος*, *Λαόνικος*, *Λανίκη*, *Δημόνικος*, *Δαμόνικος*, *Λαοδάμας*[485]), *Δημοδάμας*, *Δημοκράτης*, *Δαμοκράτης*, *Λακράτης*, *Ὀλυμπιόνικος*.

Multa repetebantur a *dominatione et imperio*[486]), ut *Ἀρχίας*, *Κλέαρχος* et *Κλείταρχος*, *imperio clarus*, *Δείναρχος*, *egregie imperans*, *Ἀγαθαρχίδης*, *bene imperans*,

484) v. quae de hoc nomine dixi in diss. de dialecto Alexandrina, Lips. 1786. 4. p. 25. siue in libro de dialecto Macedon. et Alexandr. p. 31.

485) Paulo aliter explicat *Eustath.* ad *Homer.* Odyss. ϑ, p. 1588, 21.

486) Cf. nomina a dignitate regia desumta, quae supra sunt a me allata.

Ἀρίσταρχος, *Πλείσταρχος*, *plurimis imperans*, *Πρώταρχος*, *summum imperium habens*, *Ἀρχέβουλος*, *princeps senatus*, *Ἀρχέδημος* et *Ἀρχίδαμος* et *Ἀρχιδαμίδας* et *Ἀρχίδημος* et *Ἀρχέλαος* et *Δαμάγητος* et *Δαμοτάγης* et *Δήμαρχος* et *Ἀγησίλαος* et *Ἡγησίλεως* et *Πρωτεσίλεως*, *populo praefectus*, *populi dux*, *Φύλαρχος*, *tribunus*, *Ἀρχίδικος*, *qui iudicio praeest*, *Ἀριστοκράτης*, i. q. *Ἀρίσταρχος*, *Εὐρυκρατίδας*, *Καλλικρατίδας*, *Πολυκράτης*, *Παγκράτης*, *Παγκράτιος*, *Πασικράτης*, *Ἰσοκράτης*, *aequalibus imperans*, *Ἀνδρομέδα*, *viris imperans*, *Αὐτομέδων*, *sibi ipsi imperans*, *Εὐρυμέδων*, *Καλλιμέδων*, *Ἔφορος*, *Πρύτανις*, *Κοίρανος*, *Κύριλλος*, *Ὑπάτιος*, *Ὑπατία*, *Ὑπερέχιος*, *Ὑπεροχίδης*, *Ἑρξείας*, *coercitor*, *castigator*[487]). Multa speciatim ab *imperio militari*, quo etiam e superioribus referri nonnulla possunt, ut *Ἆγις*, *Ἀγητορίδας*, *Ἡγήμων*, *Ἡγησίας*, *Ἡγίας*[488]), Dorice *Ἁγίας*[489]). *Ἀγησίστρατος* et *Ἡγησίστρατος* et *Ἀρχέστρατος* et *Στρατηγὸς*, *dux exercitus*, *Ἡγήσανδρος*, *Ἡγησανδρίδας*, *Ἀρχίλοχος* et *Ἡγήλοχος* et *Λοχαγὸς*, *dux lochi*, *Ἡγήσιππος* et *Ἵππαρχος* et *Ἀρχιππος*, *magister equitum*, *Ἀρχεπτόλεμος* et *Πολέμαρχος*[490]) et *Ἀρχέμαχος*, *Ἡγησιάναξ*, *qui principes praeit*. Sic *Ἡγησὼ* nomen feminae[491]).

A *populo*, praeter ea, quae passim supra per aliam occasionem allata fuerunt, haec quoque nomina duxerunt originem, ut *Δημέας*, *Δημᾶς*, *Δήμων*, *Δῆμις*, *Δάμις*, *Δάμων*, (ἡ) *Δημὼ*, *Δημίων*, *Ἀριστόδημος*, *Ἔκδημος*, *Εὔδημος*, *Εὐθύδημος*, *Δαμοκλῆς* et *Κλεόδημος* et *Κλειτόδημος* et *Λακύδης*, *qui populo gloriae est*, *Μενέδημος* et *Μενέλαος*, *Φανόδημος* et *Δημοφάνης*, *Δημόφιλος*, *Δαμοφίλα*, *Φιλόδημος*, *Φιλόδαμος*, *Φιλόλαος*, *Δημοχάρης*, *Λαχάρης*, *Δημοκήδης*, *Δημόδοκος*, *Δαμόξενος*, *Δημάρατος*,

487) apud *Athenae.* 13. p. 561. F. Cf. *Ruhnken.* epist. crit. II. p. 25. edit. 1. p. 144. edit. 2. p. 231. ed. 3.

488) apud *Herodot.* 9, 33.

489) apud *Pausan.* 3, 11.

490) v. *Plato* in Cratylo T. I. Opp. p. 394. C.

491) in *Brunckii* Anall. Vol. II. p. 251. nr. 1.

populi votis expeditus[492]), *Δημότιμος* et *Τιμόλαος*, *Poplicola*, *Δημώναξ*, *populum largitione corrumpens*, *Δημοσθένης*[493]) et *Λασθένης* et *Λεωσθένης*, *populi robur*, *Δημόστρατος* sine *Δαμόστρατος*, *qui populo est exercitus loco*, *Λαΐς*, *Περίλαος*, *qui populi rebus occupatur*, *Πρωτεσίλαος*[494]), *Φειδόλαος*, *Λεωτυχίδης*, *'Ακουσίλαος*, *populo obediens*. Sic ab *urbe et ciuitate*, ut *Εὔπολις*, *'Αγησίπολις*, *Κρατησίπολις*, *'Αναξίπολις*, *'Αμφίπολις*, *Νικόπολις*, *Σώπολις*, *Σωσίπολις*[494 b]), *'Αστυκρατίδας*. Item a *vallo*, ut *Χάραξ*.

Eodem fere pertinent nomina a *concione et concionando* petita, ut *Θαμύρας*, *Θάμυρις*, *Δημαγόρας* et *Δημολόγος* et *Φρασίδημος*, *Εὐαγόρας*, *'Ορθαγόρας*, *'Ισαγόρας*, *Πρωταγόρας*, *Πρωταγορίδας*, *Τιμαγόρας*, *Σωσαγόρας*, *Κλειναγόρας*, *Πείσανδρος*[495]), *Πειθόλαος*, *'Αντιφάτης*. Item quae a *rebus gerendis* ducta erant, ut *"Αντος*, *Παναίτιος*, *omnium rerum auctor*, *Πράξιλλα*, *Πραξαγόρας*, *in concione agens de re gerenda*, *Πραξιτέλης*, *Πραξιφάνης*, *rebus gestis conspicuus*, *Εὔπραξις*, *Τελέστας*. Vel quae ab *iudicio*, ut *Κριτίας*, *Κρίτων*, *Εὔκριτος*, *Εὐρύδικος*, *Εὐρυδίκη*, *Πολυκρίτης*, *Πολύκριτος*, *'Ονομάκριτος*, *Μενέκριτος*, *qui iudicium sustinet*, *Κριτόβουλος*, *Δημόκριτος* et *Κριτόδημος* et *Κριτόλαος* et *Λάκριτος* et *Λαόδικος* et *Κριναγόρας*, *qui populum concionemue iudicat*, *Πρόδικος*.

Omnino saepissime nomina imponebantur ab *opificio*, vel potius a *vitae genere*, cui vel pater deditus esset, vel alius, qui per illud diuitias gloriamue sibi parasset, et cui adeo pater filium aliquando studere cuperet. Quam in rem paulo ante *Eustathii* verba attuli. Talia sunt *'Αλεύας*, *Βύρσων*, *Γεώργιος*, *Κερκίδας*, *Μύλων*, *Κεραμεὺς*, *Χυτρεὺς*, quae omnia nos in patria quoque lingua habe-

492) v. not. 405.

493) v. ibidem.

494) v. *Scalig.* coniect. Varr. p. 156.

494 b) Recte igitur apud *Herodot.* 2, 134. nomen viri *'Ηφαιστόπολις* defendere videtur *Wesselingius*.

495) Aliter hoc nomen posse accipi, docui supra.

mus: *Müller*, *Gerber*, *Bauer*, *Weber*, *Müller*, *Ziegler*, *Töpfer*.

Ab *exercitatione et meditatione* quod esset desumtum, non nisi unum nomen *Μελέτιος* reperi, ut a *raritate* unum *'Αθάμας*.

Plura vero a *celeritate*, ut *Θέων*, *currens*, *Μίθαικος* et *Τάχων*, *velox*, *Σφοδρίας*, *vehemens*, *Δρόμων*, *Εὔδρομος*, *Εὐόδιος*, *Δρομοκλείδας*, *cursu clarus*, *Κινάλθων*, *motione calescens*, *'Αλκάθοος*, *'Αρηΐθοος*, *Πάνθοος*, *Πειρίθοος*, *currere tentans*. Sic *Αἰήτης*, *ventum aequans celeritate.* [496]) Apud nos quoque frequens est nomen proprium *Wind*. Etiam nomen *Κόνων* huc referendum videtur. Certe participium *κονίοντες* ab *Johanne Diacono* [497]) explicatur his verbis, *ἤγουν τρέχοντες. ἐν γὰρ τῷ τρέχειν κόνις ἤγουν χῶμα ἐγείρεται.* Nomen *Μόλων* significat, si non currentem, saltem *euntem*. Alia nomina huc pertinentia sunt in numero eorum, quae supra dixi ab equis esse petita.

Alius nominum Graecorum fons fuit *tempus*, *quo nasceretur infans*, ut *Εἰρήνη* [498]) et *Εἰρηνὶς* (et *'Ησυχία*) [499]), *Friderica*, (*'Ησύχιος*,) *Εἰρηναῖος*, *Fridericus*, *Λοιμία* [500]), *'Οπώρα* [501]), *Herbst*, *"Υαγνις*, *natus tempore quo Hyades apparebant*, *Χείμων*, *Winter*, *Χίων*, *Χιωνίδης*, *"Εσπερος*, *"Οψιμος*, *Πρωτογένης*, a quo non differt *'Αντίγονος*. Nam *ἀντὶ* in compositione saepe est *ante.* [502]) Referri huc potest nomen *'Ολυμπιόδωρος*, ut

496) *Etymol. M.* p. 29, 21. *Αἰήτης, ὄνομα κύριον κατὰ πλεονασμὸν τοῦ ῐ. 'Αήτης γάρ.*

497) ad *Hesiodi 'Ασπ. 'Ηρακλ.* p. 216. ed. *Dan. Heins.* 1603. 4.

498) apud *Plutarch.* de mulierum virtutib. T. VIII. opp. p. 265. ed. *Hutten.*

499) ap. *Plutarch.* de Pythiae oraculis c. 19. Sed nomina *'Ησυχία* et *'Ησύχιος*, cum fortasse rectius ad nomina ab animo tranquillo et sorte sua contento desumta referantur, hoc loco uncinis inclusi.

500) *Choeroboscus* in *Bekkeri A*necd. Gr. III, 1395. *Λοιμία ὄνομα κύριον· γέγονε δὲ ἡ γυνὴ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως.*

501) ap. *Aelian.* epist. 7. quem locum debebam *Doruillio* ad *Chariton.* p. 185. (312. ed. Lips.)

502) v. *Reisk.* ad Constantin. Cerem. p. 52.

significetur homo, qui tempore ludorum Olympiorum parentibus natus, et quasi donatus sit. Sed potest etiam nomen accepisse putari ab Ioue Olympio. id quod supra significaui. Equidem certe non credo, ex eiusmodi nominibus colligi semper certo posse, homines, qui iis uterentur, illo ipso tempore, a quo nomen gererent, esse natos. Saltem in iis, quae a pace sunt ducta, puto plus valuisse parentum spem et bonum omen.

Eodem modo saepe *locum* nominibus imponendis occasionem dedisse credibile est ex his, quae exempli causa commemorare placuit: *Θαλάσσιος*, *Πελάγιος*, *'Αγχίαλος*, de quo et similibus duobus ita praecipit *Eustathius*[503]: *δῆλον ὅτι τὸ 'Αγχίαλος, καὶ 'Αμφίαλος, καὶ Εὐρύαλος, ἐκ τοπικῶν μετῆκται εἰς κύρια. 'Αγχίαλος μὲν γὰρ, τόπος ἅπας ἀγχοῦ ὢν θαλάσσης· ἀμφίαλος δὲ, νῆσος ἅπασα· εὐρύαλος δὲ χῶρος εὕρηται πολλαχοῦ.* Eiusdem generis sunt *Αἰγιαλεὺς*, *Κρόκαλος*, *Πήγασος*, quorum priora duo a litore maris, tertium a fonte nomen habet, *Πλησίῤῥοος* autem videtur indicare hominem prope flumen natum. Sic *Εὐνάπιος* et *Προναπίδης* nomina acceperunt a locis nemorosis. Alii a montibus, ut *'Ορέσανδρος*, *Bergmann*, etiam *'Ορέστης*[504]), *'Ελικώνιος*, *"Ιδας*, *"Ολυμπος*.

Aliis nomen contigit ab *eo, quod partus tempore vel paulo ante aut post forte accidisset.* Aeneae saltem nominis ratio haec redditur a Venere matre[505]:

> *τῷ δὲ καὶ Αἰνείας ὄνομ' ἔσσεται, οὕνεκά μ' αἰνὸν*
> *ἔσχεν ἄχος, ἕνεκα βροτοῦ ἀνέρος ἔμπεσον εὐνῇ.*

Similis fortasse causa fuit, cur Inachi filiae nomen *'Ιὼ* imponeretur. Nam *ἰὼ* saepe est exclamantis in dolore. Possunt tamen etiam aliae causae afferri. Nomen *Δίδυμος* unde profectum sit, ipsa vocabuli notatio docet. *Χίλων* et *Χίλας* possunt ideo ita vocati fuisse, quia edendi cupiditatem iam recens nati ostendissent quocun-

503) ad *Homer.* Odyss. *θ*, p. 1588, 30.

504) v. *Scholia Villoisoniana* ad Iliad. *ε*, 609. not. 478. allata, et not. 139. verba *Eustathii.*

505) in Hymno Homerico in Venerem vers. 198. sq.

que modo. Nam χιλὸς est i. q. τροφὴ, auctoribns Grammaticis antiquis. Πανύασις videtur significare *valde sordidum*, ita ut nomen simili de causa sortitus si ac Constantinus Imperator, qui Κοπρώνυμος cognominabatur. Ἀλκυόνη nomen suum accepit,

—— —— —— —— οὕνεκ' ἄρ' αὐτῆς
Μήτηρ Ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα
κλαῖ', ὅτε μιν ἑκάεργος ἀνήρπασε Φοῖβος Ἀπόλλων [506]).

Κύψελος nomen suum inde nactus est, quoniam, cum ii, qni missi essent, ut eum recens natum occiderent, primo quidem misericordia commoti ei pepercissent, postea vero mutato consilio interfecturi eum quaesiuissent, non inuenerunt, quippe arculae, quae κυψέλη Graece dicitur, a matre inclusum [507]).

Aliis data fuerunt nomina virorum olim illustrium, ut conseruandae illorum memoriae consuleretur. Qua de re iam *Plato* [508]) ex parte monuit, πολλὰ (ὀνόματα), inquiens, κεῖται κατὰ προγόνων ἐπωνυμίας, οὐδὲν προσῆκον ἐνίοις. Ex hoc numero sunt Ἐφιάλτης, pater Philocratis, Atheniensium ducis [509]), Μαρσύας, Antigoni frater, apud *Plutarchum* [510]), et alius apud *Scholiasten Homeri* [511]), Ὅμηρος et Ἰξίων et Ὠρίων Grammatici. Similiter Clinias Atheniensis filium non suo, neque omnino inter populares usitato, sed in honorem hospitis Lacedaemonii peregrino nomine Ἀλκιβιάδην appellauit [512]). Paulo aliter τοῦ παλαιοῦ Ἁρμοδίου ἀπόγονος accepit et ipse hoc nomen [513]).

Alia Graecorum nomina ducebantur ab *aetate*, ut

506) Sunt verba *Homeri* Iliad. ι, 558—560. ad q. l. cf. Schol. et infra not 572.

507) v. *Herodot.* 5, 92. et *Plutarch.* in septem sapientum conuiuio c. 21. Cf. *Mich. Neander* in opere aureo T. I. p. 277.

508) in Cratylo, T. I. opp. p. 397. B.

509) apud *Xenoph.* hist. Graec. 4, 8, 24.

510) in regum et imperatorum apophthegmatibus, T. VIII. opp. p. 106.

511) ad Iliad. ξ, 226. et Odyss. σ, 84.

512) v. *Schol. Thucyd.* 8, 6.

513) v. *Plutarch.* l. l.

Κόριννος, *Κορίννα*, *Κορίσκος*, *Παρθένιος*, *Παρθενὶς*, *Νέαιρα*, *Νεάνθης*, *Νεόκριτος*, *Νεοτέλης*, *Νεόφρων*, *Νεόφυτος*, *Πανακμεὺς*, *Παπίας*, *Πάππος*, *Γερόντιος*, *Πέμπελος*[514]).

Alia ab *externa infantis forma*, omninoque *natura*, ut *Καλλίας*, *Κάλλιος*, *Κάλλιστος*, *Καλλίμορφος*, *Ἀξιοθέα*, *Αἰσχίνης* et *Αἰσχρίων* et *Αἰσχρέας* et *Αἰσχίων* et *Αἰσχύλος* et *Αἰσχρὼ*, *turpis*, *deformis*, *Κολοβὸς*, *mutilus*, *Δάσιος*, *hirsutus*, *Πλάτων*, qui hoc nomen accepisse fertur διὰ τὴν εὐεξίαν, ἢ ὅτι πλατὺς ἦν τὸ μέτωπον[515]). Hinc femininum *Πλαθίς*. Et plura nomina reperiuntur a *statura* desumta, ut *Μεγέθιος*, *Μεγιστέας*, *Μίκκα*, i. e. μικρὰ, *Πλαγγὼν*, *pupa*, *planguncula*, *Μιστύλος*, *Σμικρίων*, *Σμίκρων*, *Στίλπων*, *pusillus*, *Παχυμερὴς*, *crassis membris*, *Παχώμιος*, *crassis humeris*, *Πάχης* et *Πιώνιος*, *obesus*, *Ἀπίων* et *Λεπτίνης*, *macer*. A *mollicula cuti*, ut *Μάλακος*, *Μάλαξος*, *Μαλθάκη*. A *capite*, ut *Κέφαλος*, *Κεφαλαίων*, *Κεφαλίων*, *Κρανίος*, *Κάρηνος*, *Κάρανος*. Ab *oculis*, ut *Γοργίας* et *Γοργίδης* et *Γοργιάδης* et *Γοργὼ*, *oculis toruis*, *Δορκὰς*, *Δορκὼ*, *Γλῆνις*[516]), *Τρίοψ*, *tripliciter videns*, *Στράβων*, *oculis distortis*, *Μῶψος*, *luscus*, *Ὑπερίδης*, *paetus*, *Πέλοψ*, i. q. ὁ τὰ ἐγγὺς ὁρῶν, interprete *Platone*[517]), inde patronymica forma *Πελοπίδας*, *Δερκυλλίδας*, *Πολυΐδης*. A *naso*, ut *Σίμων*, *Σιμωνίδης*, *Σίμος*, *Σίμιχος*, *Σιμύλος*, *Σιμμίας*. A *labiis*, ut *Χείλων*[518]). A *maxilla*, ut *Γνάθαινα*. De nomine comico *Γνάθων* infra dicendi locus erit. A *manibus*, ut *Χείρων* et *Χειρίδιος*, *Πάλαμυς*. A *peni*, ut *Σαννίων* et *Σαννυρίων*. A *pedibus*, ut *Ἀγαθοπόδης*, *Οἰδίπους*, *tumidis pedibus*. Laii enim filius perhibetur ideo sic nominatus fuisse, quia, cum infans a patre pastori traditus esset occidendus, pedibus gladio perforatis ab arbore suspen-

514) v. *Galen.* lib. 5. de sanitate tuenda extr. Vol. VI. p. 380. edit. *Kühn.*

515) v. *Diog. Laert.* 3, 4.

516) ab *oculorum pupilla*, quae γλήνη dicitur.

517) in Cratylo T. I. opp. p. 395. C.

518) *Festus:* Chilo dicitur cognomento a magnitudine labrorum.

sus tumorem pedum inde contraxisset[519]). Referri huc potest nomen Ἡσίοδος, *libenter iter faciens.* A *colore* item multa nomina sunt indita, ut a *nigro* Μέλας, Μέλων, Μελάντης, Μελάντας, Μελάνιος, Μελανίων, Μέλανθος, Μελάνθιος, Μελανθώ, Μελώ, Μέλιννα, *Nigella*, Μόρτυξ[520]), Πίττακος, *pechschwarz*, Μελάνιππος et Μελανιππίδης, *Rapp*, Μελάμπους, *nigris pedibus*, Μελάνωπος, *nigris oculis.* A *cano colore*, ut Πολιάδης. A *caesio*, ut Γλαῦκος, Γλαυκίας, Γλαυκίων, Γλαύκων. A *rauo*, ut Χάροπος. A *flauo*, ut Ξάνθος, item Ἐριάνθης et Χρυσόμαλλος, *coloris lanei*, item Χρύσανθος et Χρυσάνθιος, *colore aureo*, *Goldner*, Χρυσοκέφαλος, *aureis capillis*, Χρυσόχειρας. A *rufo* s. *rubro*, ut Πύῤῥος[521]), Πύῤῥων, *Roth*, *Rothe*, Μιλτιάδης, a nomine μίλτος, quod *minium* significat, Ῥοδόπη, *rosei coloris*, item Κόκκος, Χρυσοκόκκης, Οἰνοπίδης, *vini colorem habens.* Ab *albo*, ut Ἄργος, Λεύκων, Ζάλευκος, Λεύκιππος et Λευκίππη, *Schimmel.* Non pauca denique nomina petebantur a *voce*, ut Εὔιος, Εὐβοΐδας, *Schrey*, Εὔρυφῶν, Βρόντιος, *voce aequans tonitru*, *Donner*, Εὐλάλιος, Ἀντιφῶν, *reclamans*, Κτησιφῶν, *vocem habens*, Ἀριστοφῶν, Κλειτοφῶν, *voce clarus*, Ἐροφῶν, *amabili voce*, Ξενοφῶν, *vocem* s. *linguam peregrinam habens*, Κισσοφῶν, *picae vocem habens.*[522]) Contra a *silendo* appellatus fuit Σίγων.

519) v. *Eurip.* Phoeniss. 25. sqq. *Apollodor.* 3, 5, 7. *Seneca* in Oedipo vers. 812. sq.

520) v. *Choerobosc.* in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. III. p. 1399. Scilicet μορτὸς auctore *Hesychio* non tantum est ἄνθρωπος θνητὸς, sed etiam μέλας et φαιός.

521) v. *Hygin.* fab. 96.

522) Nugatus enim est *Geminus* nescio quis, in libello qui inscribitur Ἀμαθὴς ἢ παρ' ἑαυτῷ γραμματικὸς, quem primus edidit *Ioh. Iriarte* in Regiae Bibliothecae Matritensis Codicibus Graecis MSS. Vol. I. [Matriti 1769. fol.] p. 388 — 391. cum p. 389. b. haec scripsit: πῶς ἐκ τοῦ ἐν ξένοις φονεύεσθαι τόποις ὁ Ξενοφῶν ἐτυμολογήθη τῷ παλαιῷ σου; πότερον γὰρ, διότι κέκληται οὕτω, πεφόνευται, ἢ, διότι πεφόνευται, κέκληται; εἰ μὲν τῷ πρώτῳ μισάνθρωποι οἵ τ' ἀνθρώπῳ τὸ ὄνομα θέμενοι, εἰ διὰ τοῦτο μέλλοι φονεύεσθαι ἐπ' ἀλλοδαποῖς· ἢ τοσαύτην ἑαυτοῖς τῶν ὀνομάτων πενίαν προσεμαρτύραντο, ὡς εἰκέναι (Leg. ἐοικέναι) μὲν τὸν Διομήδην, τὸν Φερεκύδη, τὸν Θε-

Permultis infantibus, quemadmodum apud Romanos[523]), ita etiam apud Graecos, nomina imponebantur a *pecore*, omninoque a *brutis*, etiam *feris*. Et ab *equis* quidem petita iam supra memoraui. Nunc alia enumerabo. Desumebantur igitur vel ab *accipitre*, ut Ἱέραξ, vel ab *alcmane*, aui quadam lugubri, ut Ἀλκμὰν et Ἀλκμήνη, vel ab *api*, ut Μέλισσα, Μέλισσος. Sic Mania, Demetrii Poliorcetae amica, statim a teneris vocata fuit Μέλιττα, τῷ μὲν μεγέθει τῶν τότε γυναικῶν βραχύ τι καταδεεστέρα, φωνῇ δ' ὁμιλίᾳ τε κεχορηγημένη, auctore Machaone[524]), sed posthac demum Μανία[525]). Eodem modo a *melle* nomen acceperunt Μέλιτος et Μελίτων, Μελίτη et Μελίτεια. Ab *apro*, Σύαγρος. Ab *aquila*, Ἠετίων. Ab *asino*, Ὀνόσανδρος, Ὀνέστης, *Asinius*, Ὀνόσκελις, *cruribus asininis praedita*[526]), Ἡσιόνη, *quae asinis delectatur*. A *boue*, Δάμαλις. A *cancro*, Καρκῖνος, etiam Ἀστακός. A *cane*, Κυνήσιος, Κυνίσκος, Κυνίσκα, Σκύλαξ.[527]) A *capro* s. *hoedo*, Ἔριφος. A *capra*, Χίμαιρα.

μιστοκλέα, τὸν Περικλέα, τὸν Ἀριστόδημον, τὸν Ἀλκίνοον, καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ὀνομάτων σεμνά, ἐπὶ τὸ δυςφημότατον τοῦτο κατηντηκέναι τὸν Ξενοφῶντα· εἰ δὲ, διότι πεφόνευται, κέκληται, λανθάνει πρῶτον κτιννύμενος, κᾆτα τικτόμενος καὶ ὀνομαζόμενος· ἐγὼ δὲ καὶ Ξενοφῶντας μανθάνω πάνυ πολλοὺς (εἰ μὴ ὀνείρῳ τοῖς βιβλίοις ἐφίστημι) μήτ' ἐπ' ἀλλοδαποῖς μήτε βιαίως τὸ χρεὼν ἀπολελειτουργηκότας. etc. Plura nomina a voce desumta collegere Grammatici veteres, ut *Arcadius* de accentibus (Lips. 1820. 8.) p. 16, 2. et *Herodianus* περὶ μονήρους λέξεως, in *Dindorfii* Volumine I. Grammaticorum Graecorum (Lips. 1823. 8.) p. 9, 27 — 29. In Etymologico M. p. 553, 27. Ξενοφῶν explicatur ὁ ἐν τοῖς ξένοις τόποις φαινόμενος· καὶ Δημοφῶν, ὁ ἐν τῷ δήμῳ φαινόμενος. Unde patet, terminationem φῶν accipi pro participio verbi φάω, quod varie dictum esse constat. Quare Ξενοφῶν explicari etiam potest *inter peregrinos celebratus* vel *conspicuus*, Κτησιφῶν, *a possessionibus clarus*.

523) v. *Varro* de re rust. 2. 1. et, qui hunc locum sibi illustrandum sumsit, *Godofr. Sellius* in commentatione de nominibus Romanorum brutisonis, Hal. 1737. 4. Cf. *Borremansii* Vesperae Gorinchemenses c. 2. p. 26. sq.

524) apud *Athenae.* 13, p. 578. C.

525) v. supra ad not. 246 — 248.

526) apud *Plutarchum* in parallelis Graec. et Rom. c. 29.

527) Cf. *Bochart.* in Hierozoico p. 664.

A *caprea*, *Δόρκαλις*.[528]) A *cerua*, *Τήλεφος*, quia cerua eum lactauerat, ut narrant mythologi, item *Νέβριος* et *Νεβρίδιος*. A *chamaeleonte*, *Χαμαιλέων*. A *cicada*, *Τέττιξ*[529]). A *cornice*, *Κορώνη*[530]). A *coruo*, *Κόραξ*. A *dracone*, *Δράκων*. *Herodicus* tamen hanc nominis causam attulit, ὅτι οὐκ ἂν ἀνθρώπου οἱ νόμοι, ἀλλὰ δράκοντος[531]). Ab *elephante*, *Ἐλέφαντος*. Ab *equis*. Vide supra. A *formica*, *Μύρμηξ*. A *gallo*, *Ἀλεκτρύων*. Ab *ibyce* aui, *Ἴβυκος*. A *leone*, *Λέων*, *Λεωνίδας*, *Λεωνᾶς*, *Λεόντιος*, *Λεόντιον*, *Λεοντίδας*, *Λεόντας*, *Λεοντεὺς*, *Λεοντίσκος*, *Πανταλέων*, *omnino leo*, *Λεόφρων*, *Θυμολέων*, *animo leonino*, *Σκύμνος*. A *lepore*, *Λάγος*, *Λαγίσκα*. A *lupo*, *Λύκος*, *Λύκα*, *Λύκων*, *Λυκάδης*, *Λυκᾶς*, *Λυκίσκος*, *Αὐτόλυκος*, *Λυκομήδης* et *Λυκόφρων*, *lupi more sentiens et cogitans*, *Λυκοῦργος*, *lupi more agens*, *Λυκούριος*, *caudam lupinam habens*. A *musca*, *Μυίης*, *Μυῖα*. Ab *olore*, *Κύκνος*. Ab *oue*, *Ἀρχίμηλος*, *opilio*, *Φιλόμηλος*. Alia huius generis supra in nominum a fortuna ductorum numero sunt allata. A *perdice*, *Περδίκκας*. A *phalaride* aui, *Φάλαρις*. A *piscibus*, *Ἰχθύας*, *Ἐλλόπιος*, *Ἐλλοπίων*[532]). A *porco*, *Χοιρίλος*, *Χοιροβοσκὸς*, *subulcus*. A *rana*, *Βάτραχος*, *Γυρίννα*[533]), *Φρύνη*, *Φρύνις*, *Φρύνων*, *Φρυνώνδας*, *Φρύνιχος*.[534]) A *salpa* pisci, *Σάλπη*. A *sauro*, lacerto quadrupede, *Σαῦρος*. A *seleucide* aui, *Σέλευκος*. A *tauro*, *Ταυρέας*, *Ταυρίσκος*. A *vitulo*, *Μόσχος*, *Μοσχίων*, *Μοσχόπουλος*. A *vitulo marino*, *Φῶκος*, *Φωκίων*, *Φωκᾶς*, *Φωκυλίδης*. Cum igitur tot nomina a *bestiis*, atque adeo *feris*, deriuata reperiantur, nemini mirum videbitur, quod ea quoque nomina, quae a *ve-*

528) Vid. *Bochart.* ibid. p. 925.

529) apud *Plutarchum* de sera numinis vindicta c. 17.

530) apud *Plutarchum* de defectu oraculorum c. 5.

531) v. *Aristot.* rhetor. 2, 23, 29.

532) Nam vocabulo ἔλλοψ piscem significari, satis notum est.

533) *Hesych:* γύρινον· τὸ ἐκ τοῦ βατράχου παιδίον. *Phauorin:* γυρῖνοι· οἱ μικροὶ βάτραχοι. Unde intelliguntur haec *Platonis* in Theaeteto T. I. opp. p. 161. C. εἰς φρόνησιν οὐδὲν βελτίων βατράχου γυρίνου.

534) Geopon. 2, 18, 14. φρῦνον, τουτέστι βάτραχον χερσαῖον.

natione ducta putarem, statim superioribus subiunxi, v. c. *Εὐϑήριος*, *Θηραμένης*, *Εὐάγριος*, *Φιλάγριος*. De nomine *Θήρων* dixi supra ad not. 457.

Ultimus denique nominum Graecorum fons continebat in sese varia *quae terra nascuntur*. Petebantur enim nomina ab *arboribus*, ut *Δάφνη*, *Δάφνις*, *Δάφνος*, *Δαφνίδιος*, *laurus*, *Δρύμων*, *quercetum*, *Ἔλατος*, *abies*, *Μίλων*, *taxus*, *Μυρτίλος* et *Μύρτις*, *myrtus*, *Δοῦρις*, *lignum*. A *plantis et fruticibus*, ut *Φύτιος*, *Βρύλλος*, *iuncus*, *Ῥόδων* et *Ῥόδινος*, *roseus*, *Φορμίων*, quod nomen *Donatus*[535]) deriuat a nomine *φόρμιον*, quo significari ait *tegiculum, quo insternitur pauimentum*. Scilicet *φορμὸς* dicitur, *quicquid nectitur ex vlua palustri vel iunco vel sparto* et similibus. Ab *herbis*, ut *Χλόη*, *Βοτανιώτης*, *Ἔλενος* et *Ἑλένη*, *inula*, *Πρασίων*, quod nomen saltem potest deduci a nomine *πράσιον*, *marrubium*, sed etiam vel *viridem* significare, vel *mercatorem*. *Σκάμων* a *scamonia* s. *scammonia*. Huc eodem referri potest nomen *Λῖνος*. A *foliis* nomen acceperunt *Φύλλις*, *Φυλλίδας*, *Φυλλίδιος*, *Φυλλῖνος*, *Ἐχεφυλλίδας*. A *floribus et viriditate* *Βρύας*, *Θαλῆς*, *Θάλλος*, *Εὐϑάλιος*. A *fructibus et frugibus* *Πολύκαρπος*, *Κρίϑων*, *Πύρων*, *Βότρυς*, *Στάφυλος*, *Οἰνεὺς*, *Οἰνόμαος*. De nomine *Οἰνοπίδης*, quod fortassis huc referendum videatur, dixi paulo ante. A *pabulo et lacte* *Εὔφορβος*, *Γαλαξίδωρος*. A *rore* *Πάνδροσος*, *Δροσίλλα*, cuius saepe mentio fit in *Nicetae Eugeniani* narratione amatoria. A *magnete* *Μάγνης*. Ab *arena* *Ἠμαϑίων*. A *metallis* *Χρυσέρως*, *Ἄργυρος*, *Ἀργυρόπουλος*.

Sequitur ut de nominibus seruorum, inprimis comicorum, paulo copiosius, quam iam alio loco[536]) factum est, exponam. Hic vero ante omnia monendum existimaui, ea seruorum nomina, quae iu usu quotidiano frequentissima essent, in scenam fuisse traducta, ne quis

535) ad *Terent.* Phorm. prol. 27.

536) ad not. 239 — 253. Cf. quae *Doruillius* ad *Charit.* p. 130. (p. 278. edit. Lips.) collegit de nominibus seruilibus et scurrilibus.

putet, omnia quae in comoediis leguntur eius generis nomina a poetis comicis ficta fuisse, et eorum ingenio deberi unice. Horum autem nominum quae fuerit ratio, primo *Donati*[537]) verbis exponere placuit. „Semper, in„quit ille, nomina comicorum seruorum aut a nationi„bus sunt indita, ut Mysis, Syrus[538]), aut ex accidenti„bus, ut Lesbia, velut ebriosa, a Lesbo insula, quae est „ferax suauissimi candidissimique vini, aut a moribus „et vernilitate, ut Pseudolus[539]), aut ex negotio, ut „Chrysalus[540]), aut ex qualitate corporis, ut Thylacus, „aut ex specie formae, ut Pinacium.“[541]) Eorundem

537) ad *Terent.* Andr. 1, 3, 21.

538) Plura huius generis attuli supra l. l. et paulo post *Helladii* verbis afferam. Addi possunt *Θρᾶξ*, *Θρᾶττα* (apud *Theophrast.* Charactt. 28, 1.), *Messenio* (*Μεσσηνίων*) in *Plauti* Menaechmm. 2, 1, 1. *Athenio* (*Ἀθηνίων*) apud *Cic.* Verr. 2, 54. *Ἀθηνῶ* apud *Leonidam Tarentinum* in *Brunckii* Analectt. Vol. I. p. 222. nr. VIII. quae tamen duo possunt etiam inter nomina a Diis petita referri. In nominibus a Persarum natione ductis recte poni potest nomen *Ζωπυρίων*. v. *Doruill.* ad *Charit.* p. 446. (472. ed. Lips.) Cf. *Hemsterhus.* ad *Lucian.* T. I. p. 336. Huc etiam retulerim nomen *Ματάκας*, *ὄνομα εὐνούχου*, auctore *Choerobosco* in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. III. p. 1396. Sic *Helladius* chrestom. p. 5. edit. *Ioh. Meurs.* Ultrai. 1686. 4. *ὄνομα θεραπαίνης Πηλούσιον ἦν.* Pelusium enim fuit Aegypti oppidum. Cf. *Fischer.* ad *Theophrast.* charactt. 9. 1. et *Westerhov.* ad *Terent.* Andr. 1, 1, 132. *Τρύφη* ap. *Phryn.*

539) Addi potest *Γνάθων*, parasiti nomen, edacitatem notans. v. *Donat.* ad *Terent.* eun. prol. 38. Eundem *Lucianus* in Fugitiuis c. 19. T. III. p. 375, 85. *Γναθωνίδην* vocat, et iungit ei *Στρουθίαν*, qui ab *Alciphrone* 1, epist. 9. *Στρουθίων* appellatur. Praeter hos multi alii parasiti nominatim memorantur, ut *Χαιρεφῶν* apud *Athenaeum* 6, p. 243. A. *Κλείσοφος* ibid. p. 248. sq. *Θήρων* apud *Aelian.* hist. animm. 9, 7. Quapropter apud *Suidam* in *Κλείσοφας* haec leguntur: *οἱ Ἕλληνες Κλεισόφους τε ᾄδουσι καὶ Θήρωνας καὶ Στρουθίος καὶ Χαιρεφῶντας, ἀνθρώπους ἐσθίειν εἰδότας εἰς κόρον, καὶ δεινοὺς γαστέρα.* Nomen *Γνάθαινα* supra attuli. Adde nomina *Φαγᾶς* et *Χυτρᾶς.*

540) h. e. *qui aurum captat.* Est enim serui subdoli nomen, qui herum auro emunxit. V. *Turneb.* aduersarr. 30, 38. p. 677. ed. Aureliopol. 1604. fol. Cf. *Taubmann.* ad *Plaut.* Bacchid. 4, 4, 53.

541) Ad qualitatem corporis vel ad speciem formae pertinet nomen coqui *Κύλινδρος*, *Cylindrus*, cuius etiam in *Plauti* Menaechmis mentio est. Et nomen *Ὑγῖνος*, de quo vid. not. 446. Item *Πιττακᾶς* et *Τραχηλᾶς.*

nominum naturam et originem ita descripsit *Helladius* [542]): ὅτι οἱ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὸ μὲν πλέον ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλουν· οἷον, Σῦρον, Καρίωνα, Μίδαν, Γέταν, καὶ ὅμοια. ἐκάλουν δὲ καὶ τὰ ἐξ ἐπιθέτων, ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος μὲν, Πυῤῥίαν [543]) καὶ Ξανθίαν [544])· ἀπὸ τοῦ τρόπου δὲ Παρμένωνα [545]), καὶ Πιστὸν καὶ Δρόμωνα [546]). ἐκάλουν δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ὠνήσαντο τὸν οἰκέτην. ἐξ οὗ καὶ τοὺς Νουμηνίας ὠνόμαζον [547]). Breuius *Olympiodorus* ad *Platonis* Alcibiadem I. [548]) πάλαι γὰρ καὶ τοῖς ὀνόμασι διεκέκριντο οἱ ἐλεύθεροι τῶν δούλων, καὶ ταῖς θριξί. Γέται γὰρ καὶ Δάοι καὶ Φρύγες ὠνομάζοντο. Nomina seruilia multo plura colligere poteram, maxime ex Comicorum reliquiis ab *Athenaeo* seruatis, et ex Anthologia Graeca. Sic in *Leonidae Tarentini* epigrammatibus [549]) reperiuntur nomina Μελίτεια, Φιντώ, Γλῆνις, Αὐτονόμα, Βοΐσκιον.

Verum haec hactenus. Accedendum enim iam esse video ad locum illum, quo continentur *cognomina* siue potius *agnomina*, siue ut *Neumannus* [550]) et *Rupertus* [551])

542) in chrestomathia p. 14. sq.

543) Unde *Solanus* ad *Lucian.* Tim. c. 22. T. I. p. 132. ortum putat serui Terentiani nomen *Byrrhia.*

544) Cf. *Aristoph.* Acharnn. 242. ibique Schol.

545) v. *Menag.* ad *Diog. Laert.* 5, 55. Huc referri potest Τερψίων, quod nomen in *Plauti* Epidic. 1, 1, 3. male *Thesprio* scriptum est.

546) Cf. nomina ab animo virili atque a celeritate desumta, quae superius attuli, et *Doruill.* ad *Charit.* p. 78. sq. (p. 247. ed. Lips.) Addi possunt Συνετὸς, Ὀνήσιμος (v. supra.), Μόλων. (v. supra, inprimisque *Hemsterhus.* ad *Lucian.* T. I. p. 132—134.) Σκίρτος, Τρόχιλος. v. *Reisk.* ad *Constant. Cephal.* p. 255.

547) *Suidas:* νουμηνία· ἡ τοῦ μηνὸς ἀρχή. ἐν ταῖς νουμηνίαις δὲ οἱ δοῦλοι ἐπωλοῦντο. Et Numenii multi memorantur a veteribus.

548) apud *Casaubonum* ad *Pers.* 5, 116. et apud *Ruhnkenium* ad *Timaei* Lexicon Platon. p. 36.

549) in *Brunckii* Analectt. Vol. I. p. 222. epigr. VIII. et IX.

550) in dissertatione de originibus cognominum, Witteb. 1682. §. 8.

551) in obseruationibus ad historiae uniuersalis synopsin Besoldianam minorem, Norimb. 1659. 8. cap. 14. p. 323. Et sane cum hoc viro docto et cum *Neumanno* facere videtur *Dionysius Thrax* in arte grammatica c. 14. apud *Fabric.* biblioth. Graec. Vol. VI. p. 315. ed.

vocari malunt, *epitheta.* Quemadmodum autem fateor, non mihi placere hanc, quam ultimo loco posui, rationem, quia Graeco vocabulo utitur sine ulla necessitate: ita, cur *agnomen* potius quam *cognomen* dicendum arbitrer, paucis declarandum est. Scilicet ex usu Romano *agnomina* vocabantur ea nomina, quae praeter cognomen addi nomini gentilitio solebant, ut nomen *Africani,* nomini Cornelii Scipionis adiectum. Sunt quidem, qui haec confundant, ut *Theophilus* [552]), interpres Graecus institutionum iuris Iustinianei, qui *nomen* interpretatur *τὸ κύριον ὄνομα*, *οἷον Τίτιος*, sed *cognomen*, *ἐπώνυμον*, *ὅπερ ἀπὸ ψόγου ἢ ἐπαίνου λαμβάνεται.* Sunt etiam, qui vocabulum *agnomen* ante Iustiniani tempora notum et usitatum fuisse negent, ut *Perizonius* [553]). Et sane *Ernestius* quoque in loco illo *Ciceronis* [554]): „nomen cum „dicimus, cognomen quoque et agnomen intelligatur oportet" non monito lectore omisit verba: „et agno- „men" quae tamen recte, me quidem iudice, *Lambinus* addidit. Ut enim taceam, facillime ea praetermitti a librariis potuisse, putem ipsam rei naturam Romanos docuisse et vero coegisse fingere vocabulum *agnomen,* quoniam alias, si quis, ut hoc utar, Cornelio cuidam tributum dixisset cognomen, nemo sciuisset, utrum nomen Scipionis an Africani esset intelligendum. Atqui permultum intererat. Quid multa? Habemus disertum *Prisciani* [555]) testimonium: „*Nomen* est proprie uniuscuius- „que suum, ut *Paulus*, proprium. *Cognomen*, cogna- „tionis commune, ut *Scipio. Agnomen* est, quod ab „aliquo euentu imponitur, ut *Africanus*, *Isauricus.*"

Harles. et in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. II. p. 636, 18. Sed intelligit epitheta proprie dicta, hoc est, adiectiua.

552) in §. 29. Instit. de legat.

553) Epistt. clarorum virorum T. V. Lugd. Bat. 1727. 4. p. 767.

554) de inuent. 2, 9. ubi Ernestianam rationem temere secutus videtur *Schützius*, in utraque quidem editione. In notis tamen ad priorem haec scripsit: „Additur *et agnomen.* cod. Grevenb. Pal. 1, „Altorf. Sed vereor, ne hoc a glossatore sit. Imo tota *ῥήσει nomen* „— *oportet* facile carebamus."

555) lib. 2. p. 49. (p. 71. edit. *Krehl.*)

Erroris autem virorum doctorum, qui cognomen cum agnomine perperam confunderent, haec haud dubie causa fuit et origo, quod, praeter ea, quae attuli, etiam haec *Prisciani* verba neglexissent [556]: „in aliis loco cognominum aliorum agnomina, [vel nomina,] [557] vel contra, ut Cicero, qui primus ab habitu faciei nominatus „est, agnomen hoc habuit, familiae vero eius cognomen „fuit. Similiter Caesar, Scipio.“ Sic Torquatus primo fuit agnomen eius Manlii, qui primus gestaret torquem aureum. Sed haesit postea cognomen posteris eiusdem. Et cum Aemilius quidam talos pedum haberet exstantes atque eminentes, Scauri agnomen accepit, sed nepotes eius seruarunt hoc nomen cognominis loco, quamuis illo pedum vitio non laborantes. Siluius item cum casu quodam in siluis natus esset, mansit Siluiis postea omnibus cognomen, qui Albae regnarunt [558]. Verum taedet copiosiorem esse in re nota. Multa hanc in rem legi possunt apud *Plutarchum* [559], ubi agnomen vocat ὄνομα ἐπίθετον et προσηγορικὸν, etiam ἐπώνυμον. Sed πρόσρημα interdum ponitur de praenomine [560], ut Latine *cognomen* [561]. Iam cum supra ostenderim, Graecos uno tantum nomine, et neque praenomine, neque nomine gentilitio usos esse, atque adeo Graecorum nomina comparari recte posse cum nostro praenomine et cum Romanorum nomine tertio, h. e. cognomine, nisi ubi hoc, quasi gentilitium, a posteris eius, qui primus eo nominatus esset, seruaretur [562]: patet, altera Graecorum no-

556) ibidem.

557) Haec verba: „vel nomina,“ quia cum *Krehlio* eiicienda putabam, uncis inclusi.

558) v. *Liu.* 1, 3.

559) in vita Coriolani c. 11. et in vita Marii c. 1. Ipsa eius verba paulo post mihi afferenda erunt. [„Quare etiam animaduertemus, „a Graecis ὄνομα et ἐπώνυμον non discreta fuisse. v. *Homer.* Odyss. „η, 54. *Cognomen* illis erat ἐπίκλησις. v. *Homer.* Il. χ, 506. et Odyss. „σ, 7.“ *Harl.*]

560) ut ap. *Dionem Cass.* LI. 19. Vol. III. p. 46, 25.

561) v. c. in *Liuii* epitoma libri sexti. ad quem locum vid. *Sigon.*

562) v. supra not. 12. et ad not. 263. 347. sqq.

mina, si quis forte duobus appellaretur, conferenda esse cum Romanorum agnominibus. Atque hoc idem dicunt veteres scriptores ipsi. *Plutarchus* [563]) enim auctor est, multa nomina obscurari quasi et supprimi ab agnominibus, quae ibi *παρωνυμίας* nominat, ita ut agnomina saepe notiora sint ipsis nominibus, prorsus ut apud Romanos agnomina saepe omissis nominibus ponebantur, v. c. Africanus, Torquatus, etc. Sic *Ἱππόνους* ille, qui Bellerum, nobilem quendam Corinthium interfecerat, agnomine *Βελλεροφόντης* fuit nominatus, ita ut nomen proprium paene prorsus obliuioni traderetur [564]). Plato philosophus vix a quoquam appellatur Aristocles, quanquam hoc proprie fuit eius nomen, illud agnomen [565]). Tyrtamum vix aliquis nouerit, sed si quis agnomine Theophrastum dixerit, omnibus notus est [566]). Audito Tisiae nomine nemo facile cogitabit de poeta lyrico, cuius agnomen, Stesichorus, nemo nescit [567]). De ignoto quodam homine sibi narrari putabunt, qui audierint, Johannem fuisse patriarcham Constantinopolitanum eloquentiae laude florentissimum, et permultarum homiliarum auctorem. Ubi vero agnomine Chrysostomum appellaueris eundem, ignorabunt paucissimi. Mnesarete usitatius appellatur et notior est agnomine *Φρύνη* [568]). Demetrius Ixion interdum simpliciter dicitur Ixion [569]). Et *Eustathius* [570]), *ἄλλο μὲν ὄνομα*, inquit, *οἰκειακὸν, ἄλλο δὲ ἐν τοῖς ἐκτός· ὡς καὶ ἡ Ἀλκυόνη δηλοῖ, — ἡ καὶ Μάρπησσα.* [571])

563) de Pythiae oraculis c. 14. Cf. supra ad not. 263. ubi verba exscripsi, et *Herodot.* 4, 149. ibique *Valckenar.*

564) v. *Schol. Homer.* ad Il. ζ, 155.

565) v. *Diog. Laert.* 3, 4. et *Suid.* in v. *Πλάτων.*

566) v. *Diog. Laert.* 5, 38. et *Suid.* in v. *Θεόφραστος.*

567) *Suidas: ἐκλήθη δὲ Στησίχορος, ὅτι πρῶτος κιθαρῳδίᾳ χορὸν ἔστησεν· ἐπεί τοι πρότερον Τισίας ἐκαλεῖτο.*

568) v. *Athenae.* 13, p. 591. E.

569) v. *Schol. Villoison.* ad *Homer.* Iliad. γ, 18.

570) ad *Homer.* Il. α, p. 124.

571) Immo *Μάρπισσα.* v. *Homer.* Il. ι, 553—558. ibique *Scholia Villoisoniana.* Cf. quae idem *Eustathius* de *διωνύμοις* disputat ad Iliad.

Quo autem facilius ac certius perspici possit agnominum Graecorum ratio, ipsi fontes, e quibus illa peti et quasi hauriri solerent, adeundi sunt atque cognoscendi. [572]) Et ducem quidem ad eos sequamur *Plutarchum*, virum utriusque linguae et literaturae peritissimum, qui quamuis etiam Romana immisceat, non tamen relinquendus est, quia egregie Romani, hoc quoque in genere, consensisse cum Graecis reperiuntur, et eadem utrique instituta, eosdem mores secuti. Is igitur [573]), τὸ προσηγορικὸν, inquit, ἐξ ἐπιθέτου πρὸς τὰς φύσεις, ἢ τὰς πράξεις, ἢ τὰ τοῦ σώματος εἴδη καὶ πάθη τίθεσθαι (οἴεται Ποσειδώνιος), τὸν Μακρῖνον, καὶ τὸν Τουρκουάτον, καὶ τὸν Σύλλαν, οἷόν ἐστιν ὁ Μνήμων, ἢ ὁ Γρυπὸς, ἢ ὁ Καλλίνικος. Et de Coriolano [574]): δῆλόν ἐστιν, ὅτι τῶν ὀνομάτων ἴδιον ἦν ὁ Γάϊος, τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας, ἢ γένους κοινὸν, ὁ Μάρκιος. τῷ δὲ τρίτῳ ὕστερον ἐχρήσατο, πράξεώς τινος, ἢ τύχης, ἢ ἰδέας, ἢ ἀρετῆς ἐπιθέτω. καθάπερ Ἕλληνες ἐτίθεντο πράξεως μὲν ἐπώνυμον, τὸν Σωτῆρα καὶ τὸν Καλλίνικον, ἰδέας δὲ, τὸν Φύσκωνα καὶ τὸν Γρυπόν· ἀρετῆς δὲ, τὸν Εὐεργέτην καὶ τὸν Φιλάδελφον· εὐτυχίας δὲ, τὸν Εὐδαίμονα, καθάπερ τῷ δευτέρῳ τῶν Βάττων. ἐνίοις δὲ τῶν βασιλέων καὶ σκώμματα παρέ-

β, p. 351. et quae ipse supra ad not. 86. sq. attuli de nominibus gentilibus non raro propriorum locum occupantibus.

572) Iuuat hic statim ponere, quae *Harlesius* libello suo adscripsit: „Filius Hectoris ἐπίκλησιν Ἀστύαναξ, v. *Homer.* Il. χ, 506. ibi„que *Clark.* it. *Spanhem.* de V. et P. Numismm. diss. X. Vol. II. p. „59. sqq. Parentum facta frequenter indicabantur ex liberorum no„minibus. v. *Eustath.* ad Iliad. ι, p. 513. ed. Basil. Sic Cleopatra vel „potius Marpissa appellata fuit Halcyone, quia, quando ab Apolline ra„pta fuit, eius mater non minore dolore affecta est, quam halcyon „solet ob amissos pullos. v. *Homer.* Il. ι, 557. Hectoris filio Scaman„drio nomen Ἀστύαναξ a Troianis additum fuit, quia ipsius pater „erat τοῦ ἄστεος ἄναξ. v. *Homer.* Il. ζ, 399. Ulysses cognominatus est „Ὀδυσσεὺς, διὰ τὸ ὀδύσσεσθαι τὸν Αὐτόλυκον. v. *Homer.* Odyss. τ, „406. Cf. *Plutarch.* in Marcio Coriolano, et *Potteri* Archaeol. Graec. „4, 14. Propter victoriae memoriam filio mater apud *Aristoph.* Nubb. „v. 64. nomen in ἵππος desinens imponere voluit.“ Haec *Harl.*

573) in vita Marii c. 1.

574) in vita Coriolani c. 11.

σχεν ἐπικλήσεις, ὡς Ἀντιγόνῳ τὸν Δώσωνα, καὶ Πτολεμαίῳ τὸν Λάθυρον. Item alio loco [575]): Κλεῖτος ἐν Ἀμοργῷ τρεῖς ἢ τέτταρας Ἑλληνικὰς ἀνατρέψας τριήρεις, Ποσειδῶν ἀνηγορεύθη, καὶ τρίαιναν ἐφόρει [576]). — Κλέαρχος Ἡρακλείας τύραννος γενόμενος, — τῶν υἱῶν ἕνα Κεραυνὸν ὠνόμασε. — οἱ δὲ Εὐεργέτας [577]), οἱ δὲ Καλλινίκους, οἱ δὲ Σωτῆρας, οἱ δὲ Μεγάλους ἀνηγόρευσαν ἑαυτούς. Quae omnia licet recte *Plutarchus* dixerit, non tamen premenda duxi eius vestigia, sed meo modo rem exponendam putaui, collatis tamen semper iis, quae ex illius libris huc transtuli.

Placet autem primo nonnulla agnomina recensere, quae ducta fuerunt a *corporis forma*. Et hic quidem *Plutarchus* statim nobis suggerit Antiochi, regis Syriae, agnomen Γρυπὸς, *naso adunco et aquilino praeditus* [578]), et Ptolemaei, Aegypti regis, Φύσκων, *ventricosus*. Alius contra Ptolemaeus agnomen accepit Ἀπίων, *macer*. Dioscorides medicus dictus fuit Φακᾶς, quod agnomen respondet Latino *Lentulus* [579]). Alius Ptolemaeus, Λάθυρος, h. e. *Cicero*. Nam tuberculum quoddam in facie, simile ciccerculae, quae Graece λάθυρος dicitur, regi fuit agnominis causa. E quo apparet, apud *Strabonem* [580]) perperam scribi Λάθουρος. Et quoniam isto agnomine Ptolemaeo exprobrabatur corporis vitium, patet, cur *Plutarchus* illud e scommate ortum dicat. Qualia plura reperiuntur. Archedemus enim agnomen habuit Γλάμων, *lippus* [581]). Aesopus ob distortam corporis formam ab

575) de Alexandri M. vel virtute vel fortuna orat. 2. c. 5.

576) quae ultima verba, ut sequentia, declarant, opinor, passiuum ἀνηγορεύθη explicandum esse *appellari se iussit.*

577) Cf. *Grot.* ad Luc. 22, 25.

578) *Iustinus* 39, 1. extr. agnomen istud simpliciter a nasi magnitudine deriuat.

579) *Eudocia* in violario p. 129. hanc reddit rationem: διὰ τὸ ἐπὶ τῆς ὄψεως ἔχειν πολλοὺς φακούς. Cf. *Suid.* in v. Διοσκουρίδης.

580) lib. 17. p. 795. Unde a Latinis quoque vocari solet Lathurus.

581) ap. *Lysiam* orat. contra Alcibiad. p. 536. ubi v. *Palmer.*

hero appellatus est *Θῆτα.* [582]) Eetionis uxor, mater Cypseli, Amphionis filia, nacta est vel nomen vel agnomen *Λάμβδα* siue *Λάβδα*, *clauda,* quia pes eius alter ita erat distortus, ut similis esset *Λ* literae [583]). Stagonium, Anthis, Nicostratis aliaeque meretrices agnomen acceperunt *Ἀφύαι*, *Apuae*, h. e. albo colore, tenui corpore et oculis grandioribus [584]). Nam *ἀφύαι,* Latinis *apuae* [585]), proprie dicitur genus pisciculorum minimorum atque alborum, quibus fere perexiguum statuebatur pretium [586]). Nannium, quae esset bella facie, et, pretiosis vestibus induta, pulchra appareret, exuta vero insigniter esset deformis, vocabatur *Προσκήνιον*, quo proprie significabatur locus ante scenam aulaeis tectam [587]). Corone dicta fuit *Τήθη*, *nutrix* [588]). Sed alia agnomina pertinent ad commendandam formam, ut cum Strobyla appellata fuit *Φανὼ*, *splendida*, *nitida* [589]), et Plangon *Παμφίλα*, *cuilibet dilecta* [590]), item Hegesippus *Κρωβύλος* [591]), h. e. *Cincinnatus.* Inprimis frequens fuisse reperitur agnomen *ὁ καλὸς*, quippe quo, ut paucos saltem commemorem, insignitur Charmides [592]), Sannio [593]), Euthydemus [594]), Critias [595]), Nicostratus [596]), Aga-

582) v. *Ptolemaeus* Hephaest. p. 329. edit. *Gal.* in Scriptoribus historiae poeticae.

583) v. *Herodot.* 5, 92. Etymol. M. *Phauorin.* in v. *βλαισὸς*, et quos *Meursius* laudauit ad *Helladii* chrestomath. p. 51.

584) v. *Athenae.* 13, p. 586. B.

585) v. *Plin.* H. N. 31, 8.

586) v. *Athenae.* 7, p. 284 — 286. aliisque in locis.

587) v. *Athenae.* 13, p. 587. B.

588) v. ibidem.

589) v. *Athenae.* 13, p. 594. A.

590) v. *Athenae.* 13, p. 594. C.

591) v. *Plutarch.* regum et imperatorum apophthegmm. T. VIII. opp. p. 119. edit. *Hutten.*

592) ap. *Platonem* in Theage T. I. opp. p. 128. D.

593) ibid. p. 129. D.

594) ap. *Xenophont.* memm. 4, 2, 1.

595) ap. eundem hist. Graec. 2, 3, 24.

596) ibid. 2, 4, 4.

thon[597]), Antiphates[598]). Quin Dailochus apud *Xenophontem*[599]) dicitur ὁ κάλλιστος ἐπικαλούμενος. Istud tamen agnomen καλὸς non raro idem valet, quod καλὸς κἀγαθὸς, atque adeo ad animum simul refertur[600]).

Ex eodem, quem monstrauimus, fonte fluxerunt etiam agnomina a sola *corporis statura* petita, ut cum Demetrius, Poliorcetae filius, nominatur ὁ λεπτὸς[601]), Aristodemus ὁ μικρός[602]). Et quae a *colore* ducta sunt, ut Mnesarete dicta fuit Φρύνη, διὰ τὴν ὠχρότητα, auctore *Plutarcho*[603]), Aspasia autem Μιλτὼ, quod genas haberet pulchre rubicundas[604]). Item quae ab *aetate*, ut Sinope Ἄβυδος, διὰ τὸ γραῦς εἶναι[605]).

Interdum agnomina dabantur a *dicto aliquo aut verbo*, quod quis frequenter in ore haberet. Sic Antigono, Macedoniae regi, haesit agnomen Δώσων, quoniam rogatus ab aliquo dicere solebat δώσω, sed raro dabat[606]). Quare illud a *Plutarcho* ad σκώμματα referri vidimus. Eodem modo Melitta agnomine appellabatur Μανία[607]). Et homo quidam, cuius proprium nomen haud innotuit, cum forte ex *Ephori* historiarum libris cognouisset, quae facta essent in pugna Leuctrica, iisque narrandis in quolibet conuiuio obtunderet conuiuas, Ἐπαμινώνδας παρωνύμιον ἔσχεν[608]). Neque apud alios populos defuerunt eius generis nomina. Apud *Tacitum*[609]) memoratur centurio Lucillius, cui militaribus

597) ap. *Plutarchum* in regum et imperatorum apophthegmm. T. VIII. opp. p. 93. edit. *Hutten.*

598) ibid. p. 114.

599) in Hierone 1, 31. (33.)

600) v. *Doruill.* ad *Charit.* p. 23. (p. 212. edit. Lips.)

601) v. *Plutarch.* in vita Demetrii Poliorcetae c. 53.

602) v. *Xenoph.* memm. 1, 4, 2. et *Plato* initio Symposii.

603) de Pythiae oraculis c. 14.

604) v. *Aelian.* V. H. 12, 1. ibique *Perizon.*

605) v. *Athenae.* 13, p. 586. A. et ad eum locum *Casaub.* p. 877, 20.

606) v. *Plutarch.* in Aemilio Paulo c. 8.

607) v. ad not. 247. sq. Cf. *Menag.* ad *Diog. Laert.* 5, 55.

608) v. *Plutarch.* de garrulitate c. 22. extr.

609) annall. 1, 23.

facetiis vocabulum *Cedo alteram* indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. Et Ambrosius Philipps, poeta Anglo-Britannus, cuius poemata versibus breuibus et paucorum verborum syllabarumue essent, a Popio eiusque asseclis vocatus est *Namby Pamby*.

Nonnulli *armis* et *vestimentis* agnomina debebant, ut Periphetes, qui, quia clauam (*κορύνην*) gestare solebat, *Κορυνήτης* dictus est[610]). Serapion autem, Aegyptius, cognominatus *Σινδόνιος*, quia *παρεκτὸς σινδονίου οὐδέποτε οὐδὲν ἄλλο περιεβάλετο.*[611])

Alii *vitae conditioni*, ut *Ἶρος*, cuius proprie nomen fuit *Ἀρναῖος*[612]), quod tamen, quoniam homo perferre, quocunque iuberetur, nuncios solebat, cessit agnomini *Ἶρος*. Nam *εἴρειν* significat *nunciare*.

Alii *bestiis*, ut Lysias *Λέων*[613]), fortassis ob fortitudinem, Pyrrhus ὁ *Ἀετὸς*, ob velocitatem[614]), Callondes *Κόραξ*[615]), propter edacitatem, opinor, vel rapacitatem, Antiochus ὁ *Ἱέραξ*, quia non hominis, sed accipitris ritu in alienis eripiendis vitam sectabatur[616]), Diogenes ὁ *Κύων*, quia derisit omnia et reprehendit, vel, ut ipse dixit[617]), quia blandiebatur dantibus, iis autem, qui non darent, oblatrabat, malos mordebat. Theoclea *Κορώνη*, *cornix*[618]), forsitan ob garrulitatem. Xenophon

610) v. *Plutarch.* in Theseo c. 8. et *Ouid.* metamm. 7, 437. Conf. *Muncker.* ad *Hygin.* fab. 38. Idem agnomen eandem ob causam nactus est Areithous. v. *Pherecyd.* p. 206. edit. 1. p. 192. edit. 2.

611) Sunt verba *Palladii* in vita Serapionis, in *Meursii* opp. Vol. VIII. p. 542.

612) *Homer.* Odyss. σ, 5—7.

Ἀρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε· τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ
ἐκ γενετῆς· Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες,
οὕνεκ' ἀπαγγέλλεσκε κιὼν, ὅτε πού τις ἀνώγοι.

613) v. *Mori* examen II. locorum historiae Graecae Xenophonteae.

614) ap. *Plutarch.* in regum et imperatorum apophthegmm. T. VIII. opp. p. 112. edit. *Hutten.*

615) ap. eundem de sera numinis vindicta c. 17.

616) v. *Iustin.* 27, 2, 8.

617) ap. *Diog. Laert.* 6, 60.

618) v. *Athenae.* 13, p. 583. E.

Αττικὴ μέλιττα, *apis Attica*, quia dictione usūs est melle dulciore[619]. Phryne *Σαπέρδιον*[620], *festiua*. Saperda enim proprie est piscis boni saporis, et *Varro*[621] saperdas dixit de hominibus festiuis et elegantibus. Nico dicta fuit *Αἴξ*, *capra*, quia Thallum quendam fortunis exuerat, θαλλῷ autem, h. e. ramo oleagino, delectantur caprae[622]. Apollonius ὁ *Θήρ* et ὁ *Ὄφις*[623], fortassis ob feritatem animi et vafritiem. Sed haec et alia talia pertinent potius ad *vituperationem et laudem*, e quo fonte, qui *varia facta*, *res gestas*, *mores*, *virtutes et vitia* continet, iam alia hauriamus. Sic Philocharis, quidam Tarenti Demagogus, cum turpiter vixisset, vocatus est *Θαΐς*[624]. *Alexander* Seleuciae in Cilicia natus, Sophista, cognominatus fuit *Πηλοπλάτων*, quasi *luteus Plato.*[625] Phanostratam *Apollodorus* narrat *Φθειροπύλην* cognominatam esse, *ἐπειδήπερ ἐπὶ τῆς θύρας ἑστῶσα ἐφθειρίζετο*[626], Metiche *Κλεψύδρα*, *ἐπειδὴ πρὸς κλεψύδραν συνουσίαζεν, ἕως κενωθῇ*[627]. Similis ratio videtur agnominis *Λύχνος* fuisse, quo Synoris appellata est[628]. Theramenes vocatus fuit *Κόθορνος*, quoniam aeque inconstans erat ac cothurnus, qui utrique pedi poterat aptari[629]. Demetrius ὁ *Ἰξίων*, quod impie in Iunonem egisse atque adeo similis esse videretur Ixioni e fabulis noto[630]. Paris, Priami filius, *Ἀλέξανδρος*, quod pasto-

619) v. *Suid.* in Ξενοφῶν, et *Cic.* orat. c. 9.

620) v. *Athenae.* 13, p. 591. C.

621) ap. *Nonium Marcellum* de proprietate sermonum p. 204. ed. Antuerp. 1565. 8.

622) v. *Athenae.* 13, p. 587. A. Cf. *Scalig.* coniectan. Varron. p. 143.

623) v. *Erotian.* prooem. lexici Hippocrat. et in v. *ἀμφιβάλλουσαι.*

624) v. *Fulu. Ursini* selecta de legationibus, ex *Appiano* c. 5. p. 443. (in Schweighäuseriana *Appiani* editione Vol. I. p. 56.)

625) v. *Philostrat.* vit. Sophist. lib. 2. c. 5. sect. 3. et *Eudocia* p. 52. sq.

626) v. *Athenae.* 13, p. 586. A. Cf. *Suid.* in v. *Φανοστράτη.*

627) v. *Asclepiades* ap. *Athenae.* 13, p. 567. D.

628) v. *Athenae.* 13, p. 583. E.

629) v. Lexicon Xenophonteum in v. *Κόθορνος.*

630) v. *Diog. Laert.* 5, 84. ibique *Menag.*

res a latronibus defendisset[631]). Phryne Κλαυσίγελως, h. e. fletum simul et risum mouens, voluptatem aeque ac tristitiam excitans[632]). Paroramos Λιμή, h. e. sordide auara et quasi famelica[633]). Oea siue Hoea Ἀντίκυρα, vel quod biberet una cum deliris et insanis, vel quod Nicostratus medicus moriens ei nihil nisi multum ellebori s. veratri reliquisset[634]). Antipater, philosophus Stoicus, cum nec posset nec vellet coram contendere cum Carneade, vehementissime Stoicos insectante, sed libros impleret contradictionibus et refutationibus, Καλαμοβόας dictus fuit, h. e. *calamo clamans*[635]). Zoilus Ὁμηρομάστιξ, ὅτι ἐπέσκωπτεν Ὅμηρον[636]). Euripides Μισογύνης, quod in multis tragoediis mulieres perstringeret[637]). Cleanthes Φρεάντλης, quia in puteo stans praetereuntibus hauriebat aquam, et pro potu dato accipiebat panem[638]). Didymus Χαλκέντερος, h. e. quasi aenea intestina habens, quae paria essent tolerandis immensis laboribus et insigni assiduitati[639]). Timaeus Tauromenita Γραοσυλλέκτρια, *anus colligens*, διὰ τὸ τὰ τυχόντα ἀναγράφειν[640]). Heraclitus Σκοτεινὸς, quia libros de natura, quos non nisi a viris doctis legi vellet, obscurius scripserat[641]). Apollonius Δύσκολος, quod quaestiones proponeret ad

631) Placet enim haec ratio *Doruillii* ad *Charit.* p. 648. (p. 596. ed. Lips.) multo magis, quam veterum Grammaticorum commenta.

632) v. *Athenae.* 13, p. 591. C.

633) v. *Athenae.* 13, p. 596. F. et *Casaub.* ad h. l. p. 881. (in *Schweighaeuseri* Animaduerss. T. VII. p. 221.)

634) v. *Antiphanes* ap. *Athenae.* 13, p. 586. F.

635) v. *Plutarch.* de garrulitate c. 23.

636) v. *Suid.* in v. Ζωΐλος.

637) v. *Barnesii* vita Euripidis, huius tragoediis praemissa, §. 19.

638) v. *Diog. Laert.* 7, 168. et *Suid.* in v. *Κλεάνθης.* Cf. *Fabric.* biblioth. Graec. Vol. III. p. 550. ed. *Harles.* et *Menag.* ad *Diog.* l. l.

639) v. *Suid.* in v. *Δίδυμος.*

640) v. *Hesych. Illustrius* de vitis philosophor. p. 63. ed. Colon. Allobrog. 1615. 8. et in *Meursii* Opp. Vol. VII. p. 292.

641) v. *Cic.* de finn. 2, 5. et *Diog. Laert.* 9, 6. ibique *Menag.*

soluendum difficiles[642]). Aristides ὁ *Δίκαιος*[643]). Phocion *Χρηστὸς*, *Bonus*[644]). Apollodorus *Μανικὸς*, quia quasi furibundus lacessere alios et reprehendere solebat[645]). Demetrius *Πολιορκητὴς*, a peritia disciplinaque faciendi obsidii, machinarumue solertia ad capienda oppida repertarum[646]). Ptolemaeus *Κεραυνὸς*[647]), quasi fulminans in bello et pugna, prorsus ut *Virgilius*[648]) Scipiones nominauit *duo fulmina belli.* Seleucus *Νικάτωρ*, Seleucus *Καλλίνικος*, Antiochus *Σωτὴρ*, Antiochus *Θεὸς*, Antiochus *Ἐπιφανὴς*, et alia huius generis, sunt satis nota. Neque minus notum est, plures his agnominibus appellatos fuisse. Eodem modo multi fuere, qui *Εὐεργέται* nominarentur[649]). Etiam *Φιλοπάτωρ* dictus fuit non unus, neque omnes eandem ob causam. Nam Antilochus quidem hoc agnomen accepit, quia pro Nestore patre mortuus erat[650]), et Seleucus atque Demetrius, Syriae reges, quia insigniter patrem amabant, sed Ptolemaeus, rex Aegypti, quod patrem interfecisset. Sic si quis Ptolemaeum Lathyrum legerit etiam *Φιλομήτορα* vocatum fuisse, putabit, eum vel pietate in matrem excelluisse, quae causa fuit, cur idem agnomen nancisceretur Ptolemaeus, Epiphanis filius, vel egregie a matre amatum fuisse. Atqui Lathyro fuit agnomen *Φιλομήτωρ ἐπὶ χλευασμῷ· οὐ γάρ τινα τῶν βασιλέων μισηθέντα ἴσμεν*

642) v. *Ioh. Ionsius* de scriptorib. historiae philosophicae 2, 17, 3. p. 248. ed. *Ioh. Chph. Dorn*, Ien. 1716. 4.

643) v. *Diog. Laert.* 2, 26. et quos laudat *Bosius* ad *Cornel. Nep.* Aristid. 1, 2.

644) v. *Plutarch.* in Phocione c. 10. *Aelian.* V. H. 3, 47. 12, 43. *Cornel. Nep.* Phoc. 1, 2. *Suid.* in v. *Φωκίων*.

645) v. *Plato* in Conuiuio T. III. opp. p. 173. D.

646) Sunt verba *Gellii* N. A. 15, 31. Cf. *Ammian. Marcellin.* 23, 4. et 24, 2. et *Aelian.* V. H. 3. 16.

647) Etiam Seleucus, Callinici filius, ita vocatus fuit. Cf. quae supra de Clearcho, Heracleae tyranno, *Plutarchi* verbis retuli.

648) Aen. 6, 842.

649) v. supra ad not. 577.

650) v. *Xenoph.* de venat. 1, 14.

ἐς τοσόνδε ὑπὸ μητρός[651]). Alius Ptolemaeus nominatus est *Φιλάδελφος*, quia utraque eius uxor erant sorores. Sed Demetrius, Syriae rex, qui eodem agnomine in numis donatur, videtur illud debuisse pietati in Antiochum fratrem. Dercyllidas dicebatur *Σίσυφος*, quia vafritie aequabat Sisyphum, Corinthi olim regem[652]). Eratosthenes *Βῆτα*, quoniam, ut *Βῆτα* in ordine literarum, ita ille inter viros aetatis suae doctos ponendus videbatur loco secundo[653]). Didymus *Πλανητιάδης*[654]), quod agnomen fortasse notauit hominis inconstantiam, quae similis esset stellarum errantium leuitati. Dionysius Mitylenaeus, poeta epicus, qui forsitan artem coriariam vel sutoriam tractaret, appellatus est *Σκυτεὺς* et *Σκυτοβραχίων*[655]). Demosthenes *Βάταλος*, h. e. libidini et impurae Veneri deditus[656]). Johannes *Φιλόπονος*. Apion Grammaticus non solum *Μόχθος* cognominatus est[657]), quia erat laboriosissimus, sed a Tiberio Caesare etiam *cymbalum mundi*[658]), h. e. celeberrimus, siue, ut *Senecae*[659]) verbis utar, tota circumlatus Graecia. Alius Grammaticus, Ptolemaeus, dictus est *Ἐπιθέτης* siue *Ἐπίθετος*, *adscititius*, διότι εἵπετο τῷ Ἀριστάρχῳ, διηκηκόει δὲ Ἑλλανίκου τοῦ γραμματικοῦ[660]). Democritus *Σοφία*

651) Sunt verba *Pausaniae* 1, 9.

652) v. *Xenoph.* hist. Graec. 3, 1, 6.

653) v. *Hesychius Illustr.* in *Meursii* Opp. Vol. VII. p. 237. et *Suidas* in v. Ἐρατοσθένης, inprimisque *Ionsius* in libro supra laudato 2, 7, 1. p. 175. ubi plura exempla collegit hominum literarum nominibus appellatorum, et *Fabric.* biblioth. Graec. Vol. IV. p. 118. edit. *Harles.*

654) v. *Plutarch.* de defectu oraculor. c. 7. ubi plus semel dicitur etiam simpliciter *Πλανητιάδης*.

655) v. *Suid.* in v. *Διονύσιος*. Alii scribunt *Σκυθοβραχίων*. v. *Sueton.* de grammaticis illustribus c. 7.

656) v. *Demosth.* de corona c. 55. et *Plutarch.* in decem oratorum vitis T. XII. opp. p. 267. ed. *Hutten.* it. *Suid.* in v. *βάταλος*.

657) v. *Suid.* in v. *Ἀπίων*.

658) v. *Plin.* praefat. ad hist. nat.

659) epist. 88.

660) v. *Suid.* in v. *Πτολεμαῖος*. Cf. *Villoison.* prolegom. ad *Homer.* Iliad. p. XXX.

et *Γελασῖνος*, quod inania hominum studia videns ridere soleret [661]). Protagoras *Λόγος ἔμμισθος*, quoniam artem dicendi diligenter tractabat, et mercedem a discipulis exigebat centenas minas [662]). Anaxagoras *Νοῦς*, quia primus philosophorum docuit, uniuerso praeesse mentem aliquam et naturam intelligentem [663]).

Denique ab *arte*, quam quisque tractaret, aut in qua quis excelleret, agnomina non pauca petita reperiuntur. Sic Tyrtamus dictus fuit *Θεόφραστος*, *διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον* [664]), Philiscus *Ἄγριος*, quod in desertis apes coleret [665]). Johannes et Dio *Χρυσόστομος*, *ore quasi aureo*, ob insignem artis dicendi facultatem atque peritiam. Lyco *Γλύκων*, *ὅτι ἐν τῷ λέγειν γλυκύτατος ἦν* [666]). Mimnermus *Λιγυστιάδης*, ob carminum suauitatem. [667]) Aristocles *Πλάτων*, propter orationis ubertatem et copiam [668]). Phrynis *ὁ Μουσικός* [669]). Ptolemaeus *ὁ Αὐλητής*, *tibicen*. Menecrates *ὁ Ἰατρὸς*, *Ζεὺς προσαγορευόμενος* [670]). Sextus *Ἐμπειρικὸς*, h. e. medicus, qui euidentes quidem causas ut necessarias amplectitur, obscurarum vero causarum et naturalium actionum quaestionem ideo superuacuam esse contendit, quoniam mente comprehendi natura nequeat, vel potius, qui, quasi

661) v. *Suid.* in v. *Δημόκριτος*, *Aelian.* V. H. 4, 20. et *Clem. Alex.* stromm. 6, p. 631. D.

662) v. *Aelian.* l. l. *Suid.* in v. *Πρωταγόρας*, *Schol. Platon.* p. 195. ed. *Ruhnken.* it. *Menag.* ad *Diog. Laert.* 9, 50.

663) v. *Schol. Platon.* p. 73. *Diog. Laert.* 2, 6. cum nota *Menagii.* Cf. *Barnes.* vit. Eurip. §. 13.

664) v. *Diog. Laert.* 5, 38. et *Suid.* in v. *Θεόφραστος*. Cf. *Menag.* ad *Diog.* l. l.

665) v. *Plin.* H. N. 11, 9.

666) v. *Diog. Laert.* 5, 66.

667) v. *Suid.* in *Μίμνερμος*. Cf. tamen *Fabric.* Biblioth. Graec. Vol. I. p. 733.

668) v. *Suid.* in v. *Θεόφραστος* et *Πλάτων*. Sed alii aliter. Cf. supra ad not. 515.

669) ap. *Plutarch.* Lacon. apophthegmm. T. VIII. opp. p. 205. edit. *Hutten.*

670) v. *Plutarch.* ibid. p. 186. et in regum atque imperatorum apophthegmm. p. 128. *Athenae.* 7, p. 289. *Aelian.* V. H. 12, 51.

nullius causae notitia quicquam ad curationes pertineat, satis esse ducit, secundum viam quandam siue *μέθοδον* communia morborum intueri[671]). Alexander Trallianus, aliique medici, qui statuerent, contraria contrariorum semper esse remedia, atque adeo calida refrigerari debere, sicca humectari, et contra, vocati sunt *Μεθοδικοί*[672]). Nicanor *Στιγματίας*, quia scripserat *περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ*[673]). Dionysius *ὁ Ἴαμβος*, h. e. poeta iambicus[674]). Theodorus *Θεὸς*, fortassis quia de diis librum scripserat, in quo quia deos esse omnino negauerat, frequentius *ἄθεος* appellatur[675]), ut alii plures. Non vero illius agnominis *Θεὸς* rationem transferendam putem ad agnomen *Κρόνος*, quo insigniti fuerunt Apollonius, eiusque discipulus Diodorus[676]). Nam etsi *Κρόνος* alias idem est, qui Saturnus, videtur tamen hoc nomine potius stupiditas notari, quia etiam hominem bardum ac stupidum et futilia nugantem significat[677]). Saepissime inuenitur agnomen *Τεχνικὸς*, Grammaticorum maxime nominibus adiectum, ut Dionysii Thracis, Herodiani[678]), Georgii Choerobosci[679]), et aliorum[680]), quia libris

671) v. *Fabric.* ad *Sext. Empir.* Pyrrhon. hypotypos. 1, 34. p. 63.

672) Huc pertinent, praeter alios, *Prosperi Alpini* libri tredecim de medicina methodica, Patau. 1611. fol. editi, sed repetiti Lugd. Bat. 1719. 4.

673) v. *Eustath.* ad *Homer.* Iliad. α, p. 20. et *Suid.* in v. *Νικάνωρ*, ubi vel legendum est *περὶ στιγμῶν τῶν* vel *ἐξ αὐτῆς*.

674) Quare *Casaubonus* apud *Athenaeum* 7, p. 284. B. rescribendum putabat *ἰαμβοποιός*. Sed sine causa. v. *Cuper.* obss. 3, 13.

675) v. *Diog. Laert.* 2, 86. 97. et ad h. l. *Is. Casaub.*

676) v. *Diog. Laert.* 2, 111. ad q. l. cf. *Menag.*

677) *Suid.* in *Κρονίων ὄζει· τὰ παλαιὰ καὶ εὐήθη κρόνια ἐκάλουν, καὶ κρόνους τοὺς λήρους.* Cf. *Schol. Aristoph.* nubb. 397. et *Erasm.* chill. 2, 1, 75. Sic Dionysodorus ap. *Platon.* in Euthydemo T. I. opp. p. 287. B. ad Socratem dicit: *οὕτως εἶ κρόνος, ὥστε ἃ τοπρῶτον εἴπομεν, νῦν ἀναμιμνήσκῃ, — τοῖς δ' ἐν τῷ παρόντι λεγομένοις οὐκ ἔξεις ὅ τι χρῇ;*

678) v. *Villoison.* proleg. ad Il. p. XXXI.

679) v. *Eustath.* ad *Homer.* Il. α, p. 13. et 45. etc.

680) v. *Villoisoni* anecdota Graeca T. II. p. 85.

tradiderunt et exposuerunt artem grammaticam. Alii Grammatici vocabantur *ἐνστατικοὶ*, quia quaestiones de variis locis Homericis proponebant et urgebant[681]), ut Isidorus[682]). Alii *λυτικοὶ* et *ἐπιλυτικοὶ*, quia quaestiones propositas docte soluebant, e quo genere fuit Sosibius[683]). Et poetae nonnulli appellabantur *ὀρχηστικοὶ*, quia etiam extra scenam alios saltare docebant[684]). Dithyramborum autem poetae *ἀμφιάνακτες*, quod saepissime sic ordirentur: *ἀμφί μοι ἄναξ*[685]). Poteram huius generis multo plura afferre exempla, inprimis de philosophis et poetis atque Grammaticis. Sed haec pauca sufficiant, quoniam facile illa, si quis cupiat, peti possunt e *Diogenis Laertii* vitis philosophorum, e *Suidae* lexico, ex *Jonsii* opere praeclaro de scriptoribus historiae philosophicae, et *Fabricii* bibliotheca Graeca.

Quemadmodum vero hominum nominibus interdum nomina *Θεὸς* vel *Ζεὺς* adiecta vidimus, in quorum numero sunt Antiochus Deus, et Theodorus Deus, et *Μενεκράτης Ζεύς*, ita contra constat, neque praetermittendum hoc loco videtur, Deorum quorundam nominibus tanquam agnomina addita fuisse nobilium hominum nomina. Sic apud *Herodotum*[686]) mentio fit *Διὸς Λακεδαίμονος*, a Spartanis cultus fuisse legitur *Ἀγαμέμνων Ζεὺς*[687]), *Simonides* poeta *Ἀρίσταρχον* dixit *τὸν Δία*, et *Aeschylus* *τὸν Ἅιδην Ἀγησίλαον*[688]), ab Asopiis Aescula-

681) v. *Villoison.* proleg. ad Iliad. p. XLIII.

682) ap. *Suid.* in v. *ἐνστατικός.*

683) v. *Villoison.* l. l. *Athenae.* 11, p. 493. C. et *Suid.* in v. *Σωσίβιος.*

684) v. *Athenae.* 1, p. 22. A.

685) v. *Schol. Aristoph.* nubb. 595. et *Suid.* in v. *ἀμφιανακτίζειν.*

686) 6, 56. ad quem locum vid. *Valckenar.*

687) v. quos laudauit *Meursius* Miscell. Lacon. 1, 4. Vol. III. Opp. p. 98. et 99.

688) v. *Athenae.* 3, p. 99. B. et ad eum locum *Casauboni* animaduerss. T. II. p. 175. sq. edit. *Schweighäuser.*

pius vocabatur *Φιλόλαος*[689]), Hercules a Cois *Ἄλεξις*[690]), Diana apud *Lucianum*[691]) dicitur *Τηλέμαχος*.

Iam poteram videri satis dixisse de nominum Graecorum ratione, siue propria intelligas, siue agnomina. Cum vero supra ad not. 162. sqq. praecipue disputauerim de usu loquendi, quem scriptores Latini secuti reperiantur in nominibus hominum Graecorum sua lingua efferendis, visum est hic paucula quaedam corollarii et auctarii loco addere de ratione, quae scriptoribus Graecis placuerit, ubi nomina Latinorum ipsis essent commemoranda. Et de nonnullis quidem iam supra exposui, eo quem dixi loco. Alia sunt haec: Pro C nunc ponitur a Graecis *Γ*, ut in nominibus *Γάϊος*, *Caius*, *Γναῖος*, *Cneius*, nunc *K*, ut *Ἄγκος*, *Κάμιλλος*, *Κικέρων*, *Μάρκιος*, *Σκαῦρος*, *Σκιπίων*.

Pro E interdum Graeci usi sunt litera *A*, ut in eo, quod modo memoraui, *Γναῖος*, interdum *I*, ut *Οὐίνδιξ*, *Vendix*, *Σίμπλιξ*, *Simplex*, *Πορσίνας*, *Porsena*, quanquam *Plutarchus* etiam scribit *Πορσήνας*[692]). Quae scriptura quia saepius inuenitur, vix potest librariorum errori tribui, etsi penultima illius nominis syllaba corripi solet a poetis Latinis. Alias solent Graeci E productam semper exprimere per *H*, ut *Λουκρήτιος*, *Lucretius*, correptam autem per *E*, ut *Κικέρων*, *Τουβέρων*.

Pro F scribitur *Φ*, ut *Ἀφράνιος*, *Κορνιφίκιος*, *Φάβιος*, *Φαβρίκιος*, *Φλάκκος*, *Φούλβιος*, *Fuluius*, *Φούριος*.

H siue spiritus asper nonnunquam mutatur in lenem, ut *Ἐλούϊος*, *Heluius*.

Pro I interdum utuntur litera *E*, ut *Δομετιανός*, quanquam etiam *Δομιτιανὸς* reperitur, vel *H*, ut *Σκηπίων*, de qua scriptura quid sentiam, dixi not. 697. vel *Υ*, ut *Ἀκύλας*, *Aquila*.

Pro MB scribitur *B*, ut *Φιβρίας*, *Fimbria*, quanquam etiam *Φιμβρίας* reperitur.

689) v. *Pausan.* 3, 22. p. 267. extr.
690) v. *Aristid.* Tom. I. p. 62.
691) in Lexiphane cap. 12. extr. Tom. II. p. 335. (immo 339.)
692) in vita Poplicolae c. 16. sqq.

Pro NC ponitur *ΓΚ*, ut *Ἄγκος*, *Μαγκῖνος*.

Pro NS nonnunquam simpliciter *Σ* legitur, ut *Κλήμης*, *Clemens*, *Ὁρτήσιος*, *Hortensius*, *Οὐάλης* vel *Βάλης*, *Valens*, *Πούδης*, *Pudens*, *Κώνστας*, *Constans*.

Pro O interdum *I*, ut *Ἀλλόβριγες*, *Allobroges*.

Pro QU adhibetur fere *K*, ut *Τανακυλλὶς*, *Tanaquil*, *Ταρκύνιος*, *Tarquinius*, *Κυρῖνος*, *Quirinus*, *Ἀκύλας*, *Aquila*, ubi simul obseruandum est, literam Y positam esse pro Latina I, quod idem fit in nominibus *Αἰμύλιος* et *Παπύριος*. De his tamen omnibus magna est in libris inconstantia. Nam saepe etiam scriptum inuenimus *Αἰμίλιος* et *Παπίριος*. Pro *Quintus* Graece dicitur *Κόϊντος*, et pro *Obsequens Fortuna*, *Ὀψεκουέντη*.

Pro U vocali est vel O, ut *Μόμμιος*, *Νομίτωρ*, *Πόπλιος*[693]), *Σατορνῖνος*, et saepe in terminatione, ut *Πομπήϊος*, vel *Υ*, ut *Ῥωμύλος*, *Σύλλας*, *Τύλλιος*, vel *ΟΥ*, ut *Λούκιος*[694]), *Μούκιος*, *Νουμᾶς*.

Pro U consonante alias legitur *Φ*, ut *Κορφίνιος*[695]), alias *B*, ut *Βάλης*, *Valens*, *Βάρων*, *Varro*, *Βολούμνιος*, *Λιβία*, *Λίβιος*, *Ὀκταβία*, *Ὀκτάβιος*, *Σερβιλία*, *Σέρβιος*[696]), *Σιλβία*, *Φουλβία*, *Φούλβιος*, alias *ΟΥ*, ut *Οὐαλέριος*, *Valerius*, *Οὐεντίδιος*, *Οὐετούριος*, *Οὐεσπεσιανὸς*, *Vespasianus*, *Οὐϊτέλλιος*.

Pro AE diphthongo non tantum *AI* reperitur, quod notissimum est, sed etiam *E*, ut *Σκευόλας*, *Scaeuola*[697]).

Pro AU ponitur usitatissime quidem *ΑΥ*, ut *Κλαύδιος*, *Παῦλος*, *Σκαῦρος*, sed interdum etiam simplex *A*, ut *Λαρήνσιος*, *Laurentius*.

693) Sed reperitur etiam *Πούπλιος*, ut *Νομᾶς* et *Νουμᾶς*, Numa.

694) *Lucius* tamen Graece interdum dicitur *Λεύκιος*, ut *Lucullus* tam *Λούκουλλος* quam *Λεύκουλλος* et *Λεύκολλος*. Sic *Lucani* vocantur *Λευκανοί*.

695) etsi *Coruinus* scribitur *Κορβῖνος*.

696) pro quo inuenias etiam *Σερουΐος*, ut *Ὀκταουΐος* pro *Octauius*, *Σερουΐλιος* pro *Seruilius*.

697) apud *Plutarchum* de fortuna Romanor. c. 3. Malim tamen *Σκαιόλας*, ut alias scribitur apud eundem *Plutarch.* in vita Poplicolae c. 17. utque *Fauonius* dicitur *Φαώνιος*. Sic haud dubie semper *Σκιπίων* scribendum, nunquam *Σκηπίων*.

Praeterea Graeci varie mutarunt nomina Latina, modo addentes literas, ut *'Ἀσίννιος*, *Asinius*, *Λικίννιος*, *Licinius*, *Λουκίλλιος*, *Lucilius*, *Κερεάλιος*, *Cerealis*, modo dementes, ut *Κάτλος*, *Catulus*, *Λέντλος*, *Lentulus*, modo mutantes, ut *Μάλλιος*, *Manlius*, *Περπέννας*, *Perperna*, *Σαυνῖται*, *Samnites*.

Agnomina vertere solebant nomine Graeco, idem quod Latinum significante, v. c. nomen *Augustus* nomine *Σεβαστός*. Sic *Sulla Felix* vocatur *Σύλλας 'Επαφρόδιτος* [698]).

698) v. c. ap. *Helladium* p. 15. ad q. l. v. *Meurs.* p. 59. sq. Quin ipse Sulla se sic appellauit. v. *Plutarch.* de fortuna Rom. c. 4. et de ratione se ipsum sine inuidia laudandi c. 11. et in vita Sullae c. 34. Sed nomen *Felix* recte reddi nomine Ἐπαφρόδιτος, constare vel e loco *Terentii* potest (Andr. 1, 5, 10.) ubi *infelix* et *inuenustus* sunt verba idem declarantia. v. *Terentii* interpretes. Caeterum Cn. Pompeii cognomen, *Magnus*, nonnunquam seruatur, *Μάγνος*, interdum vertitur, *Μέγας*.

II.

DE

VOCIBUS ANIMALIUM.

Quemadmodum et olim fuerunt, et nunc sunt, qui leuem esse rem grammaticam omnem, atque adeo, nisi nullius, at certe exigui momenti existiment: ita inprimis timendum est, ne qui nonnullas speciatim eius partes, quarum utilitatem ipsorum scilicet sapientia non capiat, contemnant, neque tantum ipsi rideant, sed aliis quoque deridendas propinent. Iam cum ego tale scientiae grammaticae caput mihi paulo diligentius pertractandum delegissem, non superuacuum putabam ostendere, quantum ei tribuerint viri doctissimi, et veteres et recentiores, quippe ratus fieri hac ratione posse, ut, si qui forte maleuole sentire de opera mea ausi fuerint, saltem me viros grauissimos et intelligentissimos consentientes habere cognoscant. Scilicet est locus late patens de natura usuque verborum [1]), atque, si quis complecti omnia velit, vix aetatem sufficere posse aliis rebus recte agendis perspiciet. Quapropter alii Grammaticorum hanc potissimum partem, alii aliam sibi considerandam sumserunt, quamuis nullam negligentes prorsus.

Itaque cum constet, multa in linguis verba reperiri, quae appareat ficta esse ad exprimendum rerum, quae illis significantur, sonum: non video, cur talia colligere et explicare indignum grammatici persona censendum sit. Latini ea vocant *factitia* [2]). Possis etiam *natiua* nomi-

1) Sunt verba *Ciceronis* in Oratore c. 48. extr.

2) *Priscianus* de octo partib. orationis lib. 2. p. 53. ed. Bas. 1554. 8. p. 77. ed. *Krehl.* „*Factitium* est, quod a proprietate sonorum per „imitationem factum est, ut tintinnabulum, turtur."

nare [3]), vel *una nata cum rebus ipsis* [4]), vel *confusa* [5]). Non vero probauerim, si quis huc trahat verba *ficta* [6]), aut *facta* [7]), aut *reperta* [8]). Graeci utuntur nomine *πεποιημένα* [9]), vel etiam *ποιητικά* [10]). Et Graecos quidem in talibus fingendis, siue in *ὀνοματοποιΐᾳ* [11]), maiorem

3) *Cicero* orator. partit. c. 5. „*natiua*, quae significata sunt sensu.“ *Quinctilianus* 8, 3, 36. ubi haec verba affert, inserit adiectiuum *primo* ante substantiuum *sensu*. Et *Gesnerus* per *sensum* intelligit sensum communem.

4) *Cic.* de or. 3, 37. „utemur verbis iis, quae propria sunt, et „certa quasi vocabula rerum, paene *una nata cum rebus ipsis*.“

5) *Diomedes* grammaticus lib. 2. p. 80. a. ed. Colon. 1536. 8. „vox „*confusa* est irrationalis vel inscriptilis, simplici vocis sono animalium „effecta, quae scribi non potest, ut est equi hinnitus, tauri mugi„tus.“ Cf. p. 103. Opponitur vox *articulata*. v. *Isidor*. origg. 1, 14. et *Papias* apud *Vincentium* Bellouacensem in speculo naturali 22, 6.

6) apud *Horat*. art. poet. 52. ubi v. *Franc. Luisinus*.

7) *Cic.* in oratore c. 24. in verbis alienis, quorum usus probetur in ornatu simplici, ponit etiam *factum ab ipso*, et c. 56. memorat verba *facta*. In quo utroque loco saltem dubium est, an intelligantur vocabula supra descripta. Mihi quidem *facta* non differre ab iis videbantur, quae *Aristoteles* rhetor. 3, 2. et poet. 21, 5. appellat *πεποιημένα*, h. e. scriptori alicui propria et peculiaria.

8) *Cic.* orator. partit. c. 5. *reperta* dicit, quae ex natiuis (v. paulo ante not. 3.) facta sunt, et nouata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum.

9) *Pseudo-Demetrius Phalereus* *περὶ ἑρμηνείας* §. 220. *πεποιημένα, τὰ κατὰ μίμησιν ἐκφερόμενα πάθους ἢ πράγματος*. *Dionysius* Thrax in arte grammatica c. 14. p. 31. Tom. VII. bibliothecae Graecae *Fabricii* (Vol. VI. p. 315. ed. *Harles*.) in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. II. p. 637, 18. — 20.: *πεποιημένον δέ ἐστι τὸ παρὰ τὰς τῶν ἤχων ἰδιότητας μιμητικῶς εἰρημένον, οἷον φλοῖσβος, ῥοῖζος, ὀρυμαγδός*. Conf. quae alii Grammatici in iisdem Anecdotis p. 877. eiusdem Voluminis dixerunt.

10) si quidem fides habenda *Diomedi* grammatico, qui lib. 1. p. 18. b. „quaedam, inquit, nomina facta a sonis, quae Graeci *ποιη*„*τικὰ* dicunt, ut stridor, clangor, hinnitus, mugitus.“

11) Idem *Diomedes* lib. 2. p. 101. ponit onomatopoeiam in troporum numero, ut *Scholiastes Theocriti* Idyll. 5, 141. (v. infra not. 103. Grammat. *Bekker*. l. l. pag. 877, 17. sq.) et p. 103. sic definit: „*ὀνο*„*ματοποιΐα* est dictio figurata, ad imitandum vocis confusae signifi„cationem, ut tinnitus aeris clangorque tubarum. Item, cum dici„mus, valuas stridere, oues balare, aues garrire, et caetera his si„milia.“ *Donatus* de barbarismo, qui libellus adiectus est editioni *Diomedis* supra laudatae, p. 175. a. „Onomatopoeia est nomen de

quam Latinos libertatem habuisse, *Quinctilianus* nos docet[12]). Quam ipsam ob causam Graecorum grammaticorum libri reperiuntur pleni esse praeceptis, quibus attentos reddant lectorum animos ad nomina eiusmodi verbaue factitia, quibus animalium voces significentur, vel potius exprimantur imitatione et quasi pingantur. Ut enim taceam, quae passim *Eustathius* aliique veterum poëtarum interpretes hanc in rem monuerunt, et quae, certe maximam partem, suo quaeque loco apponere haud praetermittam, non defuere, qui data opera diligenter talia colligere suum esse omnino putarent[13]), ut *Zenodotus Philetaerus*, et *Herodianus*[14]), *Pollux*[15]),

„sono factum, ut: clamorque virum, clangorque tubarum (ap. *Virgil.* Aen. 2, 313.), et: tinnitus aeris (ap. *Plin.* H. N. 11, 20.) Atque „leuem stipulam crepitantibus urere flammis (ap. *Virgil.* Ge. 1, 85.)" *Strabo* lib. 14. p. 662. A. B. edit. *Casaub.* οἶμαι δὲ, τὸ βάρβαρον κατ' ἀρχὰς ἐκπεφωνῆσθαι οὕτως κατ' ὀνοματοποιΐαν ἐπὶ τῶν δυσεκφόρως, καὶ σκληρῶς, καὶ τραχέως λαλούντων· ὡς τὸ βατταρίζειν, καὶ τραυλίζειν, καὶ ψελλίζειν· εὐφυέστατοι γάρ ἐσμεν τὰς φωνὰς ταῖς ὁμοίαις φωναῖς κατονομάζειν διὰ τὸ ὁμογενὲς ἤδη· καὶ πλεονάζουσι μὲν ἐνταῦθα αἱ ὀνοματοποιΐαι, οἷον τὸ κελαρύζειν, καὶ κλαγγὴ δὲ, καὶ ψόφος, καὶ βοὴ, καὶ κρότος· ὧν τὰ πλεῖστα ἤδη καὶ κυρίως ἐκφέρεται. *Proclus* Schol. in *Platonis* Cratylum p. 44. edit. *Boissonad.* αὐτῶν δὲ τῶν ἐτυμολογουμένων τὰ μὲν λέγεται κατὰ μίμησιν, οἷον σίζειν, etc. Similia praecipiunt *Pseudo-Plutarchus* de vita et poesi Homeri c. 16. *Isidorus* origg. 1, 36. et *Phauorinus* in v. ὀνοματοποιΐα, in v. σίζε, et saepius.

12) Institut. orator. 1, 5, 72. et 8, 6, 31. ed. *Gesner.*

13) *Dionysius* Halicarnassensis de verborum collocatione, T. II. opp. p. 14, 36. ed. *Sylburg.* μεγάλη τούτων ἀρχὴ καὶ διδάσκαλος ἡ φύσις, ἡ ποιοῦσα μιμητικοὺς ἡμᾶς καὶ θετικοὺς τῶν ὀνομάτων, οἷς δηλοῦται τὰ πράγματα, κατά τινας εὐλόγους καὶ κινητικὰς διανοίας ὁμοιότητας. ὑφ' ὧν ἐδιδάχθημεν ταύρων τε μυκήματα λέγειν, καὶ χρεμετισμοὺς ἵππων, καὶ φρυαγμοὺς τράγων, —— καὶ ἄλλα τούτοις ὅμοια παμπληθῆ, τὰ μὲν φωνῆς μιμητικὰ, —— περὶ ὧν εἴρηται πολλὰ τοῖς πρὸ ἡμῶν.

14) apud *Valckenar.* ad *Ammon.* de affinium vocabulorum differentia p. 228. sq. et apud *Ioh. Iriarte* in Regiae bibliothecae Matridensis codicibus Graecis msstis, Vol. I. Matridi 1769. fol. p. 307. sq. e Codice MS. bibliothecae Escurialensis. Conf. *Car. Chph. Plüer* Reisen durch Spanien (Lips. 1777. 8.) p. 193. — *Herodiano* in Codice Paris. 2929. tribuitur commentarius περὶ ἀκυρολογίας, diuersus ille

Phauorinus[16]), Grammatici quorum nomina sunt ignota[17]), aliique. Neque Grammaticos tantum haec causa exercuit, sed etiam medicos, ut *Caesarium*, Gregorii Nazianzeni fratrem[18]), et physicos, ut *Aelianum*[19]), summosque philosophos, *Aristotelem*[20]) ac *Theophrastum*[21]). Et sane, cum illa non minus ad cognoscendam animalium naturam pertineat, quam ad proprietatem elegantiamque orationis, et ad constituendam multis in locis veram lectionem: patet, eam non a grauitate philosophi esse alienam putandam[22]).

a libello *Polybii Sardiani* περὶ ἀκυρολογίας, de quo vid. *Iriarte* l. l. pag. 148. sq. Ex illo *Herodiani* commentario ad nostram rem facit initium, quod primus edidit *Imman. Bekkerus* Anecdotorum Graecorum Vol. III. p. 1452.

15) Onomast. 5, 86 — 90.

16) in v. χρεμετίζειν.

17) quales sunt in *Aldi Manutii* gnomicorum collectione, Venet. 1495. fol. atque inde in *Fabricii* biblioth. Graec. Vol. I. p. 724. ed. *Harles.* et in Gnomologia ab *Hieron. Aleandro* curata (Paris. 1512. 4.), post carmina Sibyllae Erythraeae. item apud *Valckenar.* l. l. p. 229 — 231. et ap. *Iriartium* l. l. p. 306. ubi leguntur quatuor fragmenta Graeca de vocibus animalium quadrupedum et auium, quae *Iriarte* paulo inferius contulit cum Grammatico Aldino s. Fabriciano, et emendare instituit. Et in *Tittmanni* prolegg. ad *Zonarae* lexicon p. XIII. in *Creuzeri* Meletematum e disciplina antiquitatis P. I. p. 10. sqq. in *Moschopuli* Opusculis grammat. p. 58. edit. *Franc. Nic. Titze*, Lips. 1822. 8.

18) Scripsit ille quaestiones et responsiones CXCV. quas Graece et Latine edidit *Fronto Ducaeus* in Auctario Graeco-Latino bibliothecae veterum patrum, T. I. Paris. 1624. fol. Ex his igitur huc pertinet caput LXXVIII. quod ultimum est in Quaestionibus theologicis et philosophicis *Caesarii* Graece et Latine primum editis ab *Elia Ehingero*, Augustae Vindelicorum 1626. 4. p. 186 — 229. Et hac quidem editione usus sum.

19) in libris de natura animalium passim, inprimis 5, 51.

20) in historia animalium.

21) tam in variis operibus nunc extantibus, quibus res naturales exponit, quam in libro peculiari nunc deperdito περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν, cuius mentionem faciunt *Athenaeus* 9, p. 390. A. et *Diog. Laert.* 5, 43.

22) „Ea namque vera et γνησιωτάτη philosophia est, quae naturae, „hoc est, Dei Opt. Max., opera scrutatur, et solidam perfectamque „eorum intelligentiam gradum facit ad illius notitiam, quem unum

Sed nec Latinos ab hac eadem de vocibus animalium quaestione abstinuisse, demonstrant grammaticorum Latinorum scripta, ut *Varronis*, *Nonii Marcelli*, *Festi*, *Papiae* [23]), aliorumque [24]). In his memoratu dignus videtur *Agno Ugutio*, qui etiam *Huiguicio* vocatur [25]). Fuit is gente Pisanus, munere Episcopus Ferrariensis, et floruit exeunte saeculo duodecimo. Scripsit enim circa annum 1192. *librum deriuationum*, hoc est, glossarium siue dictionarium, quod MS. in Bibliothecis passim reperitur [26]), et quo auxit glossarium *Papiae*, quod idem nonnunquam appellatur *Vocabulista*, et *Elementarius* [27]). Ex illo igitur *Ugutionis* libro *Carolus du Fresne* in Glossario ad scriptores mediae et infimae Latinitatis [28]) ad rem nostram spectantia excerpsit, quae ipse *Ugutio* profitetur e *Sindonio*, nesciebam quo, hausta esse, qui in libro „de naturis rerum" ponat propria verba animalium secundum vocem. Praeter grammaticos Latinos hoc de vocibus animalium argumentum attigerunt

„nosse vera est sapientia." Sunt verba *Casauboni* ad *Athenae.* 9, 13. p. 681, 43. (Tom. V. Animaduersionum p. 199. ed. *Schweighäuser*.

23) apud *Vincentium* Bellouacensem in speculo naturali 22, 6. Fuit Papias grammaticus saeculi undecimi. v. *du Fresne* prolegom. ad glossarium mediae et infimae Latinitatis p. 36. ed. Frcf. 1681. fol.

24) ut *Isidori* in originibus. Aliud opusculum de vocibus animalium sonisque diuersarum rerum Latinis primus edidit et illustrauit *Iriarte* l. l. p. 310 — 313. *Salmasius* item in notis ad *Aelii Spartiani* Antoninum Getam c. 5. „habeo, inquit, penes me paginam mstam, „veteris fragmentum vocabularii, in qua diuersorum voces anima„lium exponuntur."

25) Venetiis 1490. liber prodiit sic inscriptus: „Vocabularius com„pendiosus, ex Summa Ianuensis, Huiguicione, et Papia excerptus." Scilicet per Summam Ianuensis intelligi debet Catholicon *Iohannis de Ianua*, ut vulgo vocatur, cum verum eius nomen fuerit *Iohannis de Balbis*, et patria Genua, quae urbs illa aetate etiam Ianua dicebatur. Atque hoc Catholicon editum fuerat Augustae Vindel. 1469. fol.

26) v. *du Fresne* s. *Cangius* in praefatione ad Glossarium mediae et infimae Latinitatis, p. 37.

27) Ex hoc *Vincentium Bellouacensem* petiisse, quae de vocibus animalium tradidit, ostendimus not. 23.

28) in verbo *Baulare*.

non modo poetae Latini, ut *Ausonius* [29]), et *Albius Ouidius Iuuentinus* [30]), sed etiam philosophi, ut *Plinius* maior atque *Apuleius*. Inprimis memorabile est, quantum pretium huic quaestioni Imperator Antoninus Geta statuerit. Ei enim familiare fuit, has quaestiones grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, easque de veteribus approbare [31]).

Cum igitur tot viros graues ac doctos iam olim in hoc argumento elaborasse constet, ita ut, quo numero illud habuerint, obscurum esse non possit: nemo, opinor, mirabitur, me quoque, eorum exempla secutum, aliquam otii mei partem ei impendendam putasse, praesertim cum multi recentioris aetatis homines docti voluerint quidem illud tractare atque illustrare, sed incepta persequi et exequi non potuerint. Nam praeter *Clau-*

29) in epigrammate LXXVI.

30) Saltem huic rectius, quam Ouidio Nasoni, tribuitur elegia de Philomela, qua elegia permultarum auium et quadrupedum voces propriae indicantur. Saepe haec elegia prodiit una cum *Ouidii* heroidibus, amoribus, de arte amatoria et de remediis amoris libris, ut Lips. 1582. 8. ex postrema *Iac. Micylli* recognitione, et recensione noua *Greg. Bersmani*, p. 387. et Frcf. 1599. 8. p. 388—390. Sed sub nomine Albii Ouidii Iuuentini legitur in *Melch. Goldasti* catalectis Ouidii, Frcf. 1610. 8. et in *Ioh. Chr. Wernsdorfii* poetis Latinis minoribus, T. VI. P. II. Helmst. 1799. 8. p. 388—402. Eandem elegiam ex antiquissimis membranis, ut ipse ait, cum magna lectionis varietate edidit *Andr. Schottus* in obseruationibus humanis, Hanou. 1615. 4. 2, 51. p. 101. sq. Caeterum *Iac. Pontanus* in Φιλοκαλίᾳ s. excerptorum e sacris et externis auctoribus opere, Augustae 1626. fol. lib. 8. cap. 2. p. 264. non semper fidem haberi posse elegiae huius auctori innuit. Recte quidem, nisi prius de veritate lectionis diligenter quaesieris.

31) v. *Ael. Spartianus* l. l. Tomo I. historiae Augustae p. 741. ed. Lugd. Bat. 1671. 8. Sed *Guil. Musgraue*, qui hanc eandem Antonini Getae vitam sub *Iulii Capitolini* nomine separatim edidit Iscae Dunmoniorum et Londini 1714. 8. iusto minoris aestimasse hanc quaestionem videtur. Nam p. 38. „hisce quaestiunculis, inquit, „suos torquere, vexare, et ad incitas redigere solebat tractator Geta."

dium Salmasium[32]) operam in eo ponere constituerant *Nicolaus Erythraeus*[33]) et *Isaacus Casaubonus*[34]). Sed horum virorum, et fortassis et aliorum, conatus nobis periere, nisi quod *Johannes Christophorus Wolfius* in Casaubonianis[35]) ex variis aduersariorum Casauboni locis quaedam huc pertinentia seruauit. Quae enim *Iriarte* hanc in rem collegit[36]), ea paucissimis popularium meorum innotescere atque adeo prodesse potuere, quia liber eius in his terris inuenitur rarissime. Quae vero alii viri eruditi, ut *Joachimus Camerarius*[37]), *Johannes Rauisius Textor*[38]), *Christianus Becmanus*[39]), *Georgius Quitschreiberus*[40]), *Jacobus Pontanus*[41]), *Ju-*

32) Hic enim post ea, quae not. 24. retuli, posuit haec: „quam „hoc loco proposuissem et explicassem, si per otium mihi licu„isset.“

33) quippe qui in indice in *Virgilium* p. 181. ed. Hanou. 1603. 8. de hinnitu „plura nos, inquit, in libello, quem de vocibus animalium „scripsimus.“ Et p. 662. „Animalium omnium voces, — cum ex „Graecis tum Latinis auctoribus, libello non minus utili, quam iu„cundo, facile complexi sumus.“

34) qui in notis ad eundem *Spartiani* locum: „illustrauimus, in„quit, hunc locum in diatriba, quam scripsimus de vocibus anima„lium.“

35) Hamburgi editis 1710. 8. p. 56. — 64. Est hic libellus utilissimus. Continet enim *Casauboni* varia de scriptoribus librisque iudicia, obseruationes in utriusque foederis locos, philologicas item et ecclesiasticas, ut et animaduersiones in Annales *Baronii* ecclesiasticos ineditas.

36) Nam praeter ea, quae supra dixi ab *Iriartio* allata esse, pag. 308. sq. dedit catalogum omnium vocum animalium, quorum mentio fit in quatuor fragmentis Graecis supra laudatis, et narrat, se *glossarium zoicum* confecisse, in quo vocabula Latina, ad centum et viginti animalium voces exprimendas pertinentia, collegerit et ordine literarum digesserit. Quod tamen ipsum glossarium an unquam editum sit dubito.

37) in Commentariis utriusque linguae p. 198 — 200. ed. Basil. 1551. fol.

38) in Officina, seu naturae historia, pag. 281. sq. edit. Basil. 1562. 4. quam editionem curauit *Conradus Lycosthenes*.

39) in Originibus Latinae linguae, Witteb. 1609. 8. p. 301 — 306.

40) *Taubmannus* in Notis ad *Plauti* Fragmenta p. 1484. posuit haec: „Voces animalium, rerumque inanimatarum proprietates vo-

lius Caesar Bulengerus [42]), *Andreas Murray* [43]), aliique [44]) monuerunt, ea vel quod veterum auctoritate non

„cales, ex variis auctoribus, Latinis pariter et Graecis, studiosius „colligit nuper Thuringorum Orpheus, *Georg. Quitschreiberus.* etsi „alicubi exactiora fieri poterant." Qui cur Thuringorum Orpheus a *Taubmanno* appellatus sit, intelligi partim ex eo potest, quod anno 1598. 4. Latine edidit duodeuiginti praecepta de canendi elegantia, aliosque libellos peritiam artis musicae testantes, (v. *Ioh. Gottfr. Waltheri* musikalisches Lexicon, Lips. 1732. 8.) partim ex ipsa inscriptione libelli eximie rari, qui ad nostrum argumentum pertinet: „Voces quaedam animalium diuersorum, rerumque inanimatarum „proprietates vocales; ex Iulio Polluce, Aristophane, Isidoro, aliis„que scriptoribus tum Graecis tum Latinis, hinc inde in gratiam iuuen„tutis comportatae, a *Georgio Quitschreibero*, Ienensium Cantore, Ien. „1612. 8." Absoluitur totus libellus una plagula et dimidia. Unde per se quilibet perspicit, fere nude posita esse nomina et verba, non nisi paucissimis veterum auctoritatibus additis. Continet etiam multa inusitata et barbara, quae ex *Ugutione* et similibus petita esse arbitror, et quorum pleraque ipse quoque usitatis et probatioribus addenda existimaui. Ut autem uti hoc libello rarissimo possem, singularis humanitas fecit *Iohannis Augusti Görenz*, qui anno 1806. Lycei Zwiccauiensis Rector eum ex instructissima Lycei illius bibliotheca mihi transmisit, atque per aliquod tempus eo uti permisit.

41) in Φιλοκαλίᾳ, lib. 8. cap. 2. p. 264.

42) de venatione circi c. 20. p. 781. sq. Tom. IX. thesauri antiquitatum Romanarum Graeuiani.

43) in Demonstratione Dei ex voce animalium, Hamburgi 1724. 8. edita, ubi p. 34. laudatur Theatrum uniuersale omnium animalium, ab *Ioh. Ionstono* collectum et ab *Henrico Ruyschio* editum, in cuius parte secunda et tertia multorum animantium voces Latinis nominibus describantur. Iam sciebam quidem, *Ionstonum* ipsum inscripsisse librum suum *Historiam animalium*, sed *Ruyschium* ei hunc titulum fecisse: *Theatrum uniuersale omnium animalium, maxima cura a* Ioh. Ionstono *collectum*, atque hoc opus Amstelodami 1718. fol. duobus voluminibus, sex partes complexis, denuo edidisse. Sed neutram editionem unquam videram.

44) ut *Sam. Bochartus* in hierozoico lib. 1. c. 2. p. 7. ed. Lugd. Bat. 1692. fol. *Frider. Hofmannus* in epigrammatibus p. 158. sq. *Ioseph. Scaliger* in coniectaneis ad *Varronis* de lingua Latina libros p. 127. 164—167. ed. *Henr. Steph.* 1573. 8. et passim, *Guil. Musgraue* loco supra laudato, *Ioh. Baptista Pius* in annotationibus linguae Latinae Graecaeque cap. 20. (in *Gruteri* lampade s. face artium liberalium T. I. p. 416. sq.) *Hadr. Iunius* in Nomenclatore, Frcf. 1596. 8. p. 312—315. *Dan. Wilh. Trillerus* Obss. crit. 4, 1. p. 304—307.

munita sint, vel alias ob causas, non sufficere ad rem plene et accurate tradendam, quicunque inspexerit, facile intelliget ac largietur. Equidem ita rem agam, ut primo exponam de quadrupedum et reptilium, deinde de auium et insectorum, denique de aquatilium et amphibiorum vocibus, atque postremo ostendam, quomodo ad varias res alias illa vocabula transferantur. Sequar autem ordinem literarum, a quibus nomina formarum cuiusque generis incipiunt. Quadrupedum igitur agmen ducat

Agnus, qui, ut ouis, proprie dicitur Graece βληχᾶσθαι[45]), Latine *balare*[46]). Sed sunt etiam loci, ubi legitur ἀΰτεῖν[47]), et vox eius dicitur ἰωὴ[48]), quae quidem patet esse verba generis.

Aper dicitur *frendere* Latine[49]). Hoc vero ad dentes pertinere, non ad vocem, et usus loquendi Latinorum ostendit, et *Archiae* epigramma[50]), ubi aprum Calydonium dicit θηκτὸν ὀδόντα βρύχοντα. Possit ei potius *raucus stridor* tribui[51]). Certiora afferam in vocabulo *Sus* et *Verres*.

Aries dicitur *blacterare*[52]), item *lorcitare* et *lorectare*[53]). Sed horum omnium auctoritates desiderantur, neque ego probem, si quis arietis vocem significaturus his vocabulis utatur. Immo praedicari eadem de illa debent, quae de voce ouium, de qua v. infra suo loco.

45) *Oppian.* cyneget. 1, 145. βληχάδας ἀμνώ. 4, 96. tribuitur agnis βληχή. *Caesarius* l. l. cap. 55. p. 122. extr. τὸ μυριάμνον ἐπὶ τοῦ ἕλους βληχώμενον.

46) *Ael. Spartianus* l. l. agni *balant*. *Virgil.* Aen. 9. 61. sq. tuti sub matribus agni *Balatum* exercent. Cf. not. 125.

47) *Oppian.* cyneget. 4, 93. ἀμνὸς αὔτεῖ.

48) Ibid. vers. 94.

49) Carmen de philomela v. 52. *frendet* agrestis aper. Cf. *Vincent. Bellouac.* l. l. et *Ugutio* l. l. et *Ouid.* A. A. 1, 46. *Quitschreiber*: aper *fremit*, *frendet*. *Plaut.*

50) in *Brunckii* analectis veterum poetarum Graec. T. II. p. 95. nr. XII.

51) cum *Ouidio* met. 8, 287.

52) Carmen de philom. 56. *blacterat* hinc aries. *Schottus* edidit: *braterat* ast aries. *Quitschr.* habet etiam *blaterat*, *blatterat*.

53) v. *Vincent. Bellouac.* l. l. et *Ugutio* l. l. qui exhibet *lorettare*.

Asinus Graece dicitur ὀγκᾶσθαι proprie[54]), sed etiam βρωμᾶσθαι[55]), quod tamen *Pausanias* Grammaticus[56]) proprie de asinis masculis esurientibus dici auctor est. Tribuitur asino etiam βοὴ[57]) et τραχύτης φθέγματος[58]). Latine dicitur *rudere*[59]). Nam *oncare*, quamquam apud nonnullos scriptores legitur[60]), non ego tulerim.

54) Grammaticus *Aldi Manutii*, de quo not. 17. dixi: ἐπὶ ὄνων βρομᾶσθαι (sic etiam Codex 132. apud *Creuzerum* l. l.) λέγουσι δὲ καὶ ὀγκᾶσθαι. Cod. 45. apud *Creuzerum* l. l. βρωμᾶσθαι καὶ ὀγκᾶσθαι ὄνων. *Pollux* 5, 88. ὄνων δὲ, βρώμησις, βρωμᾶσθαι, βρωμώμενοι. τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἐπὶ ἡμιόνων ἐρεῖς. εἴρηται δὲ καὶ ὀγκώμενοι. καὶ ὀγκηστὰς ἔνιοι τῶν ποιητῶν τοὺς ὄνους ἐκάλεσαν. Grammaticus anonymus ap. *Valckenar.* ad *Ammon.* l. l. p. 231. ὄνος βρωμᾶται, τινὲς λέγουσιν ὀγκᾶται. *Hesychius:* ὀγκηθμός· κραυγὴ ὄνου. *Phauorinus* l. l. ὀγκᾶσθαι ἐπὶ ὄνου, καὶ βρωμᾶσθαι. *Aristoteles* hist. animm. 9, 1. κἂν ὀγκήσηται. *Oppian.* ἰξευτικ. 1, 10. ὄνος ὀγκησάμενος. *Aesop.* fab. 113. ὀγκωμένου ἤκουσα. *Secundus* in *Brunckii* analectis T. III. p. 5. nr. II. τὸν ὀγκηστὴν ὄνον. *Lucian.* in Baccho c. 4. T. III. p. 78. ὁ τοῦ Σειληνοῦ ὄνος ἐνυάλιόν τι ὠγκήσατο. Ver. hist. 1, 17. T. II. p. 83. οἱ ὄνοι ὠγκήσαντο. Asin. c. 15. T. II. p. 583. asino tribuitur ὀγκηθμὸς. *Aelian.* H. A. 5, 50. galli gallinacei μυκήσεων καὶ ὀγκήσεων οὐ ποιοῦνται ὤραν. Sic *Lucian.* marin. dial. 1, 4. p. 290. T. I. de Polyphemo canente: ὄνον ἄν τις ὀγκᾶσθαι ἔδοξε. *Caesarius* l. l. cap. 50. p. 110. ὄνος ἀνακράζων καὶ ὀγκώμενος.

55) *Ammonius* p. 144. et *Herodianus* l. l. βρωμᾶσθαι, ἐπὶ ὄνων. Cf. quae paulo ante not. 54. attuli: *Hesych.:* βρωμᾶσθαι· ὀγκᾶσθαι. *Zenodotus* l. l. ἐπὶ ὄνων βρωμᾶσθαι. λέγουσι δὲ ἄλλα σπάνιον. Vera lectio e Codice MS. ab *Iriartio* p. 308. b. exhibetur: λέγουσι δὲ καὶ ὀγκᾶσθαι, ἀλλὰ σπανίως. quae ipsa habet Grammaticus *Tittmanni* l. l. addens τοῦτο post σπανίως. Sic Anonymus apud *Moschopulum* l. l. ἀλλὰ σπάνιον τοῦτο.

56) *Eustathius* ad *Homer.* Il. ν, p. 885. ed. Basil. τὸ βρωμᾶσθαι, ὃ καὶ ἐκτείνεται, φησὶν ὁ Παυσανίας ἐπὶ ἀρσένων ὄνων τίθεσθαι, ὅτε λιμώττουσιν. ἵνα ᾖ, φησὶ, βρωμᾶσθαι, τὸ βρώμης, ὅ ἐστι τροφῆς, δεῖσθαι.

57) *Herodotus* 4, 135. ἵνα οἱ ὄνοι βοὴν παρέχωνται.

58) Pausan. descript. Graeciae 10, 18. ὄνου — ὄνον θήλειαν διώκοντος σὺν ὕβρει τε τῇ ἄλλῃ καὶ τραχύτητι τοῦ φθέγματος. Etiam in *Aesop.* fab. 113. asinus simpliciter dicitur φθέγξασθαι.

59) *Quitschr.* „i, a *Virgil.* Aen. 8." Quinam *Virgilii* locus intelligatur, non ego dixerim. *Plinius* H. N. 10, 74. vox *rudentis* asini. *Nonius Marcellus* pag. 476. et Antuerp. 1565. 8. Varro asinos *rudere* dixit. *Spartianus* l. l. asini *rudunt.* Ubi *Salmasius* e codice Palatino

Barrus, v. infra *Elephas*.

Basiliscus, v. infra *Serpens*.

Bonassus fere eandem habet vocem, quam bos [61]).

Bos dicitur proprie *μυκᾶσθαι* [62]), item *μωκᾶσθαι* [63]), et *βοᾷν* [64]), Latine *mugire* [65]) et *bouare* [66]). Cf. *Iuuenca*, *Taurus*, *Vitulus*.

memorat lectionem *ragiunt*, quod verbum alibi de asinis dictum se meminisse ait. *Festus* in v. rodus: *rudentes* asini, cum voces mittunt. *Ausonius* l. l. asinos quoque *rudere* dicas. *Ouid.* fastt. 1, 433. *rudens* rauco ore asellus. Art. am. 3, 290. *rudit* asella. Carmen de philomela 55. tardus *rudit*, *oncat* asellus. *Cf. Vincent. Bellouac.* et *Ugutio* ll. ll. Grammaticus apud *Iriart.* p. 310. b. „asini *rudiunt.*" Sic *Apuleius* metamorph. 7, p. 193. ed. *Elmenhorst.* de se asino facto: *rudiui* fortiter. 8, p. 215. audito *ruditu* meo. Florid. p. 357. vox hominis et tuba *rudore* toruior. Cf. *Laurenberg.* in Antiquario p. 391. *Persius* 3, 9. Arcadiae pecuaria *rudere* credas.

60) Ut in Philomela (v. not. 59.) ubi tamen in margine editionis *Bersmani* adscriptum est *uncat*. Hinc *Scaliger* l. l. p. 167. „*oncant* asini, inquit, non *rudunt*. *ὀγκᾷν*."

61) v. *Aristot.* H. A. 9, 45.

62) *Eustathius* ad *Hom.* Odyss. *μ*, 265. p. 1721, 20. ed. Rom. *κυριολεκτῶν λέγει* (Ulysses) *μυκηθμὸν ἀκοῦσαι βοῶν αὐλιζομενάων. μυκῶνται γὰρ αἱ βόες.* Grammaticus *Aldi* l. l. et *Tittmanni* l. l. et *Moschopuli* l. l. *ἐπὶ βοῶν, μυκᾶσθαι.* In Codice 132. apud *Creuzerum* l. l. male scriptum est *μηκᾶσθαι*. *Pollux* 5, 87. *βοῶν δὲ, μύκημα, μυκηθμὸς, μυκᾶσθαι, μυκώμενος.* *Moschopulus περὶ Σχεδῶν* p. 245. *μυκηθμὸς, ἡ τοῦ βοὸς φωνή.* *Ammon.* p. 144. *μυκᾶσθαι δὲ ἐπὶ τῶν βοῶν διὰ τοῦ ῡ.* *Nonnus* ap. *Bulengerum* l. l. *μύκημα βοῶν.* Cf. *Schol. Aristoph.* Plut. 689. Anonymus et *Zenodot.* ap. *Valckenar.* l. l. pag. 228. sq. *Theocrit.* 16, 37. *μόσχοι σὺν βόεσσι ἐμυκήσαντο.* Il. *υ*, 497. *βοῦς ἐρίμυκος.* *Aratus* 1118. *βόες μυκηθμοῖο περίπλειοι.* *Apollon. Rhod.* 4, 969. *μυκηθμὸς βοῶν.* *Oppian.* cyneget. 2, 50. *ὁππότε μυκήσαιντο ἄγριοι βόες.* *Pausan.* 9, 19. *ἡ βοῦς ἐμυκήσατο.* *Dio Cass.* 51, 17. *ὁ Ἄπις ὀλοφυρτικόν τι ἐμυκήσατο καὶ κατεδάκρυσε.* Cf. *Geoponic.* 1, 3, 10. et paulo ante not. 54.

63) *Phauorin.* l. l. *μυκᾶσθαι ἐπὶ βοὸς, διὰ τοῦ ῡ ψιλοῦ, καὶ μωκᾶσθαι.* Dubito, an recte. Vid. not. 67.

64) *Aelian.* hist. animm. 7, 8. *βοῦς ἐὰν βοᾷ.* *Quintus Smyrnaeus* de reditu Graecorum, in *Neandri* opere aureo T. II. p. 112. bos, cui vitula rapta est, *μακρὰ βοῶσα κινύρεται.* Quid sit *κινύρεσθαι*, optime cognoscas e *Schol. Apollon. Rhod.* 1, 292. Cf. *Casauboniana* p. 57. et *Becman.* l. l. p. 304. Ad prodigia pertinet, quod ap. *Dion. Cass.* 48, 21. *βοῦς* dicitur *φθέγξασθαι ἀνθρωπίνῃ φωνῇ.*

65) *Varro* apud *Nonium* l. l. p. 184. *mugit* bos. *Festus* p. 260. ed.

Camelus Graece *μωκᾶται*[67]), Latine *blaterat*[68]).

Canibus, ut natura varias voces, ita his utraque lingua tribuit varia nomina. Et usitatissimum quidem est, ut dicantur *ὑλακτεῖν*[69]), *ὑλάειν*, *ὑλάσσειν*[70]), Latine *la-*

Gothofr. mugitus est sonus boum. *Ugutio* l. l. boum *mugire. Virgil.* Aen. 8, 215. *mugire* boues. 218. una boum *mugiit.* 361. armenta *mugire. Ouid.* fastt. 1, 560. boues *mugitum* rauco dedere sono. *Liu.* 1, 7. quum actae boues ad desiderium relictarum *mugissent.* Sic *Ouid.* art. am. 1, 279. *admugit* femina tauro.

66) v. *Varro* de lingua Lat. 6, 5. *Gloss. vett. bobantes*, *βοῶντες*. *Nonius* p. 106. *bount* dictum a boum *mugitibus.* Anonymus apud Iriart. p. 310. b. „Boues *mugiunt* vel *reboant.*" *Quitschr.* bos ut taurus mugit, boat. *Plaut.* [Amphitr. 1, 1, 77.]

67) Anonymus ap. *Valckenar.* l. l. p. 231. *κάμηλος μωκᾶται.* Grammaticus apud *Tittmann.* l. l. *ἐπὶ καμήλων μωκᾶσθαι.* Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. *καμήλου μωκᾶσθαι.* Vix tamen vera praecepisse videantur Grammatici isti, cum nullus veterum verbo *μωκᾶσθαι* sic usus esse reperiatur, quod potius significat *subsannare.* v. *Bergler.* ad *Alciphr.* p. 136. Neque magis probem, quod apud *Moschopulum* l. l. legitur: *ἐπὶ καμήλου, κωμᾶσθαι.*

68) *Festus* p. 260. camelos, cum voces edunt, *blaterare* dicimus. *Bulengerus* l. l. p. 781. scripsit: „cameli *blaterant βλάζ.*" Ubi reponendum est *βλάξ*. Nam *Festus* verbis modo allatis praemisit haec: „blaterare est stulte et percupide loqui, quod a Graeco *βλὰξ* originem ducit." *Quitschr.* camelus blacterat, blaterat, blatit, a *βλάξ*. *Gell.* [1, 15.]

69) *Ammonius* quidem p. 144. *ἀρρίζειν δὲ*, inquit, *ἐπὶ κυνῶν, παρ' Ἀθηναίοις, ἀπὸ τῆς ἄρ φωνῆς, παρ' ἡμῖν δ' ὑλακτεῖν λέγεται.* Sed noluit negare, Atticum esse verbum *ὑλακτεῖν*, verum ostendere voluit, sonum illum, quem irritata canis emittit, vulgo simul comprehendi verbo generis *ὑλακτεῖν*, cum Attici illum significauerint proprio verbo *ἀρρίζειν*, siue *ἀῤῥίζειν*. v. infra, not. 83. et 84.

70) *Pollux* 5, 86. *φωναὶ ζώων, κυνῶν μὲν ὑλακή, καὶ ὑλαγμὸς καὶ ὑλακτεῖν, ὑλακτοῦντες. Eustath.* ad Odyss. *π*, 4. sq. p. 1761, 63. ed. Rom. *οὐκ ἔχει δὲ καιριωτέραν ἐπὶ κυνῶν λέξιν εἰπεῖν — τοῦ ὑλάειν, ἐξ οὗ παράγωγον τὸ ὑλάσσειν καὶ τὸ ὑλακτεῖν. ὧν ἀγριώτατον μὲν, ἡ ὑλακή.* Grammaticus *Aldi* l. l. et apud *Moschopul.* l. l. *ἐπὶ κυνῶν ὑλακτεῖν. Theocrit.* idyll. 6, 10. *κύων βαΰσδει. Schol.* ad h. l. *τὸ βαΰζειν, ἐπὶ τῶν σκυλακίων λέγεται κυρίως· ἐπὶ δὲ τῶν τελείων κυνῶν τὸ ὑλακτεῖν λέγουσιν. Zenodotus* ap. *Valckenar.* l. l. p. 228. et Anonymus apud *Tittmannum* l. l. *ἐπὶ κυνῶν ὑλακτεῖν.* Anonymus ap. *Valckenarium* l. l. p. 231. *κύων ὑλακτεῖ.* Cf. *Phauorin.* l. l. et infra not. 73. *Pausanias* 4, 21. *οἱ κύνες οὐ κατὰ τὰ εἰωθότα ὑλακτοῦντες, ἀλλὰ συνεχεστέρᾳ καὶ βιαιοτέρᾳ τῇ κραυγῇ χρώμενοι.*

trare [71]). Sed magis ad verba factitia pertinent *βαβίζειν* [72]), *βαύζειν* [73]), et Latina *baubare* [74]) et *glauci-*

Homer. Odyss. υ, 14. sq. κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει. *Theocrit.* idyll. 25, 70. κύνες ὑλάοντες. *Oppian.* cyneg. 2, 456. κυνὸς ὕλαγμα. 3, 281. κύνες ὑλάουσι — ὑλακόωντες. 4, 219. canis ὀρυθμοῖς ὑλάει. 367. οἰκτρὰ ὑλακόων. *Quintus Smyrnaeus* l. l. p. 114. κύων κινυρομένη — μακρὸν ὑλαγμὸν ἵησιν. — ὑλακῇσι κινύρεται. *Tryphiodorus* de Ilii excidio, in *Neandri* op. aur. T. II. pag. 204. κύνες ὑλάοντες — ἐπ' ἀνδράσιν ὠδύροντο. Verbum ὑλάσσειν non memini apud veteres legere. Sed *Chariton* 6, 4. p. 187, 20. ed. Lips. habet κυνῶν ὑλασσόντων. Et fortassis apud eundem 4, 2. p. 88, 11. rectius legatur οἱ γὰρ κύνες ὑλάσσοντες ἐμήνυσαν αὐτοὺς, quam φυλάσσοντες.

71) Carmen de Philomela v. 59. rite canis *latrat.* ubi *Schottus* l. l. pro *rite* edidit *porro.* *Ausonius* l. l. *latratus* fingis catulorum. *Ouid.* metamm. 13, 806. ceruo claris *latratibus* (canum) acto. Cf. *Lucan.* 6, 688. Sic ap. *Ouid.* metamm. 8, 412. *latrans* simpliciter dictum legitur pro *canis*, e quo satis apparet, quam proprium illud sit hoc in genere verbum.

72) Anonymus *Valckenarii* l. l. κύων βαβίζει. Sed exemplum huius verbi nusquam reperi.

73) *Eustath.* ad Odyss. ξ, 29. p. 1749, 40. δῆλον ὅτι κυνῶν ἴδιον ἡ ὑλακὴ, ὥσπερ καὶ τὸ ὑλακτεῖν, καὶ τὸ βαΰζειν δὲ παρὰ Θεοκρίτῳ. (Verba *Theocriti* cum scholio dedi not. 70.) *Phauorinus* l. l. ὑλακτεῖν, ἐπὶ κυνός· βαΰζειν ἐπὶ τῶν σκυλακίων. *Pollux* 5, 86. εἰρήκασι δέ τινες τῶν ποιητῶν καὶ βαΰζειν τοὺς κύνας. *Plutarch.* an seni sit gerenda resp. c. 7. κύνες βαΰζουσιν ὃν ἂν μὴ γινώσκωσι. *Hesych:* βαύζειν· ὑλακτεῖν. Et ego quidem unice verum putabam βαύζειν, et semper sic scribendum, nunquam βαΰζειν, in iis quidem libris, qui prosa oratione scripti sunt. Nam in hac scriptura non apparet ὀνοματοποιΐα, quae tamen non modo manifeste e verbo Latino *baubare* intelligitur, sed etiam multo magis e loco *Aristophanis* Vespp. 898. ubi canis introducitur hunc sonum edens: αὖ αὖ. Et scholiastes adnotat haec: μιμεῖται τὴν φωνὴν τοῦ κυνός. Pronunciandum enim est *af af.* Egregie hinc locum *Plauti* in prologo Casinae v. 34. illustrauit *Ianus Dousa* in centurionatu siue Plautinis explanationibus, Lugd. Bat. 1587. 12. lib. 2. c. 1. p. 185. Verba enim Comici sunt: „Latine scripsit Plautus cum latranti nomine.“ Ubi *Dousa* docet, syllabam *Plau* in nomine *Plautus* efferendam esse in modum digammatis (F) *Plaf.* Plura dicam inferius.

74) *Nonius* p. 108. *baubare*, latrare, a canum voce, Anonymus *Iriartii* p. 311. a. „canes *baubant*, vel *latrant*, vel *ganniunt.*“ *Lucretius* 5, 1070. canes desertei *baubantur* in aedibus. *Gloss. vett. baubantur*, ὑλακτοῦσιν. Item: *baubant*, latrant, ὑλακτοῦσιν. *Ugu-*

tare[75]). Quemadmodum autem his verbis omnibus indicatur tam adultorum canum quam catulorum latratus in uniuersum: ita latratus acutus et vehementior nominatur *κλαγγὴ*[76]), quo etiam verbum *κλάζειν*[77]) refero, sed submissior atque exilior vocatur *κνυζηθμὸς*[78]) et Latine *gannitus*[79]). Saepe etiam dicuntur *ὠρύεσθαι*[80]) et

tio l. l. „*baulare*, latrare, et est proprie canum." Item: „canum „*latrare*, seu *baulare*."

75) Carmen de Philomela v. 60. *glaucitat* et catulus. *Schottus* edidit *glutinat*. Apud *Vincentium Bellouac.* legimus, catulos *glattire* vel *glatilare*. Sic et *Ugutio*: „catulorum *glattire*." Grammaticus apud *Iriart*. p. 311. a. „catuli *glactilant*." Ex his omnibus ego unum *glaucitare* probauerim. Fictum enim apparet ad imitationem soni, qualis est catulorum vehementer dolentium aut sitientium.

76) *Pollux* 5, 86. *κατὰ δὲ Ξενοφῶντα, καὶ κλαγγή. φησὶ γάρ, ἐπανακεκλαγγυῖαι.* Sed hodie in *Xenophontis* libris Cyneget. 4, 5. et 6, 23. legitur *ἐπανακλαγγάνουσαι* et *κεκλαγγυῖαι*. v. Lexic. Xenoph. *Homer.* Odyss. ξ, 30. *κύνες κεκλήγοντες ἐπέδραμον.* ubi *Eustath.* p. 1749, 40. *τὸ κεκλήγοντες, ἀπὸ οἰωνῶν ἐνταῦθα μετῆκται.* *Theocrit.* epigr. 6, 5. *αἱ κύνες κλαγγεῦντι.* Ap. *Aristoph.* Vespp. 924. sq. canis dicit: *ἵνα μὴ κεκλάγκω — τολοιπὸν οὐ κεκλάγξομαι.*

77) *Theocrit.* idyll. 25, 72. *κύνες κλάζον.* *Xenoph.* Cyrop. 1, 4, 15. *σκύλαξ γενναῖος ἀνακλάζων ὁπότε πλησιάζοι θηρίῳ.*

78) *Pollux* 5, 86. *καὶ κνυζᾶσθαι εἴποις ἄν.* *Homer.* Odyss. π, 163. *κύνες οὐχ ὑλάοντο, κνυζηθμῷ δ' ἑτέρωσε φόβηθεν.* Ubi *Eustath.* p. 1798, 16. per *τὸν κνυζηθμὸν* intelligit *ποιὸν κλαυθμὸν τῶν κυνῶν.* *Oppian.* cyneget. 1, 505. sq. *ὁπότ' ἴχνεος τυχήσῃ, καγχαλάα, κνυζεῖ* (*Rittershus.* *κνίζει*) *τε κεχαρμένος.* *Schol. Aristoph.* Vespp. 971. *κνυζηθμὸς λέγεται ποιά τις ἐπὶ κυνῶν φωνή.* *Schol. Theocrit.* idyll. 6, 30. *κνυζηθμὸς λέγεται ἡ τῶν κυνῶν ἄσημος ὑλακή.* 2, 109. *τὸ κνυζᾶσθαι ἐπὶ τῶν κυνῶν λέγεται κυρίως, ὅτε προσερχόμενοι τινὶ, φωνήν τινα ἀπὸ χαρᾶς ἀφιᾶσιν.*

79) *Nonius* p. 476. *gannire* cum sit proprie canum, *Varro* canes *gannire* dixit. Cf. paulo ante not. 74. *Festus*: *gannitio*, canum querula murmuratio. Scilicet *κνυζῶνται* et *ganniunt* canes gestientes ob herorum aduentum. v. *Scalig.* coniectan. ad *Varron.* p. 165. qui confert Homericum *γάνυσθαι*, idque semper dicit esse gestu quodam oris exprimere gaudium ob amici aut alius cari aduentum, ut Iliad. ξ, 503—505. Odyss. μ, 42. sq. et laudat verba *Lucretii* 5, 1069. „*gannitu* vocis adulant" canes, cum catulos lambunt aut lactant. Caeterum in *Gloss. vett.* ubi nunc legitur: „*gannit, σκύζει*," reponendum videtur: *gannit, κνυζεῖ*." Cf. paulo post not. 90. et quae ad *Dion. Cass.* 40, 17. p. 256. Annotationum dixi.

80) *Zenodotus* ap. *Valckenar.* l. l. p. 229. *ὠρυγὴ κυρίως ἡ τῶν κυ-*

ululare[81]). Illud genus vocis, quod e canibus irritatis auditur ante latratum et post, videtur pluribus verbis significatum esse, ut ῥάζειν[82]), ἀῤῥάζειν[83]), ἀραρίζειν[84]), ῥοίζειν[85]), ῥύζειν[86]). Et his quidem respondet Latinum *hirrire*[87]). Sed γρύζειν[88]) est *mutire*[89]), et

νῶν φωνὴ, καὶ ὠρύεσθαι. Grammaticus *Aldi* l. l. et Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. ἐπὶ λύκων ὠρύεσθαι. κυρίως δὲ καὶ ἡ τῶν κυνῶν φωνὴ ὠρυγή. Eadem habet Anonymus apud *Moschopulum* l. l. et Grammaticus *Tittmanni* l. l. sed particula καὶ omissa. *Appian.* bell. ciuil. lib. 4. pag. 955. ed. *Toll.* κύνες ὠρύοντο ὁμαλῶς οἷα λύκοι. *Theocrit.* idyll. 2, 35. κύνες ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται. *Dio Cassius* 45, 17. κύνες πολλοὶ νυκτὸς ὠρύοντο. *Pausan.* 4, 13. οἱ κύνες κατὰ πᾶσαν νύκτα ὠρύοντο. *Quintus Smyrn.* de Ilii excidio 2, p. 66. et de reditu Graecorum p. 114. ed. *Neandri:* κυνῶν ὠρυθμός. Sic ap. *Oppian.* Cyneg. 4, 219. canis ὠρυθμοῖς ὑλάει.

81) *Virgil.* Aen. 6, 257. visae canes *ululare.* Ad q. l. *Seruius:* „*ululare* et canum et furiarum esse diximus." *Ouid.* Met. 15, 797. nocturnos *ululasse* canes. *Iul. Obsequens* de prodigiis c. 124. nocturni *ululatus* flebiles canum auditi. *Plin.* H. N. 8, 40. canem, moestos edentem *ululatus.*

82) *Eustathius* tamen ad Odyss. π, p. 1792, 21. ed. Rom. minus diligenter, opinor, docet haec: σημείωσαι δ' ἐν τοῖς περὶ τοῦ ὑλάειν ῥηθεῖσι, καὶ ὅτι τὸ αὐτὸ καὶ ῥάζειν καὶ ῥοίζειν λέγεται. φέρεται γὰρ ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ, ὅτι ῥάζειν καὶ ῥοίζειν, κυρίως μὲν τὸ ὑλακτεῖν, μετήνεκται δὲ ἐπὶ τοὺς πικραινομένους καὶ σκαιολογοῦντας. Cf. *Suidas* in v. ῥαζεῖν.

83) *Aelian.* H. A. 5, 51. τισὶ (ζώοις) ὑλαγμὸς φίλον καὶ ἀῤῥάζειν. *Pollux* 5, 86. καὶ ἀράζειν καὶ ἀράζοντας. (Sed *Valckenar.* ad *Ammon.* p. 232. docet, scribendum esse ἀῤῥάζ. ut habet *I. B. Pius* l. l.) *Philo* T. I. p. 694. τὴν κυνώδη γλῶσσαν ὑλακτοῦσάν τε καὶ ἀράζουσαν. Verum *Herodianus* l. l. haec praecipit: ἀῤῥίζειν ἐπὶ κυνῶν παρ' Ἀθηναίοις, ἀπὸ τῆς ἄρ φωνῆς. παρ' ἡμῶν τούτοις τὸ ὑλακτεῖν λέγεται. quae ultima quomodo emendanda sint, apparet ex not. 69.

84) v. not. 69. et 83.

85) v. not. 82.

86) *Pollux* 5, 86. καὶ ῥύζειν, καὶ ῥύζοντας. Neque admodum differre videtur ῥόζειν. *Suidas:* ῥόζειν· ῥέγχειν, ὑλακτεῖν. κυρίως μὲν, ἐπὶ τῶν κυνῶν· μεταφορικῶς δὲ, ἐπὶ ἀνθρώπων.

87) *Festus: hirrire*, garrire, quod genus vocis est canis rabiosae. Unde *Bulengerus* l. l. p. 780. in *Gloss. vett.* pro *hittus* legendum putat *hirrus.* Immo *hirritus* est reponendum. *Sidonius* epistt. 9. ult. prodat *hirritu* rabiem canino. 7, 3. veluti est canibus innatum, ut, etsi non latrant, *hirriant* tamen. Cf. *Nonius* p. 60. ubi tamen de le-

σκυζᾷν[90]) videtur non omnino male comparari cum Latino *nictere* siue *nictare*[91]). Quamlibet canum vocem indicant verba ἀπύειν[92]), ἀΰτεῖν[93]) et φωνεῖν[94]), et no-

ctione non satis constat. Scilicet irritare dictum esse ait proprie prouocare, et tractum a canibus, qui cum prouocantur *irruunt*. Alii vero legunt *irriunt* vel *hirriunt*. Genus vocis ipsum breuiter sic describit *Scaliger* coniectan. Varron. p. 127. „*hirriunt* et *ringunt* canes, cum iam restringunt dentes.“ Quae eius verba, non nominato auctore, repetiit *Bulengerus* l. l. Sed *Quitschr.* addit etiam *garrit*, haud dubie propter *Festi* verba modo allata.

88) Exod. 11, 7. et Iudith. 11, 19. οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ. Sed in priore loco Cod. Oxon. habet βρύξει.

89) *Vincentius Bellouac.* l. l. canes *mutire* vel *latrare*. *Scaliger* et ex eo *Bulengerus* ll. ll. canes *mutiunt*, cum incipiunt irritari: ab eo, quod *M* vel *Mῦ* videntur edere. Idem *Scaliger* p. 164. *Mu* canum est: unde dicuntur *mutire*. Hinc *Apuleius* metamorph. 8, pag. 202. canum venaticarum tacitam *mussitationem* opponit *latratibus* feruidis. Cf. *Varro* de lingua Lat. 6, 5.

90) *Pollux* 5, 86. σκυζᾷν δὲ, τὸ καθεύδοντας ὑποφθέγγεσθαι. Alias verbum σκυζᾷν significat ἐπὶ συνουσίᾳ ὁρμᾷν, interprete *Suida*, quod Latini uno verbo vocant *catulire*. Cf. *Bochart.* hieroz. lib. 2. c. 56. p. 680. sq. qui σκύζειν in *Polluce* legendum non male iudicat.

91) *Festus*: *Nictit* canis in odorandis ferarum vestigiis leuiter *ganniens*, ut *Ennius* lib. X. veluti si quando vinclis venatica venenox, apta solet, si forte ex nare sagaci sensit, voce sua *nictit ululatque* ibi acuta. Unde et ipsa *gannitio*. *Varro* de L. L. 4, 19. quod — nocticulus in custodia et venando signum voce dat, canis dictus. *Scaliger* ad h. l. p. 46. emendat *nictaculus*, et haec addit: Est enim elegantissima vox a *nictando* detorta, quod Graeci dicunt σκυζᾷν: quod solent facere canes in venatu et in custodia. Idem p. 165. ita restituit versus *Ennii*:

Sicuti si quando vinclo venatica aeno
Apta solet cani', forte feram si ex nare sagaci
Sensit, voce sua *nietat*que *ululat*que ibi acute.

92) Apud *Aristoph.* equitt. 1020. canis dicit: ἀπύω. quod verbum Scholiastes interpretatur verbo ὑλακτῶ. At verbum ἀπύειν omnino de voce contentiore dici, praeter multos veterum locos docet *Hesychius*: ἤπυεν· ἔκραξεν, ἤχει, ἐκήρυξεν. it. ἠπύτα· φωνητὴς, βοητὴς, κήρυξ μεγαλόφωνος.

93) *Oppian.* cyneg. 4, 219. de cane: παρδαλίεσσιν ἀΰτεῖ. *Quintus Smyrn.* de reditu Graecor. p. 114. στυγερὴ δὲ δι' ἠέρος ἔσσυτ' ἀϋτή. sc. canis latrantis et ululantis. Atqui *Hesychius*: ἄϋτευν· ἐφώνουν, ἐβόων. it. ἀϋτήν· κραυγὴν, φωνὴν, βοήν.

94) *Schol. Theocrit.* id. 2, 109. τὸ φωνεῦντα, ἀντὶ τοῦ φωνοῦντα,

men *ἰυγή*[95]). Sed quia canis raro silet, propterea etiam *λακέρυζα* appellatur.[95*]) Improprie canes dicuntur *κινύρεσθαι*[96]), *ὀδύρεσθαι*[97]), *queri*[98]), quin etiam *loqui*[99]). Non vero ad vocem pertinent *σεσηρέναι*[100]), quod Latini dicunt *ringere*[101]), et *φριμᾶν*[102]). Caeterum *Cerbero*, ut hoc obiter tangam, non solum, utpote cani infernali, *latratus*[103]) et *κνυζηθμὸς*[104]) tribuitur, sed etiam *sibila*[105]) et *stridor*[106]), ob serpentes, quos in iubis et capite reliquo habuisse fingitur.

Capra dicitur *μηκᾶσθαι*[107]), *φριμάττεσθαι*[108]), *βλη-*

κυρίως ἐπὶ τῶν ὀρνέων λέγεται, καταχρηστικῶς δὲ ἐπὶ τῆς ἡσύχου καὶ ἀσήμου ὑλακῆς τῶν κυνῶν.

95) v. not. 69.

95*) *Plato* de Republ. lib. X. p. 607. B. *ἡ λακέρυζα πρὸς δεσπότην κύων ἐκείνη κραυγάζουσα.*

96) v. not. 70. e *Quinto Smyrnaeo.*

97) v. ibidem e *Tryphiodoro.*

98) *Martial.* epigr. 1, 110. catellam, si *qaeritur*, loqui putabis.

99) *Plin.* H. N. 8, 41. canem *locutum* in prodigiis accepimus.

100) Ap. *Aristoph.* Vespp. 896. canis dicitur *σεσηρώς*. *Scholiastes* hanc notam addidit: *οἱ γὰρ κύνες μετὰ τὸ φαγεῖν σεσήρασιν.* Possis Latine reddere: labra siue rictum diducunt. *Hesych.*: *σεσηρώς· κεχηνὼς, διηνοιγμένον ἀνοικτὸν ἔχων τὸ στόμα.*

101) v. not. 87. *Donatus* ad *Terent.* Phorm. 2, 2, 27. *ringi* est stomachari tacitum. Est enim translatio a canibus latraturis.

102) *Oppian.* cyneget. 1, 490. canis *φριμάα λαγωείης ὑπ' ἀϋτμῆς.* Hoc verbum, vel verbum *σεσηρέναι*, expressisse videtur *Lucretius* 5, 1062. sq. irritata canum mollia ricta fremunt, duros nudantia denteis.

103) *Virgil.* Aen. 6, 417. sq. Cerberus haec ingens *latratu* regna trifauci personat.

104) *Sophocl.* Oedip. Colon. 1569—1572. *θηρὸς, ὃν ἐν πύλαισι φασὶ πολυξέστοις εὐνᾶσθαι, κνυζᾶσθαί τ' ἐξ ἄντρων, ἀδάματον φύλακ' Ἀΐδα.*

105) *Lucan.* 9, 643. Cerberos Orpheo leniuit *sibila* cantu.

106) *Silius Italicus* 6, 177. mixtam *stridore* procellam Cerbereo intorquens. *Tibull.* 1, 3, 71. niger in porta serpentum Cerberus ore *stridit.*

107) *Eustath.* ad *Homer.* Odyss. *μ*, p. 1721, 22. ed. Rom. *εἰ δέ που ἐν Ἰλιάδι ἐπὶ προβάτου καὶ αἰγῶν κεῖται κοινῶς ὁμοῦ τὸ μηκᾶσθαι, συλληπτικὸς ὁ τρόπος ἐκεῖ. αἶγες γὰρ κυρίως μηκῶνται.* Videtur *Eustathius* intellexisse locum Il. *δ*, 435. de quo paulo post. Idem ad

χᾶσθαι[109]), Latine *balare*[110]). Pullorum siue haedulo-

Iliad. κ, p. 734, 19. ed. Bas. τὸ μηκᾶσθαι, ἀφ' οὗ μέσος παρακείμενος ὁ μεμηκὼς (Il. κ, 362.), ὑποτρίζειν τινὲς ἡρμηνεύκασι. καὶ ἔστι μίμημα φωνῆς οὐ μόνον αἰγῶν, ὡς πολλαχοῦ φαίνεται, ἀλλὰ καὶ ἐλάφου συλληπτικῶς καὶ λαγωοῦ, ἣν ἀφίησιν οἷον κλαυθμόν τινα, ὅταν διωκόμενος κατάληπτος γίνηται. Ad Il. δ, 435. p. 494. ed. Rom. Ὁμήρου ἐπὶ ὄϊων τιθέντος τὴν τοιαύτην λέξιν (μεμακυῖαι, ἀπὸ τοῦ μηκῶ), οἱ μεθ' Ὅμηρον ἐπὶ αἰγῶν μὲν εἵλοντο λέγειν τὸ μηκᾶσθαι, ταῖς ὄϊσι δὲ ἀπεκλήρωσαν τὸ βληχᾶσθαι. εἴποι δ' ἄν τις καὶ ὅτι φαίνεται κατὰ σχῆμα συντομίας ἐνταῦθα ῥηθῆναι τὸ μηκᾶσθαι, εἰς δεῖγμα τοῦ καὶ τὰς αἶγας νῦν συνεπινοεῖσθαι καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν ἐρίφους, διὰ τὸ δοκεῖν τὸ μηκᾶσθαι ἐπὶ αἰγῶν κυριολεκτεῖσθαι, ὡς εἴρηται. *Schol.* ad h. l. μηκὴ ἐστιν ἡ αἰγῶν βοή. ὅθεν καὶ τὸ, μηκάδας αἶγας (np. Odyss. ι, 124. 244. 341. Il. ι, 383. ψ, 31.) — νυνὶ δὲ μηκασμὸς καὶ περὶ τῶν ὄϊων, τουτέστι προβάτων, κατηγορεῖται. *Eustath ad* Odyss. ι, *p.* 1619, 46. τὸ μηκᾶσθαι ὅτι αἰγῶν μιμεῖται φωνὴν, ὅθεν καὶ μηκάδες αἶγες, δῆλον. *Phauorin.* l. l. μηκοῦσθαι (sic) δὲ ἐπὶ αἰγῶν διὰ τοῦ η. ἀφ' οὗ μηκάδες αἶγες παρ' Ὁμήρῳ. Etiam apud *Theocritum* idyll. 1, 87. *Pollux* 5, 87. αἰγῶν δὲ, μηκασμὸς, μηκᾶσθαι, μηκώμεναι. Anonymus ap. *Valckenar.* l. l. p. 230. αἲξ ἢ αἶγα μηκᾶται. *Ammon. p.* 144. μηκᾶσθαι ἐπὶ τῶν αἰγῶν, διὰ τοῦ η. Cf. *Schol. Aristoph.* Plut. 689. *Herodianus* l. l. μυκᾶσθαι ἐπὶ αἰγῶν. *ubi* μηκᾶσθαι legendum esse patet. *Oppianus* cyneg. 2, 359. caprae tribuit μηκηθμούς. Et in epigrammate quodam ap. *Brunck.* l. l. T. III. p. 240. nr. CCCCXXI. capra simpliciter dicitur μηκάς. *Becmanus* l. l. cum verbo μηκᾶσθαι confert nostrum *meckern.*

108) *Phauorin.* l. l. φριμάττεσθαι, ἐπὶ τῶν αὐτῶν, διὰ τοῦ ῐ, καὶ φριμαγμός. *Pollux* 5, 88. δοκεῖ δὲ ἴδιον ἐπὶ αἰγῶν εἶναι μᾶλλον ὁ φριμαγμὸς, φριμάττεσθαι, φριματτόμενος. *Theocrit.* idyll. 5, 141. φριμάσσεο τραγίσκων ἀγέλα. Ubi *Schol.* τὸ φριμάσσεο ἀπὸ τοῦ ἤχου τῶν αἰγῶν ὠνοματοπεποίηται. λέγεται δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἵππων· καλεῖται δὲ ὁ τρόπος ὀνοματοποιΐα. — πεποιημένη δὲ ἡ λέξις· τοιοῦτος γὰρ δοκεῖ εἶναι ὁ ἦχος τοῦ πταρμοῦ τῶν αἰγῶν. οὐ κυρίως δὲ τῇ λέξει κέχρηται. φριμαγμὸς μὲν γάρ ἐστι κυρίως ἡ τῶν ἵππων· βληχὴ δὲ, ἡ τῶν αἰγῶν καὶ προβάτων. *Longus* pastoral. 1. extr. αἱ αἶγες ἐσκίρτων φριμασσόμεναι.

109) Verba *Scholiastae Theocritei* hanc in rem attuli not. 108. *Pollux* 5, 88. Ἡρόδοτος ἔσφαλται ἐπὶ τῶν βρεφῶν τῶν Φρυγίων λόγῳ, βληχᾶσθαι τὰς αἶγας οἰόμενος. Sed nihil tale reperitur apud *Herodotum*, verum ap. *Oppianum* βληχὴ tribuitur caprarum pullis. v. ad not. 111.

110) *Gloss. vett.* „μηκᾶται ἐπὶ αἰγός· *balat*, *mugit.*" Sed de hoc ultimo verbo, *mugit*, errauit auctor, quisquis est. Nam mugire nunquam dicitur capra. *Ausonius* l. l. caprigenumque pecus — *balatu*

rum vocem ita describit *Oppianus*[111]): ἀείδειν στονόεν μέλος, ἐνέπειν μεροπήϊον ἠχὴν, ῥηξάμενοι βληχὴν, φθεγγομένοις ἴκελοι. Cf. *Hircus* et *Haedus*.

Catus apud *Quitschr. claucat*, *glatilat*.

Ceruus Graece dicitur μηκᾶσθαι[112]) et βρυχᾶσθαι[113]), Latine *mugire*[114]), *rugire*[115]), *rudere*[116]), etiam *glocitare*[117]).

Cochlea τρύζει et ᾄδει[118]).

Crocotta, hyaenae species, sermonem humanum imitari narratur[119]).

Draco, ut omnino serpentes, Graece συρίζει siue συρίττει[120]), Latinè *sibilat*[121]).

assimilas. *Plinius* H. N. 20, 14. „pulegium gustatum a capris, *balatum* concitat. Unde quidam Graeci, literas mutantes, blechon vocarunt.“ Scil. βληχὼ dicitur illa herba. Caeterum βληχᾶσθαι et balare proprie dicuntur oues v. infra. Sed Anonymus apud *Iriart*. p. 311. a. „capriae (leg. capreae) micuunt.“ Et „capra micit.“ Fortassis legendum *micciunt* et *miccit*. Cf. *Hircus*.

111) cyneget. 2, 363. sq.

112) v. not. 107.

113) *Oppian*. cyneget. 2, 273. ceruus βεβρυχὼς ὀδύνῃσιν. Cf. *Moschopulus* περὶ συντάξεως p. 223. et *Pollux* 5, 88.

114) *Seneca* Hippolyt. 341. sq. cerui *mugitu* dant concepti signa furoris.

115) *Vincent. Bellouac.* l. l. „ceruos *rugire*.“ Nisi *mugire* legendum est. Saltem nusquam legi, ceruos rugire, nisi quod etiam *Ugutio* l. l. dicit: „ceruorum *rugire*.“ et Anonymus *Iriartii* p. 311. a. „cerui *rugiunt*.“

116) *Virgil*. Ge. 3, 374. ceruos grauiter *rudentes*.

117) Carmen de Philomela v. 53. cerui *glocitant* et onagri. *Schottus* edidit *clocitant*. Sed neutrum verbum muniri potest veteris et probati cuiusdam scriptoris auctoritate.

118) v. *Aesop*. fab. 78.

119) v. *Porphyr*. de abstinentia 3, 4. p. 223. et *Aelian*. hist. animm. 7, 22.

120) Grammaticus *Aldi* l. l. ἐπὶ ὄφεων καὶ δρακόντων συρίζειν. Grammaticus *Tittmanni* l. l. ἐπ' ὄφεων συρίζειν καὶ δράκοντος. Apud *Moschopulum* l. l. legitur: ἐπὶ ὄφεων, συρίζειν, καὶ ἐπὶ δράκοντος. Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. ἐπὶ δρακόντων συρίζειν. *Nonnus* apud *Bulengerum* l. l. σύριγμα δρακόντων. *Dio Cass*. 51, 17. δράκων ὑπερμεγέθης — ἀμήχανον ὅσον ἐξεσύρισε. *Oppian*. cyneg. 1, 519. sq. δρά-

Elephantus Graece dicitur proprie *τονθρύζειν* [122]), quod Latine *barrire* vocatur[123]), *τρίζειν*[124]) et *τρύζειν*[125]), Latine *stridere*[126]) et *fremere*[127]), item *συρίττειν*[128]), et

κων συρικτής. Anonymus *Valckenarii* ad *Ammon.* p. 230. *δράκων καὶ ὄφις συρίττει.* *Pollux* 5, 90. *δράκοντας συρίττειν.*

121) *Ouid.* metamm. 11, 751—754. draco (qui ibidem serpens dicitur) *sibilat* ore. *Cornelius Seuerus*, a *Sosipatro Charisio* institut. grammat. 1, p. 77. ed. Basil. 1551. 8. laudatus: et sua concordes dant *sibila* clara dracones.

122) *Oppian.* cyneget. 2, 540—542. *ἐλέφαντες ἐκ ἀλλήλοις λαλέουσι, φθογγὴν ἐκ στομάτων μεροπηΐδα τονθρύζοντες· ἀλλ' οὐ πᾶσιν ἀκουστὸς ἔφυ θήρειος αὐτή.* *Hesych:* *τονθορύζει, ἀτάκτως λαλεῖ, γογγύζει, ψιθυρίζει, καὶ τονθορίζει τὰ αὐτά.* it. *τονθρύς· φωνή.* Cf. infra not. 260.

123) *Ael. Spartianus* l. l. et Anonymus apud *Iriart.* p. 311. a. elephanti *barriunt.* Carmen de Philom. v. 53. Et barrus *barrit.* *Festus:* *barrire* elephanti dicuntur, sicut oues dicimus *balare:* utique a sono ipso vocis. *Apuleius* pag. 357. sq. mitto dicere multorum animalium immeditatos sonores, distinctis proprietatibus admirandos, ut est — elephantorum tristis *barritus.* *Isidorus* origg. 12, 2. elephas — apud Indos a voce *barro* vocatur. Unde et vox eius *barritus* dicitur. *Gloss. vett.* *barrit*, *τρίζει*, *ἐλέφας βοᾷ.* it. *ἔλαφος κράζει*, *bardit*, *rugit.* *Schottus* l. l. p. 100. *ἔλαφος* et *bardit* recte corrigit *ἐλέφας* et *barrit.* Sed fortassis etiam pro *κράζει* reponendum fuerit *τρίζει.* Cf. *Vincent. Bellouac.* l. l. et *Ugutio* l. l.

124) *Lucian.* in Zeux. c. 10. *μόνον τετριγότων (ἐλεφάντων) ἤκουσαν.*

125) *Philostratus* in vita Apollonii 2, 11. extr. *τὸ θηρίον* (elephas) *νύκτωρ λέγεται τὴν δουλείαν ὀλοφύρεσθαι, μὰ Δι' οὐ τετρυγὸς, ὁποῖον εἴωθεν, ἀλλ' οἰκτρόν τε καὶ ἐλεεινὸν ἀνακλάον. εἰ δὲ ὁ ἄνθρωπος ἐπισταίη ὀδυρομένῳ ταῦτα* etc.

126) Anonymus *Iriartii* p. 311. a. „Elephantes *stridunt.*" *Silius Italicus* 4, 614. sq. *stridore* horrisono penetrantem cuspidis ictum belua prosequitur. *Liuius* 44, 5. elephanti cum horrendo *stridore* pauorem ingentem, equis maxime, incutiebant. Et multi alii optimorum scriptorum tribuunt elephanto *stridorem*, ut *Hirtius* de bello Afric. 72. 84. *Florus* 1, 18, 12. *Ammian. Marcellin.* 19, 7. 25, 1. 3.

127) *Ammian. Marcellin.* 25, 6. elephantorum *fremitus* incessusque terribilis. Quem sonum sic describere videtur *Plinius* H. N. 11, 51. elephas circa nares ore ipso sternutamento similem elidit sonum.

128) *Arrianus* de expedit. Alexandri M. 5, 17. *καματηρά τε ἦν τὰ θηρία, καὶ οὐκέτι αὐτοῖς ἐῤῥωμέναι αἱ ἐκδρομαὶ ἐγίγνοντο, ἀλλὰ συριγμῷ μόνον διαχρώμενα.* Fortassis intelligitur ille sonus, quem *Plinius* l. l. tubarum raucitati similem elidi per nares ab elephante dicit. Certe

στρηνίζειν[129]), et ἀΰτεῖν[130]), quod tamen constat de quauis voce usurpari. Improprie legitur ἴηλεμον ἐντύνειν[131]), Latine *lamentari*[132]), quin adeo λαλεῖν[133]).

Equus dicitur Graece χρεμετίζειν[134]) proprie, siue χρεμέθειν[135]), item βρέμειν[136]) et βραχμάζειν[137]), et βράχαλον atque μιμιχμὸν edere[138]), Latine *hinnire*[139]), item

Pollux 4, 83. συρίγματα recenset inter τὰ μέλη αὐλημάτων. Putem, Latine recte *stridorem* vocari.

129) *Pollux* 5, 88. ἐπὶ δὲ ἐλεφάντων (εὗρον ἐγὼ) στρυννύζουσι παρὰ Ἰωβᾷ. Ubi vix dubitari potest, quin legendum sit, στρηνίζουσι. *Hesychius* enim: στρηνές. σαφὲς, ἰσχυρὸν, τραχὺ, στυγνὸν, ὀξύ. it. στρηνὲς βοᾷν· τὸ σκληρόν. Ita ut intelligi videatur sonus vehemens idemque molestus ac tristis.

130) v. not. 122. ubi elephanto tribui ab *Oppiano* vidimus ἀΰτήν.

131) ap. *Oppian.* cyneget. 2, 550. Similia habes not. 125.

132) *Plinius* H. N. 8, 7. Pompeiani (elephanti in Circo) misericordiam vulgi inenarrabili habitu quaerentes supplicauere, quadam sese *lamentatione* complorantes.

133) v. not. 122.

134) Grammaticus *Aldi* l. l. et *Zenodotus* ap. *Valckenar.* l. l. p. 228. ἐπὶ ἵππων χρεμετίζειν. Apud *Moschopulum* l. l. perperam legitur χρεματίζειν. Grammaticus *Tittmanni* l. l. ἐφ' ἵππων χρεμετίζειν. *Herodianus* l. l. χρεμετίζειν ἐπὶ ἵππων. *Pollux* 5, 87. ἵππων, χρεμετισμὸς, χρεμετίζειν, χρεμετίζοντες, ἐπιχρεμετίζοντες. Anonymus *Valckenarii* l. l. p. 230. ἵππος χρεμετίζει. Cf. supra not. 13. *Ammon.* p. 144. et *Phauorin.* Sic *Thryphiodorus* l. l. p. 198. ἵπποι ἐγειρόμενοι χρεμετισμῷ. *Herodot.* 3, 86. ὁ ἵππος ἐχρεμέτισε. c. 87. legitur equus φριμάξασθαί τε καὶ χρεμετίσαι.

135) *Quintus Smyrnaeus* de Ilii excidio 1, p. 30. equus ligneus χρεμέθοντι ἐῴκει. *Oppian.* cyneg. 1, 224. equi χρεμέθουσιν ἰδόντες ἡγεμονῆα. v. 234. χρεμέθων πῶλος. v. 262. sq. equi irati φυσιόωντε et χρεμέθοντες. v. 163. coitum appetentes χρεμέθωσι. Quae eorum vox v. 164. vocatur αὐδὴ κρυερή. Idem poeta v. 341. talem equum appellat γαμήλια χρεμέθοντα. Cf. *Bianor* in *Brunckii* analectis T. II. p. 157. epigr. XI.

136) *Eurip.* Troadd. 519. ἵππον, οὐράνια βρέμοντα.

137) *Hesychius:* βραχμάζουσαι· χρεμετίζουσαι. it. βράχαλον· χρεμετισμόν. it. βραχεῖν· ἠχῆσαι, ψοφῆσαι.

138) *Hesychius:* μιμιχμός· τοῦ ἵππου φωνή. it. μιμάξασα· χρεμετίσασα, φωνήσασα.

139) *Ael. Spartianus* l. l. et *Varro* ap. *Nonium* p. 184. et Grammaticus apud *Iriart.* p. 311. a. equi *hinniunt.* Carmen de Philom. 54. et celer *hinnit* equus. *Ausonius* l. l. *hinnitus* fingis equorum. *Apuleius*

Graece φριμάσσεσθαι[140]) et φρυάττεσθαι[141]), Latine *fremere*[142]). In uniuersum dicitur φθέγγεσθαι[143]), et improprie στένειν, στενάχειν[144]), *vocem*que *humanae similem edere*[145]).

p. 358. equorum hilaris *hinnitus*. *Ugutio* l. l. equorum *hinnire*. Cf. *Vincent. Bellouac.* l. l. et *Festus* in v. bombitatio p. 260. *Silius Ital.* 4, 97. acer *hinnitus* saeuit equorum. *Apuleius* metamorph. 7, pag. 195. equus *hinnitu* maligno comminatus. *Ouid.* art. am. 1, 280. femina *adhinnit* equo. Similem ex *Oppiano* locum habes not. 135. Cf. *Ouid.* remed. am. 634. omninoque de diuersitate hinnitus *Lucret.* 5, 1072—1076. Caeterum *Quinctilianus* 1, 5, 72. „ne *balare* quidem, inquit, aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niterentur.“

140) *Lycophron* v. 244. ἵππων φριμαγμόν. *Tzetzes* ad h. l. οὕτως, οἶμαι, τὸν χρεμετισμὸν λέγει· οὐκ ἔστι δὲ φριμαγμὸς ὁ χρεμετισμός, ἀλλ' ὁ διὰ τῶν ῥινῶν ἵππων ἐκπεμπόμενος ἦχος, ὅταν γαυριῶσιν. *Etymol. M.* φριμαγμός· ὁ χρεμετισμὸς παρὰ Λυκόφρονι. *Suidas*: φριμασσομένη· χρεμετίζουσα. Sed rectius *Tzetzes*. Cf. supra not. 108. et 134. et *Ammon.* p. 144. qui distinguit φριμαγμὸν et φρυμαγμὸν, illum hirco tribuens, hunc equo. Sic *Pollux* 5, 87. ἔνιοι δὲ, καὶ φρυμαγμὸν ἵππων ἐκάλεσαν. καὶ φρυμάττεσθαι τοὺς ἵππους, φρυάττεσθαι δὲ πάντας. Quae verba sic intelligebam: nonnulli equos admissarios dixerunt φρυμάττεσθαι, sed tam hos, quam equos castratos et equas φρυάττεσθαι. *Michael Psellus* in *Brunckii* analectis T. III. p. 127. ἔμπνους ὁ χαλκοῦς ἵππος οὗτος — καὶ φριμάξεται τάχα.

141) *Ammonius* p. 144. φρυάττεσθαι δὲ, τὸν ἵππον τὸν φυσῶντα καὶ γαυριώμενον. Cf. paulo ante not. 140. *Aeschylus* Sept. c. Theb. 481. μάργων ἱππικῶν φρυαγμάτων βρόμον φοβηθείς. *Apollonidas Smyrnaeus* in *Brunckii* analectt. T. II. p. 136. epigr. XVIII. πῶλον ἐπ' ἀνδρομέαν σάρκα φρυασσόμενον. Sic ap. *Diodor. Sic.* 19, 31. τῶν ἵππων ὁ φρυαγμὸς legendum est cum *Schaefero* ad *Dionys. Hal.* de composit. verbor. p. 193. non τῶν ἱππέων. Et *Plutarch.* in vita Lycurgi c. 22. iuuenibus Spartanos gaudere dicit ὥσπερ ἵπποις, γαυριῶσι καὶ φρυαττομένοις πρὸς τοὺς ἀγῶνας.

142) *Virgil.* Aen. 11, 496. equus arrectis *fremit* ceruicibus alte luxurians. 12, 82. equos *frementes*. *Ouid.* metamm. 3, 704. *fremit* acer equus. *Lucret.* 5, 1075. equus *fremitum* patuleis sub naribus edit ad arma.

143) *Herodot.* 3, 84. et 85. ὅτευ ἂν ὁ ἵππος φθέγξηται.

144) *Tryphiodorus* l. l. p. 162. ἵπποι ὁμόζυγας ἔστενον ἵππους. *Oppian.* cyneget. 1, 225. equi πολέμοισι πεσόντα μέγα στενάχουσιν ἑταῖρον.

145) *Oppian.* cyneg. 1, 227. sq. equus in pugna λάβεν ἠχὴν ἀνδρομέην, καὶ γλῶσσαν ὁμοΐιον ἀνθρώποισιν.

Felis, qui et *catus*, *claucat*, *maulatur*, *maumatur*[146]).

Ferae in uniuersum dicuntur *βοᾷν*[147]), *stridere* et *ululare*[148]), et *mussitare*[149]). Et maiores quidem ferae, quarum voces peculiari vocabulo non significatae reperiuntur, tanquam ursi, pardi, pantherae, dicuntur *βρυχᾶσθαι*, minores vero, veluti vulpes, thoes[150]) lynces, *ὑλακτεῖν* et *ὠρύεσθαι*. Saltem ita praecipiunt Grammatici nonnulli veteres[151]), quibus num simpliciter sit fides habenda, iudicari facile poterit a quolibet, qui conferre voluerit, quae infra dixi in formis singulis.

Haedus dicitur Graece *μηκᾶσθαι*[152]), Latine *belare*[153]), et *vagire*[154]). Omnino v. *Capra* et *Hircus*.

146) Ita *Quitschreiber.* qui laudat *Bonciarium* lib. 1. Epistt. p. 84. Has *M. Anton. Bonciarii* Epistolas, in XII. libros digestas, sciebam quidem Perusiae 1618. 4. prodiisse, nondum vero vidi.

147) *Eurip.* Bacch. 1083. *θηρῶν δ' οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν.*

148) *Lucan.* 6, 690. quod *stridunt ululant*que ferae.

149) Fragmentum apud *Iriart.* p. 311. a. „fere *musitant.*" Legendum est: ferae *mussitant.*

150) Quales sint, discas ex his *Oppiani* cyneg. 3, 336. sqq. *δηθάκι δ' αὐτε λύκοι καὶ πορδαλίδεσσι δαφοιναῖς εἰς εὐνὴν ἐπέλασσαν, ὅθεν κρατερόχροα φῦλα, Θῶες· ὁμοῦ δὲ φέρουσι διπλοῦν μεμορυγμένον ἄνθος, μητέρα μὲν ῥινοῖσι, προσώποις δ' αὖ γενετῆρα.* Plura dabit *Rittershusius* ad h. l.

151) *Pollux* 5, 88. et Grammaticus apud *Iriart.* p. 307. a. *ἰστέον δὲ, ὅτι ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀγρίων, ἐφ' ὧν ἴδιον οὐκ ἔστιν ὄνομα τῆς φωνῆς, οἷον ἄρκτον* (*Iriarte ὄνομα φωνῆς, ἐπὶ ἄρκτου*), *παρδάλεως, καὶ* (Hoc non habet *Iriart.*) *πάνθηρος, καὶ ἐπὶ τῶν τοιούτων, βρυχᾶσθαι* (*Iriart. πάντηρος, καὶ τῶν τοιούτων, τὸ βρυχ.*) *λέγουσιν· ἐπὶ δὲ τῶν μικροτέρων, οἷον ἀλωπέκων, καὶ θώων, καὶ λυγκῶν, τὸ ὑλακτεῖν καὶ ὠρύεσθαι.* (In his rursus apud *Iriart.* desunt *οἷον* et utrumque *καὶ*, et pro *ὠρύεσθαι* legitur *γηρύεσθαι.*) *Phauorinus* in v. *χρεμετίζειν* idem praecipit, sed pro *θώων*, in editione Basileensi saltem, habet *ζώων*, et pro *ὠρύεσθαι* legit et ipse *γηρύεσθαι*, ut fragmentum aliud apud *Iriart.* p. 306. b. Ob tantum consensum, et ob ea, quae infra not. 181. e *Schol. Theocrit.* retuli, praetulerim ego *γηρύεσθαι*. Cf. *Moschopulus περὶ συντάξεως* p. 223.

152) *Oppian.* Ixeut. 1, 15. *μηκᾶσθαι ἔριφον ᾠήθην ἀκοῦσαι.* Idem cyneg. 1, 146. dixit *μηκάδας ἐρίφω.*

153) *Vincentius Bellouacensis* l. l. „aedos *bebare.*" Lege meo periculo: „haedos *belare.*" Qua ipsa ratione emendanda sunt haec *Ugu-*

Hircus Graece φριμάσσεται[155]), Latine *mutit*[156]).

Hyaena ὠρύεται[157]), et *hirrit*[158]), ut canis. Conf. *Crocotta.*

Hydra dicitur *stridere*[159]), ut serpens.

Iuuenca μυκᾶται[160]), ut bos et taurus, Latine *mussat*[161]).

Leaena dicitur et ipsa μυκᾶσθαι[162]) etiam βρυχᾶσθαι[163]), item λάχειν[164]), quod est verbum generale[165]).

tionis: „edorum *vehare.*" Nam ut βληχᾶσθαι tribuitur et capris et ouibus, ita etiam *balare.* (v. not. 107—110.) Sed *belare* et *balare* non differre, intelligimus e verbis *Varronis* de re rust. 2, 1. quae infra not. 209. posuimus. Accedit Excerptum apud *Iriart.* p. 311. b. „Hedi *balant*, vel *belant.*"

154) *Plautus* in Poenuli prolog. v. 31. neue esurientes hic quasi haedi *obuagiant*. Cf. *Victor.* V. L. 17, 1.

155) *Valckenar.* animaduu. ad *Ammon.* p. 226. in illa Διαφορᾷ φωνῆς, quam not. 17. primo ab *Aldo Manutio* editam, deinde *a Fabricio* repetitam fuisse dixi, testatur reperiri etiam haec, a *Fabricio* omissa: τράγων, φρυγμαγμὸς καὶ φρυγμός. Eadem leguntur in edit. *Alexandri.* Similiter in Codice 132. apud *Creuzerum* l. l. τράγων, φρυμαγμός· καὶ φριγμός. Et *Dionysius Halic.* (v. not. 13.) habet φρυαγμοὺς τράγων. *Ammonius* p. 144. φριμαγμὸς ἡ τοῦ τράγου φωνὴ, ὥςπερ φρυμαγμός. Quibus inter se collatis, apparet, pro verbis illis corruptis reponenda esse haec: τράγων, φρυμαγμὸς καὶ φρυαγμὸς, vel potius φριμαγμὸς καὶ φρυαγμός. Nam Grammaticus apud *Iriart.* p. 306. b. φριμάττεσθαι et φριμαγμὸς diserte dicit per ῑ scribi, ubi de capris dicantur. Locum *Theocriti,* ubi τραγίσκοι leguntur φριμάσσεσθαι, habes not. 108.

156) Carmen de philomela v. 58. „at *mutire* capris, hirce petulce, soles." *Schottus* edidit „*micere.*" Hinc apud *Vincent. Bellou.* l. l. pro verbis istis vitiosissime scriptis „gyrcos *myctire*" reponi debet „hircos *mutire,*" vel „*miccire,*" quod hircorum esse *Ugutio* l. l. ait. *Quitschreib.* habet *miclire.*

157) *Dio Cass.* 69, 14. λύκοι ὕαιναί τε — ὠρυόμεναι.

158) Excerptum apud *Iriart.* p. 311. b. „Hiene *irriunt.*" Lege: Hyaenae *hirriunt.*

159) *Virgil.* Aen. 6, 288. bellua Lernae, horrendum *stridens.*

160) *Homer.* Odyss. κ, 413. πόρτιες μυκώμεναι. *Theocrit.* idyll. 4, 12. δαμάλαι μυκώμεναι. *Caesarius* l. l. cap. 78. p. 218. ἕλκει πρὸς ἑαυτὴν τὸν μόσχον μυκομένη δάμαλις.

162) *Theocrit.* idyll. 26, 20. sq. μάτηρ μυκήσατο, ὅσσον τοκάδος τελέθει μύκημα λεαίνης.

163) Saltem ap. *Oppian.* cyneg. 3, 129. sunt ἐρίβρυχοι λέαιναι.

Leo proprie dicitur βρυχᾶσθαι[166]), etiam βρέμειν[167]) et ὠρύεσθαι[168]), et ἰάχειν[169]), Latine *rugire*[170]), *fre-*

164) *Quintus Smyrnaeus* de Ilii exidio 1, 521. Cassandra μέγ' ἴαχεν, εὖτε λέαινα.

165) Talibus enim non prorsus me abstinere potuisse, infra patebit.

166) *Zenodotus* apud *Valckenar.* l. l. p. 228. et apud *Iriarte* p. 308. et Grammaticus *Aldi* l. l. et *Tittmanni* l. l. et apud *Moschopulum* l. l. ἐπὶ λεόντων, βρυχᾶσθαι. Cf. *Ammon.* p. 144. et *Herodian.* l. l. *Nonnus* apud *Bulenger.* l. l. βρύχημα λεόντων. Anonymus apud *Iriart.* p. 306. b. et *Phauorinus* in v. χρεμετίζειν: βρυχᾶσθαι ἐπὶ λέοντος. Cf. aliud excerptum apud *Iriart.* p. 371. a. *Pollux* 5, 86. et Anonymus apud *Iriart.* p. 307. a. λεόντων βρύχημα, βρυχηθμὸς, βρυχᾶσθαι. *Eustath.* ad *Hom.* Iliad. ρ, p. 1142. ed. Basil. et Anonymus *Valckenarii* l. l. p. 231. λέων βρυχᾶται. *Moschopulus* περὶ Σχεδῶν p. 245. βρυχηθμὸς, ἡ τῶν λεόντων φωνή. Et pag. 105. βρυχᾶται δὲ λέων. *Caesarius* l. l. cap. 78. p. 218. ὁ λέων βρυκτικός. — ὁ λέων βρυχόμενος. *Maximus Tyrius* diss. 31, 3. λέοντος βρυχησαμένου, et τοῦ βρυχηθμοῦ τοῦ λέοντος. Cf. *Aesop.* fab. 212. *Oppian.* cyneg. 1, 303. et 2, 460. βρύχημα λέοντος. 3, 36. πουλὺς ὄχλος ἐπιβρομέει βρύχημα λεόντων. 4, 116. λεόντων βρυχή. v. 171. leoni tribuuntur βρυχηθμοὶ ὀλοοὶ, et v. 161. sqq. leo βρυχᾶται magis, quam Ganges μυκᾶται βρύχημα πελώριον. Apud *Plutarch.* de solertia animal. c. 17. extr. leones memorantur μόσχου μυκήματι τὸ βρύχημα ποιοῦντες ὅμοιον. *Theodorus Hyrtac.* Epist. 1. ἀλλὰ καὶ βρυχήσαιτ' ἂν καὶ λέων οὐμὸς βασιλεύς.

167) Certe in *Oppiani* cyneg. 4, 80. est ἐρίβρομος λίς. Apud *Pindarum* Olymp. 10, 21. ἐρίβρομοι λέοντες. *Hesychius*: βριμάζων· τῇ τοῦ λέοντος χρώμενος φωνῇ. *Phauorin.* βριμάζει· λέοντος χρῆται φωνῇ. Sic *Eustath.* ad *Homer.* Iliad. θ, 337. p. 603. l. 45. ed. Basil. ubi βλεμεαίνειν κυρίως ἐπὶ λέοντος usurpari dixit et explicauit, addit haec: οἱ δὲ, ἀπὸ τοῦ βρέμειν τὴν λέξιν παράγουσι. etc. Sic Etymol. M. p. 199. l. 45. βλεμεαίνω· παρὰ τὸ βρέμω βρεμαίνω· καὶ τροπῇ τοῦ ρ̄ εἰς λ̄, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ε̄.

168) *Apollon. Rhod.* 4, 1338. sq. λέων ὥς, ὅς ὠρύεται. ubi Scholiastes: ἀντὶ τοῦ βοᾷ. ἔστι δὲ τῆς τῶν λεόντων φωνῆς. Ierem. 2, 15. ἐπ' αὐτὸν ὠρύοντο λέοντες. Iudic. 14, 5. σκύμνος λέοντος ὠρυόμενος. 1 Petr. 5, 8. ὡς λέων ὠρυόμενος. A *Theocrito* idyll. 25, 217. leoni ὠρυθμὸς tribuitur. Cf. *Lamb. Bos.* exercitatt. philolog. in N. T. p. 280.

169) *Pindarus* fragm. 162. edit. *Boeckh.* T. II. P. II. p. 681. ἰάχει βαρυφθεγκτᾶν ἀγέλαι λεόντων.

170) *Ael. Spartianus* l. l. „leones *rugiunt*." Carmen de Philomela v. 49. „*rugiunt*que leones." *Ugutio* l. l. „Leonum est *rugire*." *Isido-*

mere[171]), *rudere*[172]), improprie autem *μύρεσθαι* et *κωκυτὸν πολύστονον προϊέναι*[173]), et *gemere*[174]), et *murmurare*[175]).

Leopardus siue *Panthera* siue *Pardalis* Graece dicitur *ὁμάζειν*[176]), quamquam paulo ante[177]) vidimus, peculiare nomen voci istius ferae negari a Grammaticis, Latine *rictat*[178]).

rus origg. 12, 2. leoni tribuit *fremitum* vel *rugitum*. *Fl. Vopiscus* in Probo c. 19. „leones *rugitibus* suis tonitrua excitabant." Vulgatus interpres Amos. 3, 4. *rugiet* leo. Hic versio Alexandrina habet *ἐρεύξεται*.

171) *Apuleius* Florid. p. 358. „leonum indignati *fremores*." Gloss. vett. *fremens*, *βρυχώμενος*. *Vincentius Bellouac.* l. l. „leones *fremere*." Excerptum apud *Iriart.* p. 311. b. „leones *fremunt*." Cf. not. 170. *Virgil.* Aen. 9, 339. 341. impastus leo *fremit* ore cruento. Sic fere 12, 8. *Plin.* H. N. 8, 16. „leo in viros prius quam in feminas *fremit*." A leone verbum hoc ad hominem transferri auctor est *Varro* de ling. lat. 6, 5. Etiam *frendere* leonem dicit *Quitschreiber.*

172) *Virgil.* Aen. 7, 15. sq. *gemitus* iraeque leonum — sera sub nocte *rudentum* Unde *Scaliger* coniectan. ad *Varron.* p. 167. *rudere*, inquit, suum, et leonum, et aliorum animalium.

173) *Oppian.* 3, 103. sq. lynces, leones, pantherae, tigres, pullis orbatae, *μύρονται λιγέως ἀδινὸν γόον, ἐκ δ' ἄρα τηλοῦ κωκυτὸν προϊᾶσι πολύστονον.*

174) v. paulo ante not. 172.

175) *Claudian.* de laudibus Stilic. 3, 337. sq. fragosa *murmura* tribuit leonibus, et *Martialis* 8, 55. *murmur.*

176) *Zenodotus* apud *Valckenar.* p. 228. et apud *Iriart.* p. 308. a. et Grammaticus *Aldi* l. l. *ἐπὶ ἄρκτων καὶ παρδάλεων, ὁμάζειν.* Eadem iisdem verbis tradens Anonymus *Tittmanni* l. l. et apud *Moschopulum* l. l. habet *ὠμάζειν.* Sed Anonymus *Creuzeri* Cod. 45. videtur *ὁμοτάζειν* exhibere, cum codex 132. *ὁμάζειν* habeat. Anonymus *Valckenarii* p. 229. *ἄρκτος* (ita enim legendum est pro *ἄρκος*) *καὶ πάρδαλις ὁμάζει.* Alius Anonymus apud *Iriart.* p. 371. a. *οἰμώζει ἐπὶ ἄρκτων καὶ παρδάλεων.* Et sane, etiam *Iriartio* iudice, sic legendum videtur pro *ὁμάζειν*, quod nusquam alibi de ursis aut pardalibus usurpatum reperitur, quin omnino ne obuium quidem est. Nam *οἰμώζειν* vix differt ab iis, quae not. 173. ex *Oppiano* attulimus. Vid. tamen not. 259.

177) not. 151. ubi *βρυχᾶσθαι* dicuntur tales ferae.

178) *Ael. Spartianus* l. l. „leopardi *rictant*." De verbis Grammatici anonymi apud *Iriart.* p. 312. b. „panthere *charriunt*," quae corrupta esse satis apparet, dicere visum est in v. Panther.

Lepus *μηκᾶται* [179]) et *vagit* [180]), ut haedus.

Lupus proprie dicitur *ὠρύεσθαι* [181]) ut canis [182]), et *ululare* [183]), etiam *fremere* [184]), sed improprie *geme-*

179) v. not. 107. *Homer.* Iliad. κ, 361. sq. *λαγωὸν — ὁ δέ τε προθέῃσι μεμηκώς.*

180) Carmen de Philomela v. 60. „lepores *vagiunt.*" *Vincent. Bellouac.* „lepores *vagire.*" *Ugutio:* „leporum et paruorum *vagire.*" Atque eodem prorsus modo emendanda sunt verba Grammatici apud *Iriart.* p. 311. b. „lepores *augitant.*" Legendum enim est *vagitant,* quo verbo frequentatiuo de infante utitur *Statius* syluu. 4, 8, 35.

181) *Nonnus* apud *Bulenger.* l. l. *ὠρυγῇ κελάδησε λύκων. Pollux* 5, 86. *λύκων, ὠρυγή, ὠρυγμὸς, ὠρύεσθαι, ὠρυόμενος.* Anonymus *Valckenarii* p. 231. *λύκος ὠρύεται. Herodianus* l. l. *τὸ δὲ ὠρύεσθαι ἐπὶ λύκου.* Anonymus apud *Moschopulum* l. l. *ἐπὶ λύκων, ὠρύεσθαι.* Alius apud *Iriart.* p. 371. a. *ὠρύεται* (Malim *ὠρύεσθαι*) *ἐπὶ λύκου.* Alius ibid. p. 306. b. *ὠρύεσθαι ἐπὶ λύκων.* quae ipsa verba leguntur in *Ammonio* p. 144. apud Grammaticum *Tittmanni* l. l. et *Phauorin.* l. l. Rursus alius Grammaticus apud *Iriart.* p. 307. a. *λύκων. ὀρυγὴ, καὶ ὀρυγμὸς, καὶ ὀρύεσθαι,* quae verba corrigenda sunt e verbis *Pollucis. Nicander* alexipharm. p. 78. ed. Colon. 1530. 4. *βρυχανάαται ὠρηδὸν* (leg. *ὠρυδόν*). *Scholiastes* ad h. l. *βραυκανάαται*] *γράφεται καὶ βρυχαναάται, βρυχᾶται, κλαυθμυρίζει, ὡς παιδίον φωνεῖ, ἢ δακρύει. ὠρυδὸν δὲ, ἀντὶ τοῦ μετὰ φυγῆς* (leg. *φωνῆς*), *ὡς λύκος, ὠρυόμενος. Aratus* v. 1124. *λύκος μακρὰ ὠρύηται. Theocrit.* idyll. 1, 71. *θῶες* et *λύκοι ὠρύσαντο.* ubi Scholiastes negat hoc verbum simul ad *θῶας* referri posse, sed de his dicendum esse *ἐγηρύσαντο. Quintus Smyrnaeus* de Ilii excidio 1, 509. huic praecepto non obediuit, ubi scripsit: *λύκοι καὶ θῶες ὠρύσαντο. Theophrast.* pag. 439. ed. Heins. *λύκος ὠρυόμενος. Pausan.* 10, 14. *ὠρύετο ὁ λύκος.* Alia habes not. 80. et not. 157.

182) Verbis *Zenodoti* hanc in rem not. 80. positis statim subiuncta sunc haec: *ὡς λύκος ὠρυοίμην παρὰ Καλλιμάχῳ· ὠρύεσθαι γὰρ ἐπὶ λύκων εἶπεν.* Ita etiam Codex 45. apud *Creuzer.* l. l. ubi quae vir doctus annotauit, ne negligas. *Zenodotus* apud *Iriart.* p. 308. b. *λέγεται δὲ κυρίως ἡ τῶν κυνῶν φωνὴ καὶ ὠρυγή. ἐπὶ δὲ σκύμνων καὶ λύκων ὠρύεσθαι.* quae patet a *Zenodoto* sic scribi non potuisse. Rectius Anonymus apud *Iriart.* p. 307. a. *ἐπὶ λύκων ὠρύεσθαι· κυρίως δὲ ἡ τῶν κυνῶν φωνὴ ὠρυγή.*

183) Carmen de Philomela v. 52. Ast lupus ipse *ululat. Schottus* edidit: Porro lupus *ululat.* Grammaticus apud *Iriart.* p. 311. b. „Lupi *ululant.*" *Vincentius Bellouac.* l. l. lupos *ululare.* Add. *Ugutio* l. l. *Apuleius* l. l. „luporum acutus *ululatus.*" *Virgil.* Ge. 1, 486. lupis *ululantibus.* Conf. Aen. 7, 18. *Ouid.* metamm. 1, 233. *exululat*

re[185]). Illa luporum species, quae *Τοξευτὴρ* vocatur, dicitur *σμερδαλέον ἰάχειν*[186]), quae verba patet generalia esse, et lupo *Κίρκῳ* siue *Ἅρπαγι* tribuitur *ῥοῖζος*[187]), ut canibus.

Lynx dicitur *ὑλακτεῖν* et *γηρύεσθαι*[188]), Latine *orcare*[189]) et *lyncare*[190]).

Mulus *βρωμᾶται*, ut asinus[191]), Latine *mugilat*[192]).

Mus Graece dicitur *τρίζειν*[193]), et *ὑποτρύζειν*[194]), et

Lycaon lupus factus. Quae quidem luporum vox cum sit ingrata, et voci caninae, quae *ululatus* dicitur, similis: non incommode cum *Becmano* l. l. pag. 304. epitheton *raua*, quod lupae ab *Horatio* 3, Od. 27, 3. tribuitur, et quod nonnulli ad colorem referunt, referas ad vocem. *Festus:* „raua vox, rauca, et parum liquida, proxime canum latratum sonans."

184) *Virgil.* Aen. 9, 59. sq. lupus cum *fremit* ad caulas. *Ouid.* metamm. 5, 627. lupos circum stabula *frementes.*

185) *Lucan.* 6, 688. *gemitum* luporum.

186) apud *Oppian.* cyneg. 3, 300.

187) ibidem v. 305.

188) v. supra not. 151. Cf. etiam not. 173.

189) Carmen de Philomela v. 51. lynces, *orcando fremunt.* Hinc in excerpto apud *Iriart.* p. 311. b. pro „linces *ircant*" legendum est „lynces *orcant.*" Saltem probari nemini potest, quod *Schottus* in Philomela edidit, „candofremunt," quod *Iriarte* recte appellat prodigiosissime compositum. *Ugutio* l. l. „lyncum *urcare.*"

190) *Vincentius Bellouac.* l. l. „linces *lincare.*" *Quitschreib.* addit *fremere.* v. not. 189.

191) v. not. 54.

192) Grammaticus apud *Iriart.* p. 312. a. „Muli *iulgant,*" ubi *Iriarte* notat, literae G in archetypo exemplari superscriptum esse C, ita ut *iulcant* scribendum admoneatur, et dicit, dubium esse, sitne I vocalis, an consona, an vero legendum sit *hiulcant.* *Ugutio* l. l. tradit, mulorum esse *zurgiare*, quod *Iriarte* forsan fictum putat e Graeco *συρίττειν.* Nam *Zenodotus* apud *Iriart.* p. 308. b. *ἐπὶ ὀρέων*, inquit, *συρίττειν.* ubi *Iriarte* *ὀρέων* intelligit de mulis vel mulabus, ut sit a nomine *ὀρεύς.* Ego vero potius *ὄφεων* reponendum putabam, et *iulgant* illud in *mugilant* mutandum, quia *Vincentius Bellouac.* et *Ugutio* ll. ll. (etiam auctor carminis de Philomela apud *Schottum* v. 64.) onagros dicunt *mugilare*, quod ipsum verbum rescribendum vidit *Iriarte* in Grammatico ab ipso edito p. 312. a. pro *bagillant.*

193) *Eustathius* ad *Homer.* Iliad. ψ, 714. p. 1449, 23. ed. Basil. posquam dixit, *τετρίγει* esse *ὠνοματοπεποιημένον*, addit haec: *ὡς δὲ*

γρύζειν [195]), Latine autem *mintrire* [196]) et *murrire* [197]), etiam *pipicare* [198]). Cf. *Sorex*.

Mustela Graece *κρίζει* [199]) vel *τρίζει* [200]), Latine *dintrit* [201]) vel *trinolat* [202]).

καὶ διαφορὰ τούτου τοῦ τρίζειν, ὃ καὶ ἐπὶ μυῶν καὶ νυκτερίδων λέγεται, καὶ τοῦ ἑτέρου, τρύζειν, ὅθεν ἡ τρυγὼν, οὐδ' αὐτὸ ἐν ἀδήλῳ κεῖται. Idem ad Odyss. ω, p. 1951, 32. ed. Rom. *ἰστέον δὲ, ὅτι τρύζειν μὲν διὰ τοῦ ῦ ψιλοῦ, ἐπὶ τρυγόνων, αἳ καὶ ἀπὸ τοῦ τοιούτου γίνονται ῥήματος· τρίζειν δὲ κυρίως ἐπὶ νυκτερίδων. — τρισμὸν ἀποτελεῖν. ὃς δὴ καὶ ἐπὶ μυῶν λέγεται. Aratus* v. 1132. et *Geopon.* 1, 3, 13. *μῦες τετριγότες. Theophrast.* p. 438. *μῦες τρίζοντες.* Esse autem *ὀνοματοποιΐαν* in hoc verbo, apparet e loco *Sosipatri Charisii* institut. grammat. 2, p. 260. ed. Basil. 1551. 8. ubi ex *Naeuii* Corollaria memorat interiectionem *trit*, additque haec verba: „Significat autem vocem murum." Cf. infra Sorex.

194) *Aelian.* H. A. 7, 8. *γαλαῖ ὑποτρύζουσαι, καὶ μῦες ἐκείναις δρῶντες τὰ αὐτά.* ubi fortassis scribendum fuerit *ὑποτρίζουσαι*, vel *ὑποκρίζουσαι*.

195) Saltem ex *Schweighäuseri* editione locum *Alcaei* hanc in rem posui infra not. 226.

196) Carmen de Philomela v. 61. mus auidus *mintrat*. Sed *Schottus* edidit *mintrit*, quod *Iriartio* quoque placet, quia murium exili voculae aptius conuenit subtilioris soni verbum *mintrire*, quam vastioris, *mintrare*. Apud *Vincentium Bellou.* l. l. leguntur mures *mincare*, quod fortassis e vitioso *mintrare* etiam magis deprauatum fuerit.

197) Grammaticus apud *Iriart.* p. 312. a. „Mures *mintriunt*, vel *muniunt*." Ubi *Iriarte* pro *muniunt* rescribi iubet *murriunt*, quia murrire proprie murium esse cum *Isidori* glossae, tum *Excerpta Pithoeana* consentiant.

198) Saltem apud *Vincentium Bellouac.* l. l. muribus hoc verbum tribuitur. *Ugutio* l. l. habet: „murium *pipitare*.".

199) *Aelian.* H. A. 5, 50. galli gallinacei *κρίξασαν μόνον γαλῆν πεφρίκασι.* Etymol. M. p. 539, (488,) 7. *τὸ κρίκε* (*Homer.* Iliad. *π*, 470.) *ἡμεῖς φαμεν πεποιῆσθαι. οὕτω Ζηνόδοτος. σημαίνει δὲ τὸ ἐψόφησεν, ἤχησε, ποιὸν ἦχον ἀπετέλεσε.*

200) Hanc enim scripturam mihi placere, non *τρύζειν*, ostendi not. 194.

201) Carmen de Philomela v. 61. mustellaque *dintrit*. *Schottus*: mustecula *drindit*. Sed Grammaticus *Iriartii* p. 312. a. „mustele *dindrant*."

202) *Vincentius Bellouac.* l. l. „mustelas *trinolare*." Pro quo apud *Ugutionem* l. l. est *driuorare*.

Onagri voci quodnam proprium verbum Graeci habuerint, non mihi constabat. Apud *Oppianum*[203]) *θῆλυς ὄναγρος ἔοικεν οἰκτρὰ κινυρομένῃ καὶ δύσμορα κωκυούσῃ.* Latine dicitur vel *glocitare*[204]), vel *mugilare*[205]), etiam *rugire*[206]).

Ouis vocem propriam esse *βῆ, βῆ*, tralatitium est[207]). Atque hinc ortum esse apparet non solum Graecum *βληχὴ* et *βληχᾶσθαι*[208]), sed etiam Latinum *belare*[209]) siue *bala-*

203) cyneget. 3, 216. sq.

204) v. not. 117.

205) v. paulo ante not. 192.

206) Vulgata interpretatio Iob. 6, 5. numquid *rugiet* onager.

207) *Eustathius* ad *Homer.* Iliad. *ι*, p. 674, 46. ed. Basil. *φασὶ μιμητικῶς, καὶ βῆ, οὐ μὴν βαὶ, μίμησιν προβάτων φωνῆς. Κρατῖνος· ὁ δ' ἠλίθιος, ὥςπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.* Idem ad Odyss. *μ*, p. 1721, 26. ed. Rom. *ἰστέον ὅτι μάλιστα τὸ βῆ, φωνῆς προβάτων ἐστὶ σημαντικόν.* Idem ad Iliad. *λ*, p. 797. ed. Basil. *εἰσὶ καί τινες μιμητικαὶ φωναὶ αὐταὶ κατὰ αὐτοὺς τοὺς φωνοῦντας, ὡς τὸ — βῆ, περὶ οὗ ἀλλαχοῦ δηλοῦται.* Cf. infra not. 209.

208) *Eustath.* ad Odyss. *μ*, p. 1721, 29. edit. Rom. *εἰκὸς, καὶ τὴν βληχὴν ἐκ τοῦ τοιούτου βῆ παρῆχθαι, κατὰ πλεονασμὸν τοῦ λ̄, ἵνα ᾗ βληχὴ, ὁ τοῦ βῆ ἦχος.* Et l. 21. *μυκῶνται μὲν αἱ βόες, βληχᾶται δὲ ὄϊς.* l. 23. *αἶγες κυρίως μηκῶνται. προβάτων δὲ οὐκ ἔστι τοῦτο, ἀλλ' ἡ βληχή.* Cf. not. 107. et 108. *Schol. Homer.* ad Iliad. *δ*, 435. et *Eustath.* ad Odyss. *ι*, p. 1619, 46. ed. Rom. *Pollux* 5, 87. *ὀΐων, βληχὴ, βληχᾶσθαι, βληχώμεναι.* Sic fere Anonymus apud *Iriart.* p. 307. a. *Zenodotus* apud *Valckenar.* p. 228. et apud *Iriart.* p. 308. b. *Ammonius* p. 144. *Herodianus* l. l. Grammaticus *Aldi* l. l. et apud *Moschopulum* l. l. et apud *Iriart.* p. 307. et apud *Tittmann.* l. l. et Codex 132. apud *Creuzer.* l. l. Apud eundem igitur Codex 45. male dat *βρυχᾶσθαι προβάτων. ἐπὶ προβάτων βληχᾶσθαι.* (Cf. *Iriart.* p. 371. a.) *Phauorin.* l. l. *βληχᾶσθαι ἐπὶ ὀΐων.* Anonymus *Valckenarii* p. 231. *πρόβατον βληχᾶται.* *Schol. Apollon. Rhod.* 4, 262. *βληχωμένων τῶν προβάτων.* *Homer.* Odyss. *μ*, 266. *οἰῶν βληχήν.* *Theocrit.* idyll. 16, 92. *μήλων χιλιάδες βλήχοιντο.* *Oppian.* *ἰξευτ.* 1, 15. *κίσσα ὡς πρόβατον ἐβληχᾶτο.* *Caesarius* l. l. cap. 49. p. 102. *τῶν παρ' ἡμῖν βληχωμένων.* Paulo post arieti tribuuntur *βληχήματα.* Et cap. 78. p. 218. *βληχόμενα μεταξὺ τῶν ἐρίφων τὰ πρόβατα.*

209) *Varro* de re rust. 2, 1. „capras et oues — sua voce Graeci appellarunt *μῆλα.* Nec multo secus nostri ab eadem voce, sed ab alia litera. vox earum non *me*, sed *bee* sonare videtur, oues *beelare* vocem efferentes: a quo *belare* dicunt, extrita litera, ut in multis.“

re[210]), quae omnia proprie de ouium voce usurpantur. Interdum tamen ouis dicitur *μηκᾶσθαι*[211]).

Panther, ut aliae tales ferae, Graece dicitur *βρυχᾶσθαι*[212]), Latine vero *caurire*[213]).

Panthera et *Pardalis*. v. supra *Leopardus*.

Pardo tribuitur *γῆρυς*[214]). Latine dicitur *felire*[215]).

Porca et *Porcus*. v. infra *Sus*.

Serpentis est *συρίζειν*[216]), *sibilare*[217]), et *stride-*

210) *Varro* apud *Nonium Marcellum* p. 184. „ouis *balat*.“ *Ausonius* l. l. „lanigerosque greges *balatu* assimilas.“ *Festus* in v. Barrire: „oues dicimus *balare*, utique a sono ipso vocis.“ Grammaticus apud *Iriart*. p. 312. a. „Oues *balant*.“ Carmen de Philomela v. 56. „pia *balat* ouis.“ Cf. *Vincent. Bellouac*. et *Ugutio* ll. ll. supra not. 11. et 139. *Virgil*. Aen. 9, 565. quaesitum matri multis *balatibus* agnum. Hinc a poetis *balantes* ponuntur pro substantiuo *oues*, ut a *Virgilio* Ge. 1, 272. *balantum* gregem. et Aen. 7, 538. greges *balantum*.

211) *Nicander* alexipharm. p. 78. *αὐτὰρ ὁ μηκάζει*, np. hausto toxico. Scholiastes annotauit haec: *ἀντὶ τοῦ μηκᾶται ὡς πρόβατον, οἱονεὶ, οὕτω βοᾷ καὶ κράζει*. Cf. not. 107.

212) v. supra not. 151.

213) Carmen de Philomela v. 50. „Panther *caurit* amans.“ *Vincentius Bellouac*. et *Ugutio* ll. ll. pantheras itidem dicunt *caurire*. Unde *Iriarte* in verbis corruptis Grammatici ab ipso p. 312. b. editi: „panthere *chatriunt*,“ legi iubet „*cauriunt*.“ Equidem etiam „pantheres“ scripserim, non „pantherae,“ quanquam *Ugutio* diserte dixerit, pantherarum esse *caurire*.

214) *Oppian*. cyneget. 2, 459. *πορδαλίων γῆρυν ἀμειδέα*.

215) Carmen de Philomela v. 50. „pardus hiando *felit*.“ *Quitschreiber*. habet *hiando fremit*, *felit*. Quo ipso verbo *felire* etiam *Vincentius Bellouac*. et *Ugutio* ll. ll. de pardis utuntur. Grammaticus *Iriartii* p. 312. b. „pardi *phelpant*.“ Sed *Iriarte* substituit frequentatiuum *felitant*.

216) *Aristot*. H. A. 4, 9. nonnulla animalia dicit emittere *συριγμὸν, ὥσπερ οἱ ὄφεις*. *Zenodotus* apud *Valckenar*. p. 228. (Cf. supra not. 192.) *ἐπὶ ὄφεων συρίττειν*. Anonymus *Iriartii* p. 307. et Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. *ἐπὶ ὄφεων συρίζειν*. *Oppian*. cyneg. 2, 245. *πικροῖς φυσιόων συρίγμασιν ἰοφόρος θήρ*, i. e. serpens. Cf. *Aristoph*. Plut. 689. ibique *Schol*. et *Hemsterhus*. et supra not. 120.

217) Carmen de Philomela v. 63. „serpendo *sibilat* anguis.“ Anonymus *Iriartii* p. 312. b. „Serpentes *sibilant*.“ *Plin*. H. N. 11, 51. „Oua parientibus *sibilus*, ut serpentibus, et testudini.“ Cf. *Vincentius Bellouac*. et *Ugutio* ll. ll. *Virgil*. Aen. 11, 753. sq. serpens *sibilat*

L 2

re[218]): unde *stridula sibila* ei tribuuntur[219]). Sed *ἰυγή*, quod et ipsum de serpente, et quidem de basilisco, legitur[220]), est nomen generale. Cf. *Draco* et *Hydra*.

Simiae voci nomen Graecum non habebam. Latine simiae dicuntur *queri rauco stridore*[221]).

Sorex Graece *τρίζει*[222]), Latine *desticat*[223]) vel *denticat*[224]) vel *occinit*[225]). Cf. *Mus*.

Sus Graece proprie dicitur *γρύζειν* et *γρυλλίζειν*[226]),

ore. *Lucan.* 6, 690. *sibilat* anguis. *Ouid.* metamm. 15, 670. in serpente deus praenuncia *sibila* misit. Et v. 684. ter repetita dedit vibrata *sibila* lingua. *Virgil.* Ge. 3, 421. colubrum *sibila* colla tumentem. Aen. 5, 277. serpens *sibila* colla attollens. Aen. 2, 211. angues *sibila* lambebant linguis vibrantibus ora. *Lucan.* 9, 724. *sibila* effundens basiliscus.

218) *Plin.* H. N. 10, 74. serpens *stridens*. *Silius Italic.* 2, 587. oraque (anguis) vibranti *stridebant sibila* lingua. 3, 191. letifero *stridebat* turbine serpens. *Ouid.* metamm. 9, 65. anguis cum fero moui linguam *stridore*.

219) *Lucan.* 9, 630. sq. angues *stridula* vibratis fuderunt *sibila* linguis.

220) in *Nicandri* theriac. p. 27. ubi Scholiastes: *ἰυγὴ δὲ φωνή τις ἐστὶν, ἡ βοὴ ἀδιάρθρωτος, ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος πεποιημένη. καὶ Ἐρατοσθένης ἐν Ἐριννύϊ περὶ κυνὸς λέγων, εἶπεν· ἰυγῆς ὡς παῦρον ἀπέκλυεν.* in quo *Eratosthenis* loco dubium est, canisne an serpentis vox sit intelligenda.

221) apud *Ouid.* metamm. 14, 100.

222) *Plutarch.* in vita Marcelli c. 5. *τρισμὸς μυὸς, ὃν σόρικα καλοῦσιν.*

223) Carmen de Philomela v. 62. „*desticat* inde sorex." Sic etiam *Vincentius Bellouac.* et *Ugutio* ll. ll.

224) Grammaticus apud *Iriart.* p. 312. b. „Surices (leg. Sorices) *denticant*." quod verbum non omnino absurdum putat *Iriarte.*

225) Soricum *occentu* dirimi auspicia dicit *Plinius* H. N. 8, 57. Cf. *Ammian. Marcellin.* 16, 8. et *Valer. Max.* 1, 1, 5.

226) *Pollux* 5, 87. *συῶν, γρυλλισμὸς, γρυλλίζειν,* (Ita etiam Grammaticus apud *Iriart.* pag. 307. a.) *γρυλλίζοντες. καὶ γρύζειν, καὶ γρύζοντες. Eustath.* ad *Hom.* Iliad. ι, p. 681, 39. ed. Basil. *παρώνυμόν ἐστι τοῦ γρύζειν, ὁ γρυσμὸς ἐπὶ τελείου συὸς, ὡς τοῦ γρυλλίζειν ὁ γρυλλισμός. Zenodotus* apud *Valckenar.* p. 229. et apud *Iriart.* p. 308. b. item Grammaticus *Aldi* l. l. et *Tittmanni* l. l. et *Moschopuli* l. l. et *Iriartii* p. 371. a. *ἐπὶ χοίρων γρυλλίζειν καὶ γρύζειν.* (Sed in edit. *Aleandri* desunt verba *καὶ γρύζειν*, et in Codice 132. apud *Creuzerum* l. l. scriptum legitur *γρυλίζειν.*) *Eustath.* ad *Hom.* Odyss. κ, p. 1657,

item *ὑΐζειν*[227]), et, quod fortasse primo loco ponendum erat, *κοΐζειν*[228]), Latine autem *grunnire* siue *grundire*[229]). Praeterea dicitur *τρύζειν*[230]), *κράζειν*[231]), *βοᾶν*[232]), *κλάζειν*[233]), et *ululare*[234]), quae tamen de aliis quoque

8. ed. Rom. *χοίρειος φωνὴ ὁ γρυλλισμός*. *Phauorin.* l. l. et Anonymi *Iriartii* p. 306. b. et 307. *γρυλλίζειν ἐπὶ χοίρου*. Anonymus *Valckenarii* p. 231. *χοῖρος γρυλλίζει*. *Agathocles* Babylonius apud *Athenae.* 9, p. 376. A. *ὗς τῷ σφετέρῳ γρυσμῷ τὸν κνυζηθμὸν τοῦ βρέφεος* (np. Ionis recens nati) *ἀνεπάϊστον ἐτίθει*. *Alcaeus* ibid. p. 396. C. *εἴ τι γρύξομαι* (ante *Schweighäuserum* edebatur *γρίξομαι*) *πλέον τι γαλαθηνοῦ ὑός*. (*Schweighäus.* *μυὸς*, quod minus aptum videtur.) *Aristoph.* Acharnn. 746. *ὅπως γρυλλιξεῖτε*. ubi Scholiastes: *γρυλλιξεῖτε, δίκην χοίρων βοήσετε*. Sed ad Plut. 598. reperitur hoc Scholion: *κυρίως δὲ γρύζειν ἐστὶ, τὸ τοὺς μικροὺς χοίρους φωνὴν προΐεσθαι*. Et sane in eadem comoedia v. 307. sq. poeta scripsit: *γρυλλίζοντες ὑπὸ φιληδίας, ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι*.

227) *Pollux* 5, 87. *τινὲς δὲ καὶ ὑϊσμὸν εἶπον, καὶ ὑΐζειν, ὑΐζοντες*. Anonymus *Iriartii* pag. 307. a. *συῶν — ὑϊσμὸς, ὑΐζειν*. Sed locum scriptoris idonei desidero.

228) *Aristoph.* Acharnn. 746. *ὅπως κοΐξετε*. Schol. ad h. l. *κοῒ δὲ, ποιὰ τῶν δελφακίων φωνή*. v. 780. *κοῒ, κοΐ*. Schol. *αἱ παῖδες μιμοῦνται τὴν χοίρων φωνήν*. *Hesychius*: *κοίζειν τὰ χοιρίδια μιμητικῶς λέγεται*. ubi scribendum putem *κοΐζειν*.

229) *Nonius Marcellus* pag. 491. *grundire* proprie suum. p. 143. *grunnire* dicuntur porci, quod eorum proprium vocis est. *Diomedes* Grammaticus p. 58. b. *grunit* porcus, dicimus. veteres *grundire* dicebant, ut sit instans (i. e. tempus praesens) *grundio*. Gloss. vett. *grundit*, *γρυλλίζει*. it. *grunniunt*, *ῥύσσωσιν*. (leg. *γρύζουσιν*.) Carmen de Philomela v. 57. sordida sus *grunnit*. Grammaticus apud *Iriart.* p. 312. b. porci *grundiunt*. Item: sues *crunniunt*. (leg. *grunniunt*.) Porcos *grunnire* dicunt etiam *Vincentius Bellouac.* et *Ugutio* ll. ll. *Aelius Spartianus* l. l. porcelli *grunniunt*. *Scaliger* l. l. p. 164. *γρῦ* porcorum est: unde dicuntur *grunnire*. Cf. *Festus* in v. gruere. *Cic.* Tuscul. 5, 40. non audiunt *grunnitum*, cum iugulatur sus. *Iuuenal.* 15, 22. et cum remigibus *grunnisse* Elpenora porcis. Alia exempla habet *Nonius* l. l.

230) Saltem *Quintus Smyrnaeus* de reditu Graecor. v. 36. de suibus dicit: *μίγδα περιτρύζουσι διηνεκὲς ἀλλήλοισιν*. Sed malim *περιγρύζουσι*.

231) *Clemens Alexandr.* stromm. 7, p. 718. B. *ὁ Αἴσωπος οὐ κακῶς ἔφη τοὺς ὗς κεκραγέναι μέγιστον*.

232) *Aelian.* hist. animm. 16, 36. *ὗς βοῶσαι*.

233) *Eustath.* ad *Hom.* Iliad. *ι*, p. 681, 41. ed. Basil. *σῦς γρόζουσα*

animantibus dicuntur, non minus quam nomina φρύαγμα[235]), ἆσθμα[236]), βοή[237]). *stridor*[238]). De porcello usurpatum legitur nomen κνυζισμός[239]). Cf. *Verres.*

Taurus, ut bos, dicitur proprie μυκᾶσθαι[240]), et ἐρύγειν[241]), etiam βρυχᾶσθαι[242]), Latine *mugire*[243]) sed

τραχὺ, οὐ μὴν, ὡς ἡ 'Οδύσσεια φράζει, κλάζουσα. ἑτεροῖον γάρ τι τοῦ γρύζειν ἐκεῖνο τὸ κλάζειν. Nimirum Odyss. ξ, 412. est κλαγγὴ συῶν.

234) Grammaticus apud *Iriart.* p. 312. b. „Porca *vehilat.*" *Iriarte* haec adnotauit: „Quid hoc verbi? Porcaene vox, an Sphingis? Quem Oedipum inueniat? Nulla eius vel corrigendae, vel explanandae, vel comprobandae suppetit ratio." Equidem pro „*vehilat*" reponendum putabam „*ululat.*" Saltem *Scaliger* l. l. p. 166. verba *Porcii* a *Varrone* de lingua Lat. 6, 5. allata: „volutare *ululantis*" emendanda putabat sic: „volutares *ululantes*" quam lectionem his verbis illustrauit: „Volutares sues, qui et Colluuiares, quod in colluuie nutrirentur: χαμευνάδας (immo χαμαιευνάδας) ait vocari *Apion* grammaticus apud *Hesychium.*" Quodsi *ululat* tibi displicet, legas *heiulat.*

235) *Oppian.* cyneg. 2, 457. συὸς ἀγραύλοιο φρύαγμα.

236) *Nonnus* apud *Bulengerum* l. l. ἆσθμα συῶν. *Hesychius:* ἆσθμα· — σύρισμα.

237) apud *Aelian.* hist. animm. 1, 38.

238) *Plin.* H. N. 8, 9. minimo suis *stridore* terrentur elephanti.

239) Ita in loco *Agathoclis*, quem not. 226. posui, ante *Schweighäuserum* legebatur pro κνυζηθμὸν, quod ipsum nomen non referendum esse ad porcellum, docui iam supra l. l. Quia vero non nemini aliter videbatur, praetermittere h. l. nolui.

240) *Sophocl.* Ai. 322. ταῦρος ὡς μυκώμενος. *Oppian.* cyneg. 2, 104. ταῦροι μυκηταί. v. 458. ταύρου μύκημα. *Caesarius* l. l. cap. 78. p. 218. μυκαρὸς ὁ ταῦρος κατὰ σάλπιγγα. Ibidem: ὁ ταῦρος μυκώμενος.

241) *Homer.* Iliad. υ, 404. ταῦρος ἤρυγε. Hesychius: ἤρυγεν· ἐμυκᾶτο.

242) *Theocrit.* Idyll. 25, 137. ταῦροι δεινὸν βρυχῶντο. *Theodorus Hyrtac.* Epist. 1. tauro tribuit βρυχηθμόν.

243) *Apuleius* Florid. p. 358. taurorum grauis *mugitus.* *Aelius Spartianus* l. l. et Anonymus apud *Iriart.* p. 313. a. tauri *mugiunt.* Carmen de Philomela v. 54. taurus *mugit.* *Martial.* 3, 58. truces *mugiunt* tauri. Cf. *Vincentius Bellouac.* l. l. et supra not. 5.

partim improprie, partim generaliter, *ἀνακράζειν* et *ἀΰτεῖν*[244]), *κεκλήγειν*, *σαλπίζειν*, et *στενάχειν*[245]).

Thos[246]) dicitur *ὠρύεσθαι*, *γηρύεσθαι* et *ὑλακτεῖν*[247]).

Tigris Graece *ὠρύεται*[248]), Latine *rancat*[249]).

Verres Latine *quirritat*[250]). Graecum verbum non repereram. Cf. *Sus*.

Vespertilio, cum sit alatum animal, relatus olim a me fuerat inter aues. Neque id omnino male a me factum fuisse, docere possunt haec *Varronis* in Agathone verba[251]):

Quid multa? factus sum vespertilio; neque
In muribus plane, neque in volucribus sum.

Quia tamen pennis caret vespertilio, rectius in quadrupedum numero, de quibus hoc loco praecipue agimus, poni videbatur. Vespertilio igitur Graece dicitur *τρίζειν*[252]), Latine *stridere*[253]).

244) *Oppian.* cyneget. 2, 77. alter taurus *ἀνέκραγεν*, alter v. 78. *ἀντήϋσεν*, et v. 79. tribuuntur ei *ἀϋταί*.

245) *Oppian.* cyneg. 2, 58. tauri irati *προκαλίζονται* alter alterum, *ὀξέα κεκλήγοντες ἐνυαλίῃσιν ἀϋταῖς*. v. 59. *σάλπιγξαν*, h. e. quasi classicum cecinerunt, et v. 73. victus dicitur *βαρέα στενάχων*.

246) Descripta est bestia not. 150.

247) v. not. 151. et 181.

248) apud *Philostrat.* vit. Apollon. 2, 14. p. 65. ed. *Olear.* Alia v. supra not. 173.

249) Carmen de Philomela v. 49. Tigrides indomitae *rancant. Schottus* edidit *raccant. Quitschreib.* Tigris *rancat*, *racat.* Sed etiam Grammaticus apud *Iriart.* p. 312. b. habet: Tigres *rancant. Vincentius Bellouac.* l. l. tygrides dicit *racharare*, alias *racanare.* Et *Ugutio* l. l. tigridum esse ait *rechanare.* Quae omnia patet non multum inter se differre.

250) Carmen de Philomela v. 55. *Quirritat* verres. *Schottus: quiritat.* Et sic scribitur apud *Vincentium Bellouac.* l. l. qui etiam habet *curricare.* Sed *quirritare* verres recte dicuntur ab *Ugutione* l. l. et a Grammatico apud *Iriart.* p. 313. a. Nam quiritare huc non pertinere fortassis videbitur alicui. Vid. tamen not. 776.

251) apud *Nonium Marcellum* p. 75.

252) *Pollux* 5, 90. *νυκτερίδας τετριγέναι.* Anonymus *Valckenarii* l. l. p. 231. *νυκτερὶς τρίζει.* Anonymus *Iriartii* l. l. p. 307. a. *νυκτερίδος τε-*

Vitulus Graece dicitur *μυκᾶσθαι*[254]), Latine *mugire*[255]), et *fremere*[256]).

Vrsus Graece dicitur *βρυχᾶσθαι*[257]), vel *βράζειν*[258]), vel *ὀμάζειν* siue *οἰμώζειν*[259]), etiam *τονθορύζειν*[260]) et *λακεῖν*[261]) et *ληκεῖν*[262]), Latine vero *saeuire*[263]),

τριγέναι. Et alius apud eundem p. 371. b. *τρίζει ἐπὶ ἁμαξῶν καὶ νυκτερίδων.* Alia in eandem sententiam dedi supra not. 193. et infra not. 587. Apud *Herodotum* quidem 4, 183. in editionibus antiquioribus legitur *τετρύγασι, κατάπερ αἱ νυκτερίδες.* Sed hic quoque quin *τετρίγασι* recte *Wesselingius* ex *Eustathio* ad *Dionys. Perieg.* v. 180. ediderit, dubium videri non debet, praesertim cum apud eundem *Herodotum* 3, 110. codices MSS. veram lectionem seruauerint in his: *θηρία πτερωτά, τῇσι νυκτερίσι προσείκελα μάλιστα· καὶ τέτριγε δεινόν.*

253) *Isidorus* origg. 12, 7. „vespertilio — non tam voce resonans, quam *stridore.*" *Ouidius* metamm. 4, 412. sq. de vespertilionibus ita: „minimam pro corpore vocem emittunt, peraguntque leues *stridore* querelas. Cf. not. 625.

254) *Theocrit.* idyll. 16, 37. *μόσχοι σὺν βόεσσι ἐμυκήσαντο.* *Oppian.* *ἰξευτ.* 1, 15. *κίσσα βοῶσα ἐμυκᾶτο, καὶ μόσχον φόμην ἀκοῦσαι.* Cf. not. 166.

255) Certe *Varro* de ling. Lat. 6, 5. verba *Ennii:* „Tibicina maximo labore *mugit*," ponit in eorum numero nominum, quae sint ab animalium vocibus translata in homines, et a vitulo desumta esse auctor est. Sic *Plin.* H. N. 9, 13. „vitulis marinis in somno *mugitus:* unde nomen vituli. Accipiunt tamen disciplinam, voceque pariter et visu populum salutant incondito *fremitu.*"

256) De vitulis marinis modo retuli verba *Plinii.*

257) v. not. 151. Sic ab *Oppiano* cyneget. 3, 145. ursis tribuitur *σμερδαλέη βρυχή.*

258) *Pollux* verbis not. 151. exscriptis statim subiunxit haec: *εὗρον μέντοι ἐγὼ ἐπὶ τῶν ἄρκτων βράζειν καὶ βράζουσαι.*

259) Recte *οἰμώζειν* scribi pro *ὀμάζειν*, intelligi non solum e nota 268. potest, sed etiam ex hac glossa *Hesychii: βράζειν· τὸ ἡσυχῇ ὀδύρεσθαι.* et e verbis *Caesarii* l. l. cap. 78. p. 218. *ἡ ἄρκος στεναρά.* *Quitschreiberus* scribit *ὑμάζειν.* Male. Magis ferrem *ὠμάζειν*, quod not. 176. atttuli. Huic enim respondet Latinum *saeuire*, de quo vid. not. 263.

260) *Oppian.* cyneget. 3, 169. de catulis ursae: *εἰσόκε κνυζηθμοῖσιν ἀναιδέα τονθρίζωσι.* Ita *Rittershusius* edidit, sed *Schneiderus τονθορύσωσι.* Nam et per ῐ et per ῠ hoc verbum scribi, satis notum est post ea, quae interpretes *Thomae Magistri* p. 856. sq. et *Valckenar.* animaduu. ad *Ammon.* 2, 10. p. 123. hanc in rem disputarunt.

261) *Oppian.* cyneget. 4, 397. ursa *ὀξὺ δέδορκε λακοῦσα.*

262) Ibid. *ὀξὺ λέληκε.* *Hesychius: λέληκε. βοᾷ, φθέγγεται.*

uncare[264]), *rugire*[265]), *rudere*[266]), *boare*[267]), *gemere*[268]).

Vulpes Graece dicitur *γηρύεσθαι*, *ὠρύεσθαι*, et *ὑλακτεῖν*, ut iam supra significauimus[269]), Latine *gannire*[270]) et *eiulare*[271]).

Postquam percensui verba, quibus Graecos et Latinos vidissem usos esse ad significandas quadrupedum et reptilium voces, poscit ordo quem supra mihi praescripsi, ut iam enumerem ea, quibus voces auium et insectorum expressae reperiantur. In quo negotio num magno auxilio mihi futuri fuissent, si iis uti licuisset, *Thomae Radini* de vocibus auium, aut *Andreae Ornithoparchi* de vocibus libri, quorum hunc *Quitschreiberus* laudat, ex illo *Rauisius Textor* in libro supra memorato

263) *Aelius Spartianus* l. l. „ursi *saeuiunt.*“ *Salmasius* ad h. l. in fragmento quodam vocabularii (Cf. not. 24.) legi testatur: „ursi *uncare*, vel *seruire.*“ et hoc quidem ait mendosum esse pro *saeuire*, quod sumtum sit e *Virgil.* Aen. 7, 17. sq. „in praesepibus ursi *saeuire.*“ *Saeuire* ursorum esse dicunt etiam *Ugutio* l. l. et *Vincentius Bellouac.* l. l. in quo tamen et ipso legitur *seruire.* Cf. not. 264.

264) Carmen de Philomela v. 51. „ursus ferus *uncat.*“ *Ugutio* l. l. „ursorum *uncare.*“ Unde etiam apud *Vincentium Bellouac.* l. l. pro *urcare* legendum videtur *uncare*, et in fragmento apud *Iriart.* p. 313. a. ubi est: „Ursi *urgant*, vel *seuiunt*,“ reponendum: „*uncant*, vel *saeuiunt.*“

265) Vulgatus interpres Ies. 59, 11. *rugiemus* quasi ursi omnes.

266) *Claudian.* de Mallii consulatu v. 297. ursi magna mole *rudentes.* Ubi tamen veriorem putabam lectionem *ruentes.*

267) *Valer. Flaccus* 3, 634. *reboat* ursa lupis.

268) *Horat.* epod. 16, 51. *circumgemit* ursus ouili. ad q. l. *Scholiastes Crucquianus*: „proprietatem expressit ursorum in verbo *gemere.*“ *Quitschreiberus*: Ursus *uncat*, *saeuit*, *murmurat.* Sed huius ultimi nullum exemplum noueram.

269) not. 151.

270) Carmen de Philomela v. 59. „fallax vulpecula *gannit.*“ *Ugutio* l. l. vulpium *gannire.*“ *Vincentius Bellouac.* l. l. „vulpes *gannire.*“ Cf. *Latomus* ad *Terent.* Adelph. 4, 2, 17.

271) Anonymus apud *Iriart.* p. 313. a. „Vulpes *eiulant.*“ Vir doctus aliquis libello *Quitschreiberi* adscripsit verbum *baubare*, quod sane non dubitabam quin de vulpe dici posset, sed exemplum desiderabam.

quaedam attulit, equidem, cum neuter mihi praeterea innotuisset, prorsus nesciebam. Fortassis ex alterutro exscissum est folium illud typis impressum, atque etiam manu descriptum, quod in libelli Quitschreiberiani exemplo, ab huius aliquo possessore inditum, seruat bibliotheca Zwiccauiensis. Illud video, *Radinum* istum sua hausisse ex carmine de Philomela, sed non pauca aliter, quam nunc ibi leguntur, in libro, quo utebatur, scripta inuenisse. Plus prosunt, quae *Gerardus Johannis Vossius* collegit[272]).

Aues in uniuersum dicuntur *φωνεῖν*[273]), *κλάζειν*[274]), *κεκλήγειν*[275]), *λαλαγεῖν*[276]), *ᾄδειν*[277]). Praeter *φωνὴν* etiam *φθογγὴ* iis tribuitur[278]). Maxime exilis ac tenuis earum vox proprio nomine vocatur *λίκιγξ*[279]). Inprimis autem et plurimas voces emittunt coitus tempore[280]), multae item alibi mutae sunt, alibi vocales, aut sonum mutato loco mutant[281]). Latine

272) de theologia gentili 3, 88. et 89.

273) v. *Schol. Theocrit.* ad idyll. 2, 209. Verba iam dedi not. 94.

274) *Sophocles* Oedip. Tyr. 966. *τοὺς ἄνω κλάζοντας ὄρνις.*

275) *Quintus Smyrn.* de Ilii excidio 1, 58. *ὄρνιθες, ταναῇ ὀπὶ κεκλήγοντες.*

276) *Theocrit.* idyll. 5, 48. *ἐπὶ δένδρων ὄρνιχες λαλαγεῦντι.* quod verbum *Scholiastes* interpretatur verbis *λιγυρὸν ᾄδουσι.*

277) *Oppian.* *ἰξευτ.* 3, 1. *φωνῆς ἀκούειν τῶν ᾀδόντων* (np. auium) *ἡδείας. — ὀρνίθων φθογγή.*

278) v. not. 277. Sic *Aelian.* H. A. 6, 19. *φθέγγεται αὐτῶν τὰ μὲν γοερὰ καὶ θηλύφωνα, τὰ δὲ ὄρθια καὶ διάτορα· καὶ τὰ μὲν ἀπὸ τῶν κλάδων ἐπὶ τοὺς κλάδους καταθέοντα ᾄδει, ὥσπεροῦν ἐπὶ τοὺς οἴκους ἐκ τῶν προτέρων οἴκων ἀμείβοντες, διὰ τὴν τρυφὴν καὶ τὴν τοῦ βίου θρύψιν· τὰ δὲ ἐν τοῖς λειμῶσι κατᾴδει, οἱονεὶ πανηγυρίζοντα βίον, ὡς ἂν εἴποις, ἀνθηρὸν καὶ ἁβρὸν διαιτώμενα, τὴν ἦρος ἐπιδημίαν μελῳδίαις ἔγωγε ἂν φαίην εὐφημεῖν.*

279) *Schol. Aristoph.* ad Acharnn. 1034. *λίκιγξ ἡ ἐλαχίστη βοὴ τοῦ ὀρνέου.*

280) v. *Aristot.* H. A. 9, 49. et *Plin.* H. N. 11, 51.

281) v. *Casaub.* ad *Athenae.* 9, p. 673, 45. (siue Vol. V. animaduerss. *Schweighäuser.* p. 160.) Sic *Lucretius* 5, 1080. sqq.

Longe alias alio iacimit in tempore voces,
Et quom de victu certant, praedaque repugnant.

dicuntur *garrire*[282]), et *canere*[283]), etiam *clangere*[284]). Aliae appellantur *raucae*[285]), aliae *argutae*[286]). Aues minores sunt caeteris *loquaciores*[287]), et cantus earum *minuritiones* nominantur[288]). Aues domesticae vocantur φρυαττόμενοι καὶ ὑποτρύζοντες[289]), nocturnae di-

Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus etc.

Et *Plinius* H. N. 10, 29. „oscines fere mutant colorem vocemque.“ 11, 51. „aliis in pugna vox, — aliis ante pugnam, — aliis cum vicere.“

282) Carmen de Philomela v. 7. „Est auium, spatiis *garrire* diurnis.“ *Diomedis* verba huc pertinentia habes not. 11. Unde *Nonius* p. 345. „*Garrulae* dicuntur aues canorae et hilares.“ Sic *Ouid.* tristt. 3, 12, 8. „Indocili *loquax* gutture vernat *auis.*“ ubi *Munckerus* ad *Fulgent.* mytholog. p. 10. verbum *vernare* interpretatur: verno tempore cantillare, et *verniles* vel *vernulas* aues dicit esse *argutas*, quam in rem locum ex *Rutilii* itinerario attulit, atque apud *Fulgentium* l. l. edidit quidem „auium quaedam *vernulitas*,“ sed magis sibi probari ostendit alteram lectionem, *vernilitas*, h. e. dicacitas. Cf. not. 283.

283) *Plin.* H. N. 11, 51. „Quaedam toto anno *canunt.*“ Hinc *Virgil.* Ge. 1, 422. „auium *concentus.*“ *Vomanus* de laudibus hortuli v. 19. sq. „Aues *canoros garrulae* fundunt sonos, Et semper aures *cantibus* mulcent suis.“

284) Apud *Apuleium* Florid. p. 358. sunt auium instigati *angores.* Sex vix dubitandum putabam, quin reponendum esset *clangores.*

285) ut apud *Virgil.* Aen. 7, 705.

286) ut a *Propertio* 1, 18, 30.

287) v. *Plin.* H. N. 11, 51.

288) Diserte hoc dicit *Festus* siue *Paulus Diaconus* p. 319. ubi tamen *Gothofredus* male edidit *minutritiones.* Neque *minurritio* recte scribitur: id quod praeter alios *Iriarte* in notis ad Excerptum veteris Grammatici l. l. p. 311. a. obseruauit. In codice MS. ibi legitur sic: „Aues *fecinniunt*, vel *minurriunt.*“ *Iriarte* recte rescribi iubet *fritinniunt — minuriunt.* Nam hoc verbum natum est ex Graeco *μινυρίζειν*, quod *gracili voce cantillare* significat. Gloss. Vett. *minurit*, *μινυρίζει.* *Hesychius:* *μινυρίζει· ὀλίγῃ φωνῇ καὶ οἰκτρᾷ χρῆται, ἢ εὐφώνως λέγει.* Item: *μινυρόν· ὀλίγον, μικρόν.* Hinc etiam *Ugutio* l. l. corrigendus est, qui scripsit: „dicunt quod *minurrire* est omnium minutissimarum auicularum.“ Recte per simplex R scripsere *Pontanus* l. l. et *Becmanus* l. l. p. 306. et *Ioh. Bapt. Pius* l. l. qui Graecum *μινυρίζειν* Latine reddit *cantillare* et *voce paruula succinere*, et *minutim instrepere*, a Latinis autem dici ait *minurizare.*

289) v. *Aelian.* H. A. 7. 7.

cuntur *ἐπιστενάχεσθαι λυγρὸν, ἐρημαῖον βοῶντες*[290]). Sunt tamen etiam aues, quae nullam omnino vocem edere dicuntur[291]).

Acanthis *ᾄδειν* legitur[292]).

Accipiter Graece *κρίζει*[293]), Latine *pipat*[294]), vel *clangit*[295]). Omnino vox eius dicitur similis esse voci coruorum et monedularum[296]). Conf. *Circus*.

Acredula non modo dicitur *ᾄδειν*[297]), quod in verborum generis numero poni potest, sed *ὀλολύζειν*[298]) quoque et *τρύζειν*[299]), quae sunt verba propria. Latine *mitilat*[300]), et *canit*[301]).

290) apud *Quintum Smyrn.* de Ilii exidio 1, 503. sq.

291) ut Melaenaëtos apud *Plin.* H. N. 10, 3. Mergus (*αἴθυια*) ap. *Oppian.* *ἰξευτ.* 2, 5. Nibas apud *Aelian.* H. A. 15, 20.

292) *Theocrit.* idyll. 7, 141. *ἄειδον κόρυδοι καὶ ἀκανθίδες.*

293) Grammaticus apud *Valckenar.* l. l. p. 230. *ἱέραξ κρίζει.* Alius Grammaticus apud *Iriart.* p. 307. a. ut apud *Tittmannum* l. l. et *Moschopulum* l. l. *ἐπὶ ἱέρακος κρίζειν.* Alius apud eundem p. 371. b. *κρίζει ἐπὶ κίρκου καὶ ἱέρακος.* *Eustath.* ad *Homer.* Iliad. ρ, p. 1171, 11. edit. Basil. *εἰ δέ τις ὀνοματοποιΐα τὸν κίρκον* (qui est accipitris species) *παράγει, ὥσπερ ἡ κρὲξ τὸ ὄρνεον ἐκ τοῦ κρέγειν παρῆκται, ἵνα ᾖ ἐκ τοῦ κρίζειν κρίκος, καὶ πρὸς ἀποφυγὴν συνεμπτώσεως κίρκος, — οὐκ ἔστιν ἀσφαλῶς ἀποφήνασθαι.* Et ad Il. χ. p. 1384. 52. *ἴσως, καθὰ καὶ προεγράφη, καὶ ὁ κίρκος ἀπὸ τοῦ κρίζειν, κατὰ μετάθεσιν, πρὸς διαστολὴν τοῦ ὀργάνου κρίκου.* *Pollux* 5, 89. dicit quidem, *ἱέρακας ῥύζειν*, et Grammaticus apud *Iriart.* p. 306. b. *ἱέρακος ῥύζειν.* Sed in utroque loco rescribi debet *κρίζειν*.

294) Ita quidem Carmen de Philomela v. 24. *Rauisius Textor* l. l. p. 280. et *Radinus* ibid. p. 281. Sed *Ugutio* l. l. dicit: „accipitrum pipitare.“ *Quitschreiberus* habet *pipilat*, *Vincentius Bellouacensis* l. l. *pipiat*. Et folium illud, quod supra dixi exemplo libelli Quitschreiberiani Zwiccauiensi additum esse, exhibet *pipit*.

295) A *Plinio* H. N. 10, 8. accipitri tribuitur *clangor*. Dicitur etiam *quillare*. v. not. 329.

296) *Aratus* v. 965. sq. *κόρακες — κολοιοὶ ἰρήκεσσιν ὁμοῖον φθεγξάμενοι.* Cf. *Aelian.* H. A. 7, 7. ubi *κολοιοὶ* vocantur *ἱερακίζοντες*.

297) *Theophrast.* p. 433. edit. *Heins.* *ὀλολυγὼν ᾄδουσα.*

298) *Eustath.* ad Iliad. ψ, p. 1399, 49. ed. Basil. *ἡ ὀλολυγὼν ὀλολύζει.*

299) *Aratus* v. 948. *τρύζει — ὀλολυγών.* Cf. Geoponn. 1, 3, 11. *Theocrit.* idyll. 7, 140. *ὀλολυγὼν τρύζεσκεν.* ad quem locum *Scholiastes*: *πολλὰ τῶν ζώων ἀπὸ φωνῆς ἔχει τὴν κλῆσιν· ὀλολύζω, ὀλολυ-*

Alauda ᾄδει [302]).

Anas Latine dicitur vel *tetrinire* [303]), vel *restissicare* [304]), vel *recrissare* [305]). Graecum verbum, quo vox eius exprimeretur, nondum repereram.

Anser Graece non tantum ἀναβοᾷ [306]), sed etiam κλάγγει [307]), et, quod est verbum maxime proprium, παππάζει [308]). Latine *gingrit* [309]), *gratitat* [310]), *glutit* [311]),

γών· — ἀείδω, ἀηδών· τρύζω, τρυγών· — κοκκύζω, κόκκυξ. E quibus verbis colligas, τρύζειν proprie turtures dici.

300) Carmen de Philomela v. 15. sq. „vere calente nouos componit acredula *cantus*, Matutinali tempore tunc *mitilans*.“ pro quibus verbis postremis *Schettus* l. l. edidit *rurilulans*.

301) v. not. 300.

302) v. not. 292.

303) v. Carmen de Philomela v. 22. *Rauis. Textor* et *Radinus* ll. ll.

304) v. *Vincent. Bellouac.* l. l. Sed *Quitschreiberus* habet non solum *tetrinit* vel *tetrinnit*, sed etiam *restrissitat* et *tegunnitat*.

305) v. *Ugutio* l. l.

306) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 18. χῆνες ἀναβοῶντες — ἀτερπεστάτῃ φωνῇ χρώμενοι. *Theophrast.* p. 437. χῆνες βοῶντες.

307) *Aratus* v. 1021. χῆνες κλαγγηδὸν ἐπειγόμεναι. In Geoponn. 1, 3, 9. ex eodem pro κλαγγηδὸν est μετὰ κλαγγῆς.

308) *Pollux* 5, 90. χῆνας παππάζειν. quod an recte scriptum sit in libris *Pollucis*, alibi se consideraturum profitetur *Casaub.* ad *Athenae.* 12, 3. (T. VI. animaduerss. *Schweighäuser.* p. 370.) Fortassis ille maluit κακκάζειν. Sed etiam Codex MS. apud *Iriart.* l. l. p. 371. b. habet παπάζει ἐπὶ χηνός.

309) *Festus* p. 293. „*gingrire* anserum vocis proprium est.“ Gloss. Vett. „*gingriunt*, χῆνες ἐκβοῶσιν. *gingrum*, φωνὴ χηνός.“ Unde *Arnobius* adu. gentes 6, p. 199. F. edit. *de la Barre*, Paris 1580. f. „anserum *gingritibus*.“ Grammaticus apud *Iriart.* l. l. p. 310. b. „anseres *crinniunt*.“ Sed *Iriarte* legi recte iubet *gingriunt*. Cf. *Casaub.* ad *Athenae.* 4, 23. (Vol. II. animaduu. *Schweighäuser.* pag. 640.) Fortassis etiam *gliccit*, quod *Quitschreiberus* habet sine auctore, in *gingrit* mutandum est, vel in *glutit*. Cf. not. 311.

310) Carmen de Philomela v. 19. *Rauis. Textor* et *Radinus* l. l. Sed *Quitschreiberus* habet *glocitat*. MS. Zwiccauiense *gracit*. In *Casaubonianis* p. 56. editum est: „anseres *qualitant*.“

311) v. *Vincent. Bellouac.* l. l.

strepit[312]), etiam *clangit*[313]), et *sclingit*[314]), et *canit*[315]), et *argutus* vocatur[316]).

Anthus, v. Florus.

Apis dicitur *βομβεῖν*[317]), et *φωνὴν μονῶτιν* habere[318]), *bombire, bombiscere, bombilare*[319]), *murmurare*[320]),

312) *Virgil.* ecl. 8, 36. „argutos inter *strepere* anser olores."

313) *Plin.* H. N. 18, 35. „anseres *continuo clangore* intempestiui." *Isidor.* origg. 12, 7. „anser vigilias noctis assiduitate *clangoris* testatur."

314) *Ugutio* l. l. „anserum *sclingere*." Equidem hoc putauerim serioris aeui verbum esse pro *clangere*. Certe non probem, quae *Quitschreiberus* posuit: „anser *selingit* vel *siclingit*.

315) *Virgil.* Aen. 8, 655. sq. „anser — *canebat*."

316) v. *Martial.* 3, 58.

317) Grammaticus *Aldi* l. l. *Tittmanni* l. l. et *Moschopuli* l. l. *ἐπὶ σφηκὸς καὶ μελισσῶν βομβεῖν.* Eadem habet Grammaticus *Iriartii* p. 307. a. nisi quod *σφηκῶν* scripsit, quod *Iriarte* p. 313. b. singulari *σφηκὸς* recte praeferendum putat, quamquam alius Grammaticus apud eundem p. 371. b. itidem dedit: *βομβεῖ ἐπὶ σφηκὸς καὶ μελισσῶν. Pollux* 5, 89. *μελίττας βομβεῖν. Anonymus* apud *Valckenar.* l. l. p. 231. *μέλιττα βομβεῖ.* Alius anonymus apud *Iriart.* p. 307. a. *μελίττης βομβεῖν. Theocrit.* idyll. 1, 107. et 5, 46. *καλὸν βομβεῦντι μέλισσαι. Schol. Aristoph.* ad Acharnn. 866. *βομβύλιος· εἶδος μελίσσης· καὶ εἴρηται παρὰ τὸ βομβεῖν.* Cf. not. 423. *Aristot.* H. A. 9, 40. *ἕως ἂν μία* (*μέλισσα*) *περιπετομένη βομβήσῃ.* Cf. 4, 9. *Philippus Thessalonicensis* in *Brunckii* analectt. Vol. II. p. 220. n. XXX. *ἑσμῷ βομβητῇ. Apollon. Rhod.* 2, 133. *μέλισσαι βομβηδὸν κλονέονται.*

318) v. *Aristot.* H. A. 9, 40.

319) *Papias* apud *Vincentium Bellouac.* l. l. „apes *bombire* vel *bombilare*." *Ugutio* l. l. „apum *bombire* vel *bombilare*." Carmen de Philomela v. 36. „*Bombilat* ore legens munera mellis apes." MS. Zwiccauiense habet *bombisare*. Et *Quitschreiberus*, haud dubie perperam, scripsit: „apis *boat*." Fortasse voluit *bombat*. Sed habet etiam *bombizat*. *Varro* de R. R. 3, 16. „apes faciunt *bombum*." *Plin.* H. N. 11, 10. „apis excitat gemino aut triplici *bombo*, ut buccino aliquo, — donec una circumuolet, eodem, quo excitauit, *bombo*." Anonymus *Iriartii* p. 310. b. „apes *bumbiscunt*." Lege *bombiscunt*. Valde etiam probarem, si quis in locis antea laudatis pro *bombilare* scriberet *bombitare*. Certe *Festus* p. 260. „*bombitatio*, inquit, est sonus apum, ab ipso sonitu dictus."

320) *Plin.* H. N. 11, 3. „in tanto *murmure* apum." 11, 16. „apes *murmurantes*." 11, 17. „*murmure* (apum) intus *strepente*." 11, 18. „tristi *murmure*." Cf. not. 321.

mussare et *susurrare*[321]), *strepere*[322]), *stridere*[323]). Cf. *Siren*, et *Vespa*.

Aquila κλάζει[324]), κλαγκάζει siue κλάγγει[325]), μινυρίζει[326]), etiam φθέγγεται[327]), quod patet esse nomen generis, Latine *clangit*[328]), vel *quillat*[329]). Cf. *Valeria*.

321) *Virgil.* Ge. 4, 188. „fit sonitus, *mussantque* (apes).“ 4, 260. „tractimque *susurrant. Vomanus* de laudib. hortuli v. 13. „apes *susurro murmurant* leui.“

322) *Vincentius Bellouac.* specul. natur. 22, 4. ex *Aristotele* (H. A. 4, 9.) „*strepitus* apum et cicadarum non est vox.“ Cf. not. 320.

323) *Virgil.* Ge. 4, 556. „*stridere* apes.“ Aen. 7, 65. „apes — *stridore* ingenti.“

324) *Pollux* 5, 89. εἴποις δ' ἂν, κλάζειν μὲν ἀετούς. Anonymus *Iriartii* p. 306. b. ἀετῶν τὸ κλάζειν. *Zenodotus* ibid. p. 308. a. ἐπὶ ἀετῶν κλάζειν. Codex 45. apud *Creuzerum* l. l. κλάζειν ἀέτων. *Sophocles* Antigon. 112. ὀξέα κλάζων αἰετός.

325) Grammaticus *Aldi* l. l. et Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. ἐπὶ ἀετῶν κλαγκάζειν. Grammaticus *Tittmanni* l. l. ἐπ' ἀετῶν καγκλάζειν ἢ κλαγγάζειν, ὡς καὶ ἐπὶ γεράνων. Apud *Moschopulum* l. l. ἐπὶ ἀετῶν, καγκλάζειν, ἢ κλαγκάζειν· ὡς καὶ ἐπὶ γεράνων. Anonymus apud *Iriart.* p. 307. a. ἐπὶ ἀετῶν (ita enim legendum est pro ἄρκτων) καγκλάζειν καὶ κλαγκάζειν, ὡς ἐπὶ γεράνων. Alius ibid. p. 371. b. καγγάζει (vitiose pro κλαγγάζει) ἐπὶ ἀετοῦ. *Zenodotus* apud *Valckenar.* l. l. p. 228. ἐπὶ ἀετῶν καγκλάζειν. Sed *Valckenar.* scribendum putat ἐ. ἀ. κλάζειν, κλαγγάζειν. Et haud dubie κλαγγάζειν verum est, non καγκλάζειν, neque κλαγκάζειν, quanquam etiam Anonymus apud eundem *Valckenar.* p. 230. habet: ἀετὸς καὶ γέρανος καγκλάζει. *Theocrit.* idyll. 17, 71. ἔκλαγε φωνᾷ αἰετός. *Maximus Tyrius* diss. 31, 3. αἰετοῦ κλάγξαντος. *Aelian.* H. A. 5, 50. πρὸς ἀετῶν κλαγγήν.

326) *Aristot.* H. A. 9, 32. bis: (ἀετὸς) μινυρίζει. de quo verbo dixi not. 288.

327) *Xenophon* anab. 6, 1, 15. αἰετὸν δεξιὸν φθεγγόμενον.

328) Carmen de Philomela v. 27. „Dum *clangunt* aquilae.“ *Ugutio* l. l. „aquilarum *glangere*.“ (*Quitschreiberus* adeo *gangit* habet. Pessime.) Lege *clangere*, ut recte scribitur apud *Vincent. Bellouac.* specul. natur. 22, 6. Sic *Cic.* Tusc. 2, 10. „aquila *clangorem* fundit vastum.“ *Liu.* 1, 34. „aquila cum magno *clangore* volitans.“ Et *Sueton.* in Domitiano c. 6. aquilae tribuit *clangores* laetissimos.

329) Huius verbi auctorem noueram unum Anonymum apud *Iriart.* p. 311. a. „aquila vel accipiter *quillat*.“ Sed *Iriartius* iam obseruauit, aut deprauatam, aut insolentem esse dictionem.

Ardea siue *Ardeola* Graece dicitur *κλάγξαι*[330]), et *λεληκέναι*[331]), etiam omnino φθέγγεσθαι[332]) κρά-ζειν[333]), βοᾶν[334]), ut Latine *vociferari*[335]). Cf. *Diomedeae aues.*

Attagen, vocalis alias, captus vero obmutescens[336]), narratur coturnicis vocem aliquamdiu emisisse, deinde vero semper voce magis distincta, quam qua utuntur pueri planissime loquentes, canere τρὶς τοῖς κακούργοις κακά[337]).

Bubo Graece dicitur ᾄδειν[338]), sed proprie βύζειν[339]). Nempe a sono vocis compositum nomen habet[340]). Latine dicitur *bubulare*[341]), *gemere*[342]), *queri*[343]), et *raucus* appellatur[344]).

330) *Homer.* Iliad. κ, 276. ἐρωδιὸς κλάγξας.

331) *Aratus* v. 914. ἐρωδιὸς φωνῇ περὶ πολλὰ λεληκώς. v. 972. ἐρωδιὸς ὀξὺ λεληκώς.

332) *Theophrast.* p. 418. ἐρωδιὸς ὄρθριον φθεγγόμενος — ἐὰν βοᾷ — βοῶν.

333) *Aristot.* H. A. 9, 1. ὁ πέλλος (ἐρωδιὸς) — κράζει.

334) *Aelian.* H. A. 7, 7. ἐρωδιὸς κνεφαῖος βοῶν. Cf. not. 332.

335) *Plin.* H. N. 10, 6. „ardeolarum *vociferatus.*"

336) Ita scribit *Plinius* H. N. 10, 48.

337) v. *Socrates* apud *Athenae.* 9, p. 388. A. et *Aelian.* H. A. 15. 27.

338) *Aesopus* fab. 77. βούταλις νύκτωρ ᾄδει.

339) *Dio Cassius* βύας ἔβυξε bis scripsit, 56, 29. et 72, 24.

340) Sunt verba *Isidori* origg. 12, 7.

341) Carmen de Philomela v. 37. „*Bubulat* horrendum ferali carmine bubo." *Schottus* edidit: „*Bubilat* h. f. *murmure* b." Et *bubilat* habet etiam MS. Zwiccauiense. Sed *Musgrauius* ad *Iul. Capitolin.* Antonin. Get. c. 5. p. 38. dedit *ululat*, et *Rauisius Textor* l. l. p. 281. *bubat.* Denique *Quitschreiberus bubit*, *bubolat*, *bubulat*, *bubat.* Fortassis *bubilare* mutandum est in *bubitare.* Cf. not. 319.

342) *Seneca* Hercul. Fur. 686. „luctifer bubo *gemit.*" *Plin.* H. N. 10, 12. „bubo non cantu aliquo vocalis, sed *gemitu.*" *Apuleius* Florid. p. 349. „occinunt et occipiunt carmine bubones *gemulo.*"

343) *Virgil.* Aen. 4, 462. „visa ferali carmine bubo saepe *queri* et *longas in fletum ducere voces.*" *Lucan.* 6, 689. „quod trepidus bubo, quod strix nocturna *queruntur.*" Cf. not. 393. de coruo nocturno.

344) v. *Ouid.* amorr. 1, 12, 19.

Butio Latine *bubit*[345]). Graecum vocis verbum non habebam.

Caeneus legitur *clangere*[346]).

Cantharus, insectum, dicitur ἠχεῖν[347]).

Carduelis imitari discit aliorum animalium voces. Est quae boum mugitus imitetur, in Arelatensi agro *taurus* appellata, alioquin parua[248]).

Cercopa, cicadae simile animal, vocatur λάλος[349]).

Cex siue *Ceyx* dicitur κηκάζειν[150]),

Charadrius vocatur *garrulus*[351]).

Cicadae nominantur τὰ εὐφθογγότατα τῶν ζώων[352]), item ᾠδικοὶ et μουσικοὶ[353]), et ἀχέται[354]). Unde in uni-

345) Carmen de Philomela v. 42. „Inque paludiferis butio *bubit* aquis.“ *Schottus* edidit *buttit.*

346) *Ouidius* metamm. 12, 528. Caenea auem appellat ingenti circum *clangore* sonantem.

347) v. *Oppian.* ἰξευτ. 3, 11.

349) Sunt verba *Plinii* H. N. 10, 42.

349) *Alexis* apud *Athenae.* 4, p. 133. C. σοῦ δὲ ἐγὼ λαλιστέραν οὐ πώποτ' εἶδον οὔτε κερκώπην, γύναι, οὐ κίτταν, οὐκ ἀηδόν', οὐ τρυγόν', οὐ τέττιγα. Cf. *Eustath.* ad *Homer.* Il. ζ, p. 503, 45.

350) *Eustath.* ad Odyss. ο, p. 1780, 20. ed. Rom. κήξ, ὄρνεον θαλάσσιον, χελιδόνι παραπλήσιον, κατὰ τοὺς παλαιούς. ἢ λάρος, ἢ αἴθυια, ἧς ἡ γενικὴ δοκεῖ εἶναι κηκός. ὅθεν ἴσως τὸ κηκάζειν ἐπὶ βλασφημίας, πρὸς ὁμοιότητα τοῦ κακάζειν· ὃ καὶ αὐτὸ φωνὴ ὄρνιθός ἐστι.

351) *Tertullianus* de cibis Iudaicis p. 655. ed. *de la Barre*, Paris. 1580. fol. charadrio tribuit *garrulam nimis linguae intemperantiam.*

352) a *Strabone* 6, 9. T. II. p. 236. ed. *Tzschuck.* in quo eodem capite disserit de τέττιξι nonnullis ἀφώνοις, ut *Pausanias* 6, 6. p. 466. ed. *Kuhn.*

353) ᾠδικοὶ quidem ab *Eustath.* ad Iliad. γ, p. 395, 36. ed. Rom. sed μουσικοὶ a *Clemente Alexandrino* stromm. 5, p. 558. D. ed. Colon. 1688. fol. et a *Theophylacto Simocatta* epist. 1. Cf. not. 359. Similiter apud *Caesarium* l. l. cap. 78. p. 218. ὁ τέττιξ συριγγόφωνος.

354) *Aristoph.* Pac. 1159. sq. ἡνίκ' ἂν ἀχέτας ᾄδη τὸν ἡδὺν νόμον. ubi Scholiastes: ὁ τέττιξ· παρὰ τὸ Ἡσιόδειον· (Ἐργ. 582. et Ἀσπ. 393.) — ἠχέτα τέττιξ. *Alcaeus* apud *Proclum* ad *Hesiod.* p. 153. a. ἄχει δ' ἐκ πετάλων ἀχέτα (ita enim legendum est pro τάδε ἂν) τέττιξ. Etiam apud *Aelian.* H. A. 10, 44. ἀχέτας est in nominibus cica-

uersum dicuntur φθέγγεσθαι et λαλεῖν[355]) et ἠχεῖν[356]), sed verbis magis propriis, ᾄδειν[357]) et λαλαγεῖν[358]), et maxime propriis, τερετίζειν[359]) atque βαβράζειν[360]), La-

dae. Est enim i. q. ἠχέτης, h. e. *canorus*, quare *Kusterus* ad *Suid.* in v. ἀκανθίας, quanquam *Aelianum* l. l. praeeuntem habuit, ἀχέταν male putauit peculiarem cicadae speciem esse. Recte *Aelius Dionysius* apud *Eustath.* ad Odyss. δ, p. 1481, 51. ἀχέτην ἐκτίθησι τὸν ἠχητικὸν τέττιγα. Idem *Eustath.* ad Iliad. γ, p. 395, 40. φανερὸν, inquit, ὅτι ἄῤῥενες τέττιγες ᾄδουσιν, οἳ καὶ ἀχέται παρ' Ἡσιόδῳ, ἄφωνοι δὲ τὸ θηλειῶν εἶδος. quod ipsum tradunt *Aristot.* H. A. 5, 30. *Plin.* H. N. 11, 26. (ubi male vocantur *achatae* pro *achetae.*) *Hesych.* in v. κερκώπη, et *Suid.* l. l.

355) v. *Strabo* l. l. ubi etiam φθόγγος cicadis tribuitur. *Aristophon* ap. *Athenae.* 6, p. 238. D. μεσημβρίας λαλεῖν τέττιξ. Quod verbum quomodo intelligendum sit, docemur epítheto λάλος, quod non raro cicadae tribuitur, ut ab *Eueno*, in *Brunckii* analectt. Vol. I. p. 166. epigr. XIII. Add. not. 349. Sic *Aelian.* hist. animm. 6, 19. ἴσμεν— τὸ τεττίγων φῦλον — λάλον.

356) Grammaticus *Aldi* l. l. ἐπὶ τέττιγος ἠχοῦν. Rectius Anonymus *Tittmanni* l. l. et *Moschopuli* l. l. et *Iriartii* p. 307. a. ἐπὶ τέττιγος ἠχεῖν. Et alius ibid. p. 371. b. ἠχεῖ ἐπὶ τέττιγος. Anonymus *Valckenarii* p. 231. τέττιξ ἠχεῖ. *Zenodotus* ibid. p. 229. ἐπὶ τεττίγων — ἠχεῖν. Quanquam enim *Iriarte* p. 313. b. ἠχοῦν putat ferri posse, quia circumflexa primae coniugationis ad tertiam aliquando desciscant: nunquam tamen inueni cicadas ἠχοῦν dici. *Theocrit.* epigr. 16, 96. τέττιξ ἀχεῖ. *Eustath.* ad Iliad. γ, p. 395, 37. δῆλον δὲ ὅτι οἱ τέττιγες — ἀφ' ὑψηλοῦ ἠχοῦσι. Cf. not. 354.

357) *Aristot.* H. A. 4, 9. τὰ δὲ (ἔντομα) ᾄδειν λέγεται, οἷον οἱ τέττιγες. *Aelian.* H. A. 3, 38. οἱ τέττιγες πυρουμένου τοῦ ἡλίου ᾄδουσιν. *Aristoph.* Auu. 39. sq. οἱ τέττιγες ἕνα μῆν' ἢ δύο ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσιν. *Stesichorus* apud *Aristot.* rhet. 3, 11. οἱ τέττιγες ἑαυτοῖς χαμόθεν ᾄσονται. *Clemens Alexandr.* protrept. p. 2. A. ὁ τέττιξ ᾄδει. *Theophylact.* epist. 53. (in *Meursii* opp. T. VIII. p. 901.) τοὺς τὰ τῆς ἑορτῆς ᾄσοντας τέττιγας. Cf. not. 354.

358) *Theocrit.* idyll. 7, 139. τέττιγες λαλαγεῦντες. Schol. ᾄδοντες.

359) *Pollux* 5, 89. τέττιγας τερετίζειν. Anonymus *Iriartii* p. 307. a. τεττίγων τερετίζειν. *Zenodotus* apud eundem p. 308. a. et apud *Valckenar.* p. 229. ἐπὶ τεττίγων τερετίζειν. Anonymus ibid. p. 231. τέττιξ — τερετίζει. *Clemens Alex.* protrept. p. 1. B. ὁ τέττιξ ἐτερέτιζεν. *Quitschreiberus* habet τεττίζει. Nam *Etymol. M.* p. 755, (684,) 4. τέττιξ, inquit, μουσικώτατον ζῶον, παρὰ τὸ τερετίζω, τὸ μουσικῶς φωνῶ, τερέτιξ· καὶ συγκοπῇ τέττιξ. Habet tamen τεττίζω etiam *Stephanus* in thesauro ling. Graec. et *Ioach. Camerarius* l. l. p. 200.

tine autem *canere*[361]), et, quod est verbum magis proprium, *fritinnire*[362]). Praeterea *raucae* appellantur[363]) et *querulae*[364]), tribuiturque iis *sonus*[365]), *stridor*[366]) et *carmen obstreperum*[367]).

Ciconiae vocatae a sono, quo *crepitant*, quasi cicaniae: quem sonum oris potius esse constat, quam vocis, quia eum quatiente rostro faciunt[368]). Unde etiam dicuntur *plaudere rostro*[369]) et *glotorare rostro*[370]), quanquam nec desunt loci, ubi leguntur *inter se commurmurare*[371]).

Circus, quae est accipitris species, *κλάγγει*[372]), et *κρίζει*[373]).

360) *Ananius* apud *Athenae.* 7, p. 282. B. *ὅταν θέρος τ' ᾖ, κ' ἠχέται βαβράζωσιν.*

361) *Plin.* H. N. 11, 26. „cicadae *canunt.*" Cf. c. 27.

362) Grammaticus *Iriartii* p. 310. b. „cicades *fretenniunt.*" Legendum est *fritinniunt*, eodemque modo emendanda verba *Vincentii Bellouac.* l. l. „cycadas *fricunire.*" et *Ugutionis* l. l. „cicadarum *frintinnire.*" MS. Zwiccauiense recte exhibet *fritinnit.*" Cf. not. 363.

363) Carmen de Philomela v. 35. „*fritinnit* (ut *Schottus* recte edidit pro *fritinit*) *rauca* cicada." *Virgil.* ecl. 2, 12. „*raucis* cicadis."

364) v. *Virgil.* Ge. 3, 328.

365) v. *Plin.* H. N. 11, 3.

366) *Plin.* H. N. 11, 51. „*cum tractu stridorem edere*, ut cicadas."

367) v. *Apulei.* Florid. p. 349. Cf. not. 322. Sic *strepitare* dicuntur apud *Solin.* c. 9. etiam *sonitare*, et *obmurmurare.* Omnino v. *Voss.* de theologia gentili 4, 77.

368) Sunt verba *Isidori* origg. 12, 7. Cf. not. 369.

369) *Ouid.* metamm. 6, 97. „ipsa sibi *plaudat crepitante* ciconia *rostro.*"

370) Carmen de Philomela v. 29. „*Glotorat* immenso — ciconia *rostro.*" *Schottus* edidit *gloctorat.* *Vincentius Bellouac.* l. l. habet: „ciconias *glocolare* vel *crocolare.*" Anonymus *Iriartii* p. 310. b. „ciconiae *grattulant* vel *glottorant*, vel *critalant.*" Sed *Iriartio* non nisi *glotorare* vel *gloctorare* probatur. Vitiosum est, quod extat apud *Ugutionem*: „ciconiarum *gloitolare.*"

371) *Plin.* H. N. 10, 22. „ciconiae congregatae *inter se commurmurant.*"

372) *Aelian.* de nat. animm. 5, 50. *κλαγγὴν κίρκων.*

373) v. not. 293.

Columba vocatur βαρύφθογγος[374]), et dicitur Graece vel κακκαβίζειν[375]), vel γογγύζειν[376]), vel λαρύνειν[377]), Latine *gemere*[378]) et *plaudere*[379]). Cf. *Liuia*, *Palumbes* et *Turtur*.

Cornix, cum non unam semper vocem edat[380]), nunc φθέγγεσθαι dicitur[381]), nunc ᾄδειν[382]), modo κράζειν[383]), modo κρώζειν[384]), et interdum λάλος, item τανύγλωσσος, et κελάρυζα siue λακέρυζα, et κράκτρια ap-

374) *Oppian.* cyneg. 1, 352. τρήρωνες in coitu βαρύφθογγοι.

375) v. not. 594.

376) *Pollux* 5, 89. περιστερὰς γογγύζειν. Anonymus *Iriartii* p. 306. b. περιστερᾶς γογγύζειν. *Caesarius* l. l. cap. 78. p. 218. ἡ περιστερὰ γόγγυστρα. Et: τῶν περιστερῶν τὸν γογγυσμόν.

377) Anonymus *Valckenarii* p. 231. περιστερὰ λαρύνει. Anonymus *Iriartii* p. 371. b. βαρύνει ἐπὶ περιστερᾶς. Et hoc quidem corruptum esse patet. Sed etiam pro λαρύνει malim λαρύζει, vel κελαρύζει. *Hesych.* λαρύζει· βοᾷ. ἀπὸ τοῦ λάρυγγος. it. κελαρύζει· ἠχεῖ, φωνεῖ. — ἔστι δὲ ἰδίωμα ἤχου.

378) v. Carmen de Philomela v. 20. et *Vincent. Bellouac.* 22, 6. Vulgatus interpres Ies. 59, 11. „quasi columbae meditantes *gememus*." ubi *Aquila:* φθογγῇ φθεγξόμεθα.

379) Sed hoc manifestum est ad alas pertinere. *Virgil.* Aen. 5, 516. „*alis plaudentem* columbam." v. 215. „columba *plausum* exterrita *pennis* dat ingentem."

380) *Artemidor.* oneirocrit. 4, 56. p. 369. τὰ πολλαῖς χρώμενα φωναῖς, — ὡς κόραξ, καὶ κορώνη, καὶ κίσσα, καὶ τὰ ὅμοια. ubi verba καὶ κίσσα primus e Cod. MS.edidit *Reiffius*.

381) *Aelian.* H. N. 7, 7. κόραξ, καὶ κορώνη, καὶ κολοιὸς εἰ φθέγγοιντο. — κορώνη ὑποφθεγγομένη ἡσυχῇ.

382) *Aratus* v. 1023. κορώνη ἀείδουσα. *Theophrast.* p. 440. κορώνη ἡσυχαῖον ᾄδουσα.

383) *Theophrast.* l. l. κορώνη ἐὰν κράξῃ. Cf. *Moschopul.* ad *Hesiod.* p. 160.

384) Grammaticus Aldi l. l. ut Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. ἐπὶ κορώνης — κρώζειν. *Pollux* 5, 89. κορώνας κρώζειν. Grammaticus *Iriartii* p. 306. b. κορώνης κρώζειν. Alius ibid. p. 371. b. κρώζει ἐπὶ κορώνης. Alius apud *Valckenar.* p. 231. κορώνη καὶ κόραξ κρώζει. *Herodianus* l. l. κρώζειν ἐπὶ κορωνῶν καὶ κοράκων. *Schol. Aristoph.* ad Plut. 689. ἕκαστον τῶν ζώων ἰδίαν φωνὴν ἔχει, ὡς — κορώνη τὸ κρώζειν. *Eustath.* ad Odyss. δ, p. 1504, 29. κρωγμός ἐστιν ὁ τῆς κορώνης ἦχος. *Aratus* v. 953. κορώνη παχέα κρώζουσα. v. 1002. κρώζῃ πολύφωνος κορώνη. *Hesiod.* ἔργ. 747. κρώζει κελάρυζα κορώνη. Geoponica 1, 2, 6. ex *Arato:* κορώνη πραέως κρώζουσα. Cf. 1, 3, 7. et

pellatur[385]), ut Latine *garrula*[386]), et *clangore loquax*[387]), et *stridula*[388]). Vocatur etiam *rauca*[389]), et dicitur *plena voce vocare*[390]), atque *bittare*[391]).

Coruus, quia non minus quam cornix vocem saepe mutat[392]), in uniuersum dicitur φθέγγεσθαι[393]), βοᾶν[394]),

Aristoph. Auu. 2. *Theophylact.* epist. 12. in *Meursii* opp. T. VIII. p. 813. τοῖς κρωγμοῖς τῆς κορώνης θέλγεσθαι.

385) v. not. 384. verba *Hesiodi.* Ab *Homero* Odyss. ε, 66. dicuntur τανύγλωσσοι κορῶναι. *Anacreon* Od. 9, 36. λαλιστέραν μ' ἔθηκας τῆς κορώνης. *Hesychius* nomen λακέρυζα interpretatur his: κράκτρια, λοίδορος, φλύαρος, μεγάλα κράζουσα κορώνη, ἢ λάλος.

386) v. c. ab *Ouidio* amorr. 3, 5, 22. et metamm. 2, 547. Sic *Plinius* H. N. 10, 12. „cornix est inauspicatae *garrulitatis.*“

387) ut a *Prudentio* in apotheosi v. 290. et simpliciter *loquax* ab *Ouidio* fasst. 2, 89.

388) in *Prudentii* l. l.

389) ut a *Lucretio* 6, 752. qui idem 5, 1083. cornicibus tribuit *raucisonos cantus.* Cf. not. 390.

390) apud *Virgil.* Ge. 1, 388. ad q. l. *Seruius* dicit: „*rauca*, contra naturam suam. — Et notandum, cornicem *rauca* voce, et solam, pluuiam praedicere, coruos vero et plures, et voce tenui et purissima contra naturam suam.“

391) Grammaticus apud *Iriart.* p. 310. b. „cornices bittant.“ Sed recte *Iriarte* notauit, esse vocem corruptam vel ignotam. Caeterum *Musgrauius* l. l. et *Quitschreiberus* dicunt quidem, cornicem *cornicari.* Sed rectius hoc verbum, quod *Persius* 5, 12. et *Hieronymus* epist. 4. T. I. opp. p. 30. G. ed. *Tribbechou.* de hominibus inepte loquacibus posuere, explicatur *cornicum garrulitatem imitari.*

392) *Theophrast.* p. 418. κόραξ πολλὰς μεταβάλλειν εἰωθὼς φωνάς. *Aelian.* H. A. 2, 51. ὁ κόραξ — πολυκλαγγότατός τε ὀρνίθων καὶ πολυφωνότατος. — φθέγμα δὲ αὐτοῦ παίζοντος μὲν ἄλλο, σπουδάζοντος δὲ ἕτερον. *Artemidor.* oneirocrit. 2, 20. p. 173. κόραξ μοιχῷ καὶ κλέπτῃ προσεικάζοιτ' ἄν, καὶ διὰ τὸ χρῶμα, καὶ διὰ τὸ πολλάκις ἀλλάσσειν τὴν φωνήν. *Fulgentius* mytholog. 1, 12. „coruus solus inter omnes aues sexaginta quatuor significationes habet vocum.“ Cf. not. 380.

393) *Theophrast.* p. 418. κόραξ ἐὰν δὶς φθέγξηται. *Plutarch.* vita Cic. c. 47. κόρακες φθεγγόμενοι θορυβῶδες. Sic *Caesarius* l. l. cap. 78. p. 218. κραυγὰς οἱ κόρακες δημοθορύβους ἀφιᾶσιν· μέλος γοερὸν τῶν νυκτικορακίων πέφυκεν. Cf. not. 381.

394) *Aratus* v. 1003. κόρακες βοόωντες. v. 1007. βοόωσι.

κεκλήγειν et *κλάγγειν*[395]), *γηρύειν*[396]), etiam *ᾄδειν*[397]), et *loquax* vocatur[398]), fortassis etiam ideo, quia humanum imitatur sermonem[399]). Sed propria eius vox, quae *κλὰξ* est[400]), partim ita describitur, ut accipitris voci dicatur similis esse[401]), partim peculiaribus verbis exprimitur, tam Graecis, ut *κρώζειν*[402]), *ῥοιζεῖν* et *ῥοιβδεῖν*[403]), et *λαρυγγίζειν*[404]), quam Latinis, ut *crocire, crocitare, groc-*

395) *Aratus* v. 1004. *κόρακες κεκλήγοντες.* *Plutarch.* l. l. *κόρακες ὑπὸ κλαγγῆς προσεφέροντο τῷ πλοίῳ.* Cf. not. 392.

396) *Pindar.* Olymp. 2, 156. sqq. *λάβροι παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον.* Ubi notent tirones, e verbo *γαρύειν*, quae est forma Dorica, ortum esse Latinum *garrire.* Cf. *Maittairii* Graecae linguae dialecti p. 507. et 530.

397) Saltem *Oppianus* ἰξευτ. 1, 7. *κόρακες*, inquit, *οὐ μίγνυνται, πρίν τινα ταῖς θηλείαις ᾠδὴν ὥσπερ γαμήλια περικράξαι.* ubi quis possit legendum putare *περικρῶξαι.* Cf. not. 402. Sed non est necesse.

398) *Ouid.* metamm. 2, 535. „corue *loquax.*"

399) *Porphyr.* de abstinentia ab esu animm. 3, 4. p. 222. sq. *κόρακες καὶ κίτται, ἐριθακοί τε καὶ ψιττακοὶ ἀνθρώπους μιμοῦνται, καὶ μέμνηνται ὧν ἂν ἀκούσωσι, καὶ διδασκόμενοι ὑπακούουσι τῷ διδάσκοντι, καὶ πολλοί γε ἐμήνυσαν, δι' ὧν ἐδιδάχθησαν, καὶ τοὺς ἁμαρτάνοντας κατὰ τὸν οἶκον.*

400) *Schol. Arat.* in Diosemea v. 234. *οἱ κόρακες, ὕδατος καὶ ὄμβρου γενησομένου, ἐμιμήσαντο τῇ φωνῇ μεγάλους σταλαγμοὺς οὕτως, κλάξ.* Sic *Aratus* ipse l. l. *κόρακες δίους σταλαγμοὺς φωνῇ ἐμιμήσαντο.* Et *Aelian.* H. A. 6, 19. *βούλεται τῶν ὄμβρων τὰς σταγόνας ὁ κόραξ μιμεῖσθαι.*

401) *Aratus* v. 963. sqq. *γενεαὶ κοράκων — ἰρήκεσσιν ὁμοῖον φθεγξάμενοι.* *Theophrast.* p. 418. *ἐὰν κόρακες ἱερακίζωσιν.*

402) Grammaticus *Aldi* l. l. et *Zenodotus* apud *Valckenar.* l. l. p. 228. sq. it. Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. *ἐπὶ κοράκων κρώζειν.* *Aratus* v. 968. *κόρακες κρώξαν βαρείῃ φωνῇ.* Geoponn. 1, 2, 6. et 1, 3, 7. *κόρακες κρώζοντες.* *Nicander* theriac. p. 28. *κόραξ ὀμβρήρεα κρώζων.* *Dio Cassius* 58, 5. *κόρακες περικρώξαντες.* Cf. not. 384. et 397. et *Clem. Alexandr.* protrept. p. 65. C. qui coruo tribuere videtur *κρώζειν*, sed graculo *κλώζειν.*

403) *Theophrast.* p. 418. *κόραξ — ἐὰν ἐπιῤῥοιζήσῃ. — ἐὰν κόραξ μὴ τὴν εἰωθυῖαν φωνὴν ἵῃ, καὶ ἐπιῤῥοιβδῇ.* *Hesychius: ῥοιβδεῖ· ῥοιζεῖ.* it. *ῥοῖβδος· — ψόφος ποιός.* it. *ῥοιζῆσαι· ποιὸν ἦχον ἀποτελέσαι, συρίσαι.* it. *ῥοίζωσον· ἤχησον σφοδρῶς.* etc.

404) *Plutarchus* de sanitate tuenda T. VII. opp. ed. *Hutten.* p. 388. *κοράκων λαρυγγισμοῖς.* Cf. *Athenae.* 9, p. 383. F.

cire[405]), *crocare* et *coracinare*[406]), partim aliis modis declaratur. Dicitur enim vel *glutire vocem*[407]), vel *carptim vocem resorbere*[408]), vel *singultu quodam latrare*[409]), vel *presso gutture vocem edere*[410]), vel *ouare gutture*[411]), vel *raucus* appellatur[412]), vel etiam *clangere* et *cantare* legitur[413]).

Coturnices, a sono vocis dictae[414]), dicuntur non solum *ἀνακράζειν*[415]), quod patet esse verbum generis,

405) *Nonius Marcellus* p. 431. „*crocire* cum sit coruorum, *Plautus* Aulular. (4, 3, 1.) *cantare* eos dixit." Et p. 73. „*crocitum* propriam coruorum vocem veteres voluerunt. *Plautus* Aulul. (4, 3, 2.) voce *crocibat* sua." in quo *Plauti* loco alii habent *crocitabat*, alii *grocchibat*, alii *crochinabat*, alii *croccitabat*. *Vincent. Bellouac.* l. l. „coruos *crocitare*." *Ugutio* l. l. „coruorum *crocitare*." Carmen de Philomela v. 28. „*crocitat* coruus." *Apuleius* Florid. p. 366. „coruus *groccire* adortus." Anonymus *Iriartii* p. 310. b. „corui et corasten (legendum est coraces) *crocciunt*, vel *crocant*, vel *grahant*." Pro *grahant* reponendum *Iriarte* putat *craxant*.

406) *Festus* p.274. „*crocatio*, coruorum vocis appellatio." *Isidorus* origg. 12, 7. „coruus siue corax nomen a sono gutturis habet, quod voce *coracinet*." Cf. not. 405.

407) *Plin.* H. N. 10, 12. „corui *glutiunt vocem*, velut strangulati." Respondet hoc Graecis *ῥοιβδεῖν* et *ῥοιζεῖν*, de quibus v. not. 403. *Hesychius*: *ῥοιβδεῖ· ῥοιζεῖ*, — *ῥοφεῖ*.

408) *Plin.* H. N. 18, 35. „corui *singultu quodam latrantes* — si *carptim vocem resorbebunt*.

409) v. not. 408.

410) *Virgil.* Ge. 1, 410. sq. „*liquidas* corui *presso* ter *gutture voces* aut quater *ingeminant*. quem locum *Seruius* post verba not. 390. allata laudat.

411) *Ausonius* epigr. 76. „*ouantes gutture* coruos." Quae petita sunt e *Virgil.* Ge. 1, 423.

412) *Lucret.* 5, 1083. „*raucisonos cantus* mutant corui."

413) *Apuleius* Florid. p. 366. „coruus dum vult clarissime *clangere*, quod volatu pepererat, *cantu* amisit." Cf. not. 405.

414) Sunt verba *Isidori* l. l. Sic *Festus* p. 274. „coturnix appellatur a sono vocis."

415) *Oppian.* *ἰξευτ.* 3, 9. *ἀνακραζόντων ὀρτύγων*. Similiter *Aristot.* H. A. 8, 12. *ὄρτυγες βοῶντες πέτονται· πονοῦσι γάρ.* quae verba quomodo *Plinius* Latine reddiderit, dixi not. 416. Ab eodem *Aristot.* H. A. 4, 9. coturnix pugnans dicitur *φθέγγεσθαι*.

et *conqueri*[416]), quod est verbum translatum, sed etiam *τρυλίζειν* et *γρυλίζειν*[417]). Cf. *Qualia.*

Cuculus vocem mutat[418]), et in uniuersum quidem dicitur *ἄμουσόν τι φθέγγεσθαι*[419]), proprie vero *κοκκύζειν*[420]) et *cuculare*[421]). Cf. *Tucus.*

Culex dicitur *σφυκᾷν*[422]), etiam *βομβεῖν*[423]).

Currucae vox videtur esse *cucurru* siue *cuccurru*. In Casaubonianis (p. 59.) haec leguntur: „*Cucurruca* vox est ad exprimendum sonum auis, quam Gallice dicimus *Cocu*, et *Iuuenalis* (Sat. 6, 275.) *currucam*. Nisi fortassis illo *Iuuenalis* loco *cucura* legendum. Nam id videtur indicare collatio loci illius cum eo *Afranii*, quem habet *Sosipater*[424]). Mouet tamen vetus Inter-

416) *Plin.* H. N. 10, 22. „coturnicum volantium illa *conquestio* labore expressa." In Casaubonianis p. 59. leguntur haec: „coturnices *plausitant*." Sed haud dubie perperam. Non magis probem, quae *Quitschreiberus* posuit: coturnix vel qualea *calcabat*." Saltem legerim *calcalat.*

417) *Pollux* 5, 89. *ὄρτυγας τρυλίζειν* (*J. B. Pius* et *Quitschreiber.* male *δρυλίζειν*), *γρυλίζειν*. *Nunnesius* ad *Phrynich.* p. 37. ed. *Pauw.* pro *γρυλίζειν* reponendum suspicatur *γυαλίζειν*. „Vox enim coturnicum, inquit, est *γυὰ γυὰ*, a quo nostrates Valentini *guallas* vulgo vocant."

418) v. *Plin.* H. N. 10, 9. ubi pro *cuculus* Graeco nomine *coccyx* utitur.

419) v. *Schol. Aristoph.* ad Acharnn. 598.

420) *Pollux* 5, 89. *κόκκυγας κοκκύζειν*. *Hesiod.* *Ἐργ.* 486. *κόκκυξ κοκκύζει*. *Aristoph.* Auu. 505. *χ' ᾠπόθ' ὁ κόκκυξ εἴποι κόκκυ.* Conf. supra, not. 449. Poteram etiam *κρουτεῖσθαι* afferre. *Hesychius*: *κρουτεῖται· κοκκίζει.* ubi legendum *κοκκύζει.*

421) v. Carmen de Philomela v. 35. Facile inde emendari possunt corrupta haec *Ugutionis* l. l. „cucularum *cucusare*." Nam etiam *Vincent. Bellouac.* 22, 6. dicit: „cuculos *cuculare*."

422) Anonymus *Valckenarii* l. l. p. 231. *κώνωψ σφυκᾷ*. Magis probarem *σφηκᾷ*.

423) *Eustath.* ad Iliad. *ν*, p. 921, 1. ed. Basil. *τὸ βομβεῖν ὠνοματοπεποιημένον — καὶ ὁ βομβύλιος δὲ ἐκ τῆς τοιαύτης παρῆκται λέξεως, ζωΰφιον ὢν αὐτὸς βομβητικὸν ἐν τῷ πέτεσθαι.* Cf. quae supra ex *Schol. Aristoph.* ad Acharnn. 866. adscripsi not. 317.

424) *Sosipater Charisius* institut. grammat. 2, p. 261. ed. Basil. 1551.8. „*cuccurru. Afranius* in Cinerario; „ „id me celabat *cucurru.*" " An nomen est, ut veru, genu?"

pres[425]), qui *urucam* legit, et exponit cum Glossario[426]). In meo *Iuuenali* MS. est *curuca*.. Forte scribendum *cucuruca*.“ His certiora excogitare ipse aut apud alios reperire nondum potui[427]). Placet mihi tamen, ut legatur *cucuruca*.

Cycnus siue *Cygnus*, v. *Olor*.

Diomedeae aues dicuntur *clangere*[428]) et *lacrymosis quasi vocibus dolere*[429]). Sed verbum proprium non habebam. Cf. *Ardea*.

Erithacus, vid. not. 399.

Florus imitatur hinnitum equi[430]).

Formicae dicuntur *burrire*[431]), quin etiam *colloqui*[432]). Graecum vocis earum nomen ignorabam.

425) *Vetus Schol.* ad *Iuuenal.* l. l. „*Uruca* mimologi stupidi nomen finxit, quia ferme quasi frequenter fallitur, cum agit personam mariti. Vel, ut alii dicunt, genus est animalis foedi, spinosi, ut ericius. *Uruca* autem est proprie illud, quod in faba nascitur, ut gurgulio.“ Etiam *Ge. Valla* veram lectionem in *Iuuenalis* loco dicit esse *huruca*, quae sit insectum paruissimum, brassicas depascens, laudatque *Columellam* de R. R. lib. 11. extr. ubi tamen eiusmodi animalia vocantur *erucae*, et Graece *κάμπαι* nominari dicuntur. Atque etiam apud *Iuuenalem* nonnulli legunt *eruca*. Quin *Alciatus* parerg. iur. 7, 5. *currucam* vocem barbaram omnino iudicat, neque *Theodorum Gazam*, cum *Aristotelem* H. A. 6, 7. transferret, satis intellexisse dicit, quae Latinis auicula esset *ὑπολαΐς*, et nullibi nomen *curruca* reperiri.

426) Gloss. vett. „uruca, *κάμπη*.“ Item: „*κάμπη λαχάνου*, eruca, uruca.“

427) Nam nec ea, quae *Rupertus* in Excursu ad laudatum *Iuuenalis* locum congessit, multum nos iuuant.

428) *Plin.* H. N. 10, 44. „Diomedeae aues aduenas barbaros *clangore* infestant.“

429) *Isidorus* origg 12, 7. „Diomediae aues *lacrymosis quasi vocibus dolentes*. — Graeci eas *ἡρωδίους* (legendum est *ἐρωδιοὺς*) dicunt.“

430) *Aelian.* H. A. 6, 19. *ὁ ἄνθος ὑποκρίνεται χρεμέτισμα ἵππου*. *Plin.* H. N. 10, 42.

431) *Apuleius* metamorph. 8, p. 211. „In arboris ficulneae stipite inhabitantium formicarum nidificia *burriebant*, et ultro citroque commeabant.“ Quae lectio si sana est, indicantur susurri formicarum, quippe quibus vox proprie tribui vix potest. Alii vero pro *burriebant* malunt *bulliebant*, alii *oberrabant*.

432) *Plinius* H. N. 11, 30. „Formicarum cum obuiis quaedam *collocutio* atque *percontatio*.“

Frigilla siue *Fringuilla* dicitur *queri*[433]), sed proprie, ut videtur, *frigutire* seu *fringutire*[434]), Graece σπίζειν[435]).

Fulica legitur κράζειν et *clamare*[436]) et *clangere*[437]), et λάλος vocatur[438]). Cf. *Gauia.*

Gallina Graece κακκάζει[439]) proprie et κοκκύζει[440]), sed dicitur etiam κρώζειν, κλώζειν, ὑποτρύζειν[441]), ἄ-

433) *Martialis* 9, 55. „Fringuillarum *querelas.*"

434) *Varro* de lingua Lat. 6, 5. ubi docet, multa ab animalium vocibus translata esse in homines, haec habet: „*M. Actius* (*Plautus*) in Casina (2, 3, 49.) a fringuilla: Quid fringutis? quid istuc tam cupide cupis?" Apud *Plautum* editur *friguttis.* Saltem *Fulgentius* de prisco sermone p. 587. edit. Antuerp. 1565. 8. ad calcem *Nonii Marcelli:* „*Friguttire*, inquit, dicitur subtiliter adgarrire." Deinde addit eundem *Plauti* locum, qui tamen etiam aliter exponi potest, et hunc *Ennii* ex Alcestide: „Haec anus admodum *friguttit*: nimirum se sauciauit flore Liberi." Sed *Festus* p. 291. verbum *frigutire* a frigore deriuare videtur, quod fringilla frigore cantet et vigeat. Plura vid. in *Jac. Nicolaii* Loensis Miscellan. Epiphyll. 3, 26.

435) *Aratus* v. 1024. σπίνος σπίζων.

436) apud *Ciceronem* de diuinat. 1, 8. *Schol. Aristoph.* Pac. 1067. κέπφον λέγουσι κεκραγέναι ὠδίνοντα.

437) *Plinius* H. N. 18, 35. „Fulicae matutino *clangore.*"

438) *Schol. Aristoph.* Plut. 913. φασὶ τὸν κέπφον εὐτελέστατον καὶ λάλον.

439) *Zenodotus* apud *Valckenar.* l. l. p. 229. ἐπὶ ὀρνίθων τῶν κατ' οἶκον ᾠοτοκουσῶν κακάζειν. Eodem modo, per simplex κ, scribitur hoc verbum apud *Eustath.* ad Odyss. α, p. 1402, 53. et ο, p. 1786, 23. edit. Rom. in Excerpto Anonymi apud *Valckenar.* p. 231. et apud *Iriart.* l. l. p. 307. a. Sed alius Anonymus apud eundem *Iriart.* p. 371. b. habet: κακκάζει ἐπὶ ὀρνίθων θηλειῶν. Sic *Hesychius*: κακκάζειν. τὰς ὄρνις τὰς πρὸς τὸ τίκτειν φθεγγομένας. Ἀττικοί. *Photii* lexicon: κακκάζειν, μίμησις τικτουσῶν ὀρνίθων φωνῆς. Grammaticus *Aldi* et *Moschopuli* ll. ll. ἐπὶ ὀρνίθων κακκάζειν. Grammaticus *Tittmanni* l. l. ἐπ' ὀρνίθων κακκάζειν. quam scripturam *Iriarte* p. 313. recte praeferre videtur.

440) *Aristot.* H. A. 9, 49. αἱ ἀλεκτορίδες, ὅταν νικήσωσι τοὺς ἄῤῥενας, κοκκύζουσι.

441) *Aratus* v. 960. sqq. τιθαὶ ὄρνιθες ἔκρωξαν μάλα φωνῇ, οἷόν τε σταλάον ψοφέει ἐπὶ ὕδατι ὕδωρ. ubi vid. Schol. Unde in Geoponicis 1, 3, 8. ubi ex *Arato* haec referuntur: κατοικίδιαι ὄρνιθες κράζουσαι, legendum est κρώζουσαι. *Plutarchus* de sanitate tuenda T.

δειν[442]), *κελαδεῖν*[443]), *κλάγγειν*[444]), et *λακεῖν*[445]). Latine proprie *gracillat*[446]), *glocit*, *glocitat*[447]), improprie *lamentatur*[448]). Cf. *Gallus*, et *Pulli*.

Gallus dicitur ipse quoque *κοκκύζειν*[449]), etiam *ὑπο-*

VII. opp. ed. *Hutten.* p. 388. gallinae matri, quae pullos circumducit, *κλωσμοὺς* tribuit. De sequenti *ὑποτρύζειν* v. not. 450.

442) *Eustathius* ad *Homer.* Odyss. *μ*, p. 1710, 63. ed. Rom. *ὡς δὲ καὶ τοῦ κελαδεῖν, τοῦ τε ἄλλως καὶ τοῦ κατ' ὄρνιθας, διαφέρει τὸ ᾄδειν, δηλοῖ ὁ γράψας οὕτω· καὶ τὰς ἀλεκτορίδας ἀπέκτεινε, τοῦ μὴ κελαδούσας καὶ ᾀδούσας ἐπὶ τοῖς ᾠοῖς μηνύσαι τὸν μοιχόν.*

443) v. not. 442.

444) *Oppianus* Cyneget. 3, 121. gallina pullis timens *ὀξὺ ἔκλαγεν, καὶ ἄνθορεν ὀξὺ λακοῦσα.*

445) v. not. 444.

446) Carmen de Philomela v. 25. et *Joh. Rauisius Textor* l. l. p. 281. „Gallina *gracillat.*" Sed *Schottus* edidit *cacillat.* Sic Anonymus apud *Iriart.* p. 311. b. „Galline *cacillant*, vel *glociunt.*" Atque *Iriartius* verbum *cacillare*, ut gallinae voci magis consonum, sibi magis arridere ostendit. Idem *Textor* l. l. e *Thoma Radino* affert: „Gallina *gacillare.*"

447) *Festus* p. 293. „*Glocire* et *glocitare* gallinarum proprium est, cum ouis incubiturae sunt." Cf. not. 446. *Ugutio* l. l. dicit: „Gallinae *crispire.*" At fortassis *pipire* legendum est, ut de pullis intelligatur. *Varro* tamen apud *Nonium Marcellum* p. 184. dicit: „Gallina *pipat.*" *Quitschreiberus* habet: „Gallina *eripsat* (quod haud dubie operarum vitium est pro *crispat*), *coccizat*, *glocillat.*" Ubi per *coccizat* exprimere voluit Graecum *κοκκύζει.*

448) *Plinius* H. N. 10, 55. „Gallinae, quae anatum oua exclusit, *lamenta* circa piscinae stagna."

449) Grammaticus *Aldi* l. l. et Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. *ἐπὶ ἀλεκτρυόνων κοκκύζειν, καὶ ἠχεῖν.* Anonymus *Iriartii* p. 371. b. *κοκκύζει ἐπὶ ἀλεκτρυόνος. Herodianus* l. l. *κοκκύζειν ἐπὶ ἀλεκτρυόνων καὶ κοκκύγων.* Anonymus *Valckenarii* p. 229. *ἀλεκτρυὼν ᾄδει, κοκκύζει. Pollux* 5, 80. *Ὑπερίδης καὶ Δημοσθένης ἐπ' ἀλεκτρυόνων τὸ κοκκύζειν εἶπον.* Sic *Theocritus* idyll. 7, 124. *ὁ ὄρθριος ἀλέκτωρ κοκκύσδων. Lucianus* in Gallo c. 14. T. II. p. 723. gallum de se ipso dicere iubet: *ἐκόκκυζον. Aristot.* H. A. 9, 50. de capo s. gallo castrato: *οὐκέτι κοκκύζει.* Huc referenda sunt, quae *Scaliger* in coniect. Varron. p. 164. de verbis *Plauti* (Aulular. 3, 2, 32.): „pipulo hic (te) differam" disputat. Comparat enim illa cum loco *Aristophanis* Equitt. 694. in quo legatur *περικωκύειν*, quod fictum sit a cantu gallorum, ut *pipulum* a *pipatu* pullorum. At reperitur ibi *περιεκόκκυσα*, quod verbum *Is. Casaubonus* recte dicit proprie esse galli gallinacei, qui capite

τρύζειν[450]), quae sunt verba propria, quibus fortassis addendum est ᾄδειν[451]). Sed verba generis sunt βοᾷν[452]) κράζειν[453]), ἠχεῖν[454]), φωνεῖν[455]), καναχεῖν[456]). Latine legitur *cucurrire*[457]) et *canere*[458]).

erecto et rotato vocem edat in certaminibus. Idem *Scaliger* ibidem p. 166. formulam Latinam *dibalare rem* confert cum Graeca καταφάγειν τὴν οὐσίαν (pro qua in loco *Anthippi* Comici apud *Athenae.* 9, pag. 404. C. est πατρῴαν οὐσίαν κατεσθίειν.), atque haec addit: „Sic *Nicostratus* apud *Athenae.* (2, p. 58. A.) περικωκύειν. Hoc fictum a gallorum *pipatu*: illud a *balatu* pecorum.“ At primo *Athenaeus* non *Nicostrati* verba ibi attulit, sed *Nicomachi.* Deinde ibi non legitur περικωκύειν, sed ἐξεκόκκισα, pro quo ἐξεκόκκυσα reponendum erat cum *Victorio* V. L. 23, 18. *Phrynichus* in *Bekkeri* anecdot. Graec. T. I. p. 21, 24. τὸ κοκκύζειν κωμικοὶ λέγουσιν.

450) *Aelianus* H. A. 7, 7. ἀλεκτρυόνες καὶ ὄρνιθες φρυαττόμενοι καὶ ὑποτρύζοντες.

451) Anonymus *Iriartii* p. 306. b. ἀλεκτρυόνος ᾄδειν. *Zenodotus* apud *Valckenar.* p. 228. ἐπὶ ἀλεκτρυόνων ᾄδειν. *Pollux* 5, 89. ἀλεκτρυόνας ᾄδειν. Haec eadem habet *Phrynich.* in *Bekkeri* anecdot. Graec. l. l. et addit: Ἀττικῶς. *Aelianus* H. A. 3, 38. ἐν τοῖς ὑγροῖς χωρίοις — οἱ ἀλεκτρυόνες οὐκ ᾄδουσιν. 5, 50. ὁ ἀλεκτρυὼν ᾄσας φοβεῖ λέοντα. Multi huius generis loci sunt apud *Lucianum,* ut Lexiph. c. 6. T. II. p. 331. Dial. meretric. 4. T. III. p. 287. Philopseud. c. 14. p. 42. Add. *Clem. Alexandr.* stromm. 7, p. 712. B. *Aesop.* fab. 79. Cf. not. 449.

452) βοᾷν gallus dicitur apud *Lucian.* Gall. c. 3. T. II. p. 707. ἀναβοήσας ibid. c. 12. p. 720. et διάτορόν τι καὶ γεγωνὸς ἀναβοήσας c. 1. p. 702.

453) In *Luciani* l. l. c. 1. T. II. p. 703. ἀλεκτρυὼν κέκραγεν. *Menander* apud *Athenae.* 9, p. 373. C. ἀλεκτρυὼν τις ἐκεκράγει μέγα. Cf. *Aesop.* fab. 6.

454) v. not. 449.

455) v. Matth. 26, 34. 74. 75. Marc. 14, 30. 68. 72. *Aesop.* fab. 86. 66.

456) *Cratinus* apud *Athenae.* 9, p. 374. D. ὥραν πᾶσαν καναχῶν ὀλόφωνος ἀλέκτωρ.

457) Carmen de Philomela v. 25. „*Cucurrire* solet gallus.“ Anonymus *Iriartii* p. 311. b. „Galli *cantant* vel *cucurriunt.*“ *Vincentius Bellouacensis* l. l. 22, 6. „Gallos *cucurrire* vel *cantare.*“ *Quitschreiberus* habet etiam *gugurrire.*

458) v. not. 457. Sic apud *Plinium* H. N. 10, 21. et 55. item in *Ausonii* epigr. 76. gallis tribuitur *cantus*, et apud *Apuleium* Florid. p. 349. *carmen* expergificum. Omnino de galli cantu multa habet *Pontanus* philocal. 1, 22. p. 83. 34.

Gauia Graece κράζει[459]), Latine *gannit*[460]), vel *fringulat*[461]).

Graculi nomen suum accepisse feruntur ex voce[462]), cuius propria verba sunt non tam βρύκειν[463]), quam κολοιᾷν[464]), ἱερακίζειν[465]), κλώζειν[466]), κρώζειν[467]), *frigu-*

459) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 4. λάροι κεκραγότες.

460) *Apuleius* metamorph. 5, p. 171. „Auis peralba illa Gauia, quae super fluctus marinos pinnis natat, illa verbosa et satis curiosa auis, in auribus Veneris filii lacerans existimationem, *ganniebat*."

461) Dubitanter hoc posui. Sed posui tamen, quia *Ugutio* l. l. habet: „Gabriarum *fringulare*." ubi *gabiarum* seu *gauiarum* reponendum arbitrabar.

462) *Quintilianus* 1, 6, 37. Varronem reprehendit, quod graculos dictos putaret, quia gregatim volent, cum nomen dictum sit ex vocibus auium. Sic *Festus:* „Gracculi a sono oris vocati." *Isidor.* origg. 12, 7. „Graculus a garrulitate nuncupatus, — cum sit manifestum, ex voce eum nuncupari."

463) *Eustath.* ad Iliad. ϱ, p. 1142, 22. ed. Basil. τὸ βρύκειν ἐπὶ κολοιοῦ καὶ τῶν τοιούτων. ὡς ὁ κωμικὸς δηλοῖ. Videntur *Eustathii* menti obuersati fuisse hi loci *Aristophanis:* alter in Pace v. 1315. πρὸς ταῦτα βρύκετε. ubi *Bisetus:* βρύκειν τὸ τραχέως καὶ μετὰ ἦχου ποιοῦ ἐσθίειν. Alter in Lysistrata v. 301. ὀδὰξ ἔβρυκε τὰς λήμας ἐμοῦ. ubi idem *Bisetus:* βρύκειν τὸ λαύρως ἐσθίειν. ἀπὸ τοῦ τρύζειν τοὺς ὀδόντας. Non igitur de voce, sed potius de dentium stridore verbum hoc intelligendum est. *Zonaras* in lexico: βρύκουσα· τρώγουσα, κατεσθίουσα, τοὺς ὀδόντας τρύζουσα. Petita est haec glossa ex eiusdem Lysistratae v. 367. et *Tymnis* epigrammate IV. (in *Brunckii* analectt. T. I. p. 505.) in quo altero loco diserte dicitur: ὀδόντα ὀξὺν ἐπιβρύκουσα. Utrumque locum attulit etiam *Suidas*, et eodem fere modo, quo *Zonaras*, interpretatur.

464) *Pollux* 5, 89. κολοιοὺς κλώζειν, ἢ κολοιᾷν. Grammaticus *Iriartii* pag. 306. b. κολοιῶν κλώζειν.

465) *Aelian.* H. A. 7, 7. κολοιοὶ ἱερακίζοντες. *Theophrast.* p. 418. ἐὰν κολοιοὶ ἱερακίζωσιν. *Aratus* v. 963. φῦλα κολοιῶν —— ἰρήκεσσιν ὁμοῖον φθεγξάμενοι.

466) v. not. 464. et 402.

467) Geoponn. 1, 3, 8. κολοιοὶ κρώζοντες. *Dio Cassius* 78, 8. κολοιὸν σφόδρα κρώζοντα. ubi v. *Reimar.* *Theophylact.* epist. 1. (in *Meursii* opp. T. VIII. p. 793.) τοὺς τῶν κολοιῶν κρωγμούς. Hinc *Iulianus* in Misopog. p. 337. C. ἄγρια μέλη barbarorum ita describit, ut ea dicat παραπλήσια εἶναι τοῖς κρωγμοῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων.

lare[468]): communia vero βοᾶν[469]), κλάγγειν[470]), κράζειν[471]), φθέγγεσθαι[472]).

Grus cum vocem subinde mutet[473]), nunc in uniuersum legitur βοᾶν[474]) et ἀνακράζειν[475]), nunc κλάγγειν[476]) et κλαγγάζειν[477]), vel κρώζειν[478]), vel ἀνατρύζειν[479]). Latine *gruit*[480]).

468) Carmen de Philomela v. 28. „Graculus at *frigulat*.“ *Schottus* edidit. „*fringulit* et graculus.“ *Vincentius Bellouacens.* l. l. „Graculos *fringulire*.“ Sed Grammaticus *Iriartii* p. 311. b. „Graculi *crinciunt*,“ pro quo *Iriarte* legendum putat *gingriunt*, quod verbum supra vidimus anseribus tribui. *Quitschreiberus* habet: „Graculus *frinculit*, *frigulat*, *tenui gutture stridet*.“

469) *Aratus* v. 1023. βοῶντε κολοιοί. Sic *Oppian.* ἰξευτ. 3, 18. dicit ὀξυβόας κολοιούς.

470) *Q. Smyrnaeus* in Νόστοις v. 90. κολοιῶν κλαγγή.

471) *Pindar.* Nem. 3, 143. sq. κραγέται κολοιοί. *Tryphiodorus* de Ilii excidio v. 240. sq. ἠχήεντες ἰδόντες αἰετὸν περικράζουσι κολοιοί.

472) *Aelian.* H. A. 7, 7. v. not. 381.

473) *Plin.* H. N. 10, 29. „Oscines fere mutant colorem vocemque, — quod in grandiore alitum genere grues tantum.“

474) *Aelian.* H. A. 7, 7. γέρανοι — ἐὰν βοῶσι. *Oppian.* ἰξευτ. 2, 17. γέρανοι προβοῶσι μέγα.

475) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 17. γέρανος ἀνακράζει — κραυγὴν ἀφιᾶσιν.

476) *Homer.* Il. γ, 3. κλαγγὴ γεράνων. *Hesiod.* Ἐργ. 448. sq. φωνὴν γεράνου ὑψόθεν κεκληγυίης. *Caesarius* l. l. cap. 78. p. 213. κλαγγόφωνος ὁ γέρανος.

477) *Pollux* 5, 89. κλαγγάζειν γεράνους. Anonymus *Valckenarii* p. 230. γέρανος καγκλάζει. Rectius Grammaticus *Iriartii* p. 306. b. γεράνων τὸ κλαγγάζειν. quanquam in alius excerpto ibid. p. 307. a. legitur: ἐπὶ ἀετῶν καγκλάζειν, καὶ κλαγκάζειν, ὡς ἐπὶ γεράνων. v. not. 325.

478) *Aristophanes* Auu. 711. κρώζουσα γέρανος.

479) *Q. Smyrnaeus* de Ilii excidio 2, 107. γέρανοι μακρὸν ἀνατρύζουσι.

480) Carmen de Philomela v. 23. „Grus *gruit*.“ *Vincentius Bellouac.* l. l. „Grues *gruere*.“ *Ugutio* l. l. „Gruum *gruere*.“ *Festus* p. 294. „*Gruere* dicuntur grues. Unde tractum est congruere, h. e. conuenire, quia id genus volucrum minime soliuagum est.“ *Isidor.* origg. 12, 7. „Grues nomen de propria voce sumserunt: tali enim sono susurrant.“ Gloss. Vett. *gruunt*, γερανίζουσιν. Grammaticus *Iriartii* p. 311. b. „Grues *gluddant*, vel *gruunt*, vel *grugulant*.“ quo-

Gryllus dicitur *gryllare* seu *grillare*[481]), et *stridere*[482]).

Gyges modo *clamat*, modo *canit*[483]).

Halcyones dicuntur *canere*[484]).

Haliaeetus κλάγγει[485]).

Harpa θρηνεῖ et ὀδύρεται[486]).

Hirundo cum sonos varios edat, omnino vocatur λάλος et *garrula*[487]), et *arguta*[488]), diciturque *carmen perargutum* canere[489]). Illa ipsa vero vocis varietas describitur variis verbis, quorum propria quidem sunt βατταρίζειν[490]),

rum verborum primum et ultimum prorsus inusitata sunt. *Quitschreiberus* addit verbum *clangere.* non male. v. not. 476.

481) Carmen de Philomela v. 62. „Grillus *grillat.*" cui *Quitschreiberus* addit *grillit.*"

482) *Plin.* H. N. 29, 6. „Gryllus *stridit* noctibus." *Isidorus* origg. 12, 3. „Grillus nomen a sono vocis habet, — *stridet* noctibus." *Aelian.* hist. animm. 6, 19. ἴσμεν — μὴ σιωπῶσαν τρωξαλίδα.

483) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 16. Γύγης ὄρνις ἐστὶν, ἀναβοᾷν ἀεὶ καὶ ᾄδειν δοκῶν, καὶ τὴν προσηγορίαν ἐντεῦθεν ἔχων.

484) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 7. τῶν ἀλκυόνων οὐκ ἂν εἴποι τις εἰς φωνὴν ὄρνεις ἡδίους. — τὰς ᾠδὰς εἰ καταπαύειν μέλλοιεν, κήϋξ, κήϋξ συνεχῶς ἐπειποῦσαι σιγῶσι. *Plin.* H. N. 10, 32. „Halycones *canunt.*"

485) *Aelian.* de nat. animm. 5, 50. κλαγγὴν ἁλιαιέτων.

486) *Oppian.* ἰξευτ. 1, 2. ἅρπη ὀδυρμῶν πάντα ἐμπλήσει, καὶ γυναῖκά τις εἴποι θρηνεῖν.

487) *Caesarius* l. l. cap. 78. p. 218. λάλος ἡ χελιδὼν καὶ ἀείφθογγος. Ita enim scribendum puto pro ἀείφθεκγος, nisi malis ἀείφθεγκτος. *Virgil.* Ge. 4, 307. „*Garrula* hirundo." quem locum laudans *Nonius* p. 345. „*Garrulae*, inquit, dicuntur aues canorae et hilares." Cf. not. 506. Sic *Arrianus* de expedit. Alexandri M. 1, 26. τὴν χελιδόνα σύντροφόν τε εἶναι ὄρνιθα καὶ εὔνουν ἀνθρώποις, καὶ λάλον μᾶλλον ἢ ἄλλην ὄρνιθα. *Theophrast.* characct. 7, 5. τῶν χελιδόνων λαλίστερος. Cf. *Aelian.* H. A. 6, 19.

488) v. *Virgil.* Ge. 1, 377.

489) v. *Apuleii* Florida p. 349.

490) *Eustath.* ad *Homer.* Odyss. φ, p. 1924, 29. ed. Rom. χελιδόνι, οὐ μὴν ἀηδόνι, κτυπήσασαν εἴκασε τὴν νευρὰν, ἐπεὶ μὴ πρὸς ἡδύτητα ἡ ὁμοίωσις, ἀλλὰ μόνον πρὸς ποιότητα φωνῆς ἠχούσης ὑπότραχυ· ὁποῖος δή τις καὶ ὁ τῆς χελιδόνος βατταρισμὸς, ὅτε πρὸς μνήμην Τηρέως κατὰ τὸν μῦθον ῥοιζήσει, οὐ γλυκὺ ᾄδουσα, λαλαγοῦσα δὲ ἀκαλλὲς, ὡς οἷον Θρᾷσσα κατὰ τὸν μῦθον. *Hesychius*: βατταρίζειν· ἐμοὶ μὲν δοκεῖ κατὰ μίμησιν τῆς φωνῆς πεποιῆσθαι, ὡς τὸ ποππύζειν.

μινυρίζειν [491]), ῥοιζεῖν [492]), τιτυβίζειν [493]), ψιθυρίζειν [494]), etiam τερετίζειν et τρύζειν [495]), *trissare* [496]), *myrmirrire* [497]), *fritinnire* [498]), *minurire* [499]), *zinzilulare* [500]).

Strabo 14, p. 662. A. οἶμαι δὲ τὸ βάρβαρον κατ' ἀρχὰς ἐκπεφωνῆσθαι οὕτως κατ' ὀνοματοποιΐαν, ἐπὶ τῶν δυσεκφόρως, καὶ σκληρῶς, καὶ τραχέως λαλούντων· ὡς τὸ βατταρίζειν.

491) v. *Aristoph.* Auu. 1414. unde apparet, μινυρίζειν hirundines proprie dici.

492) v. not. 490. Proprie hirundines marinae pectinibus dicuntur ῥοιζεῖν. v. *Aristot.* H. A. 4, 9.

493) Anonymus *Valckenarii* p. 231. χελιδὼν τιτυβίζει. Ita enim pro τετιβίζει legendum esse *Valckenarius* docuit ex his *Hesychii:* τιτυβίζει· ὡς χελιδὼν φωνεῖ. Accedit Grammaticus *Tittmanni* l. l. et *Moschopul.* l. l. *Iriartii* p. 301. a. ἐπὶ χελιδόνος ψιθυρίζειν καὶ τιττυβίζειν. Et alius ibidem p. 371. b. τιττυβίζει ἐπὶ χελιδόνος. καὶ ψιθυρίζει. Et Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. ἐπὶ χελιδόνος, τιττυβίζειν καὶ ψυθιρίζειν.

494) *Pollux* 5, 90. χελιδόνας ψιθυρίζειν. Cf. not. 493.

495) *Arrian.* de expedit. Alexandri M. 1, 26. χελιδόνα πέτεσθαι ὑπὲρ κεφαλῆς Alexandri, τρύζουσαν μεγάλως. *Agathiae* epigr. XII in *Brunckii* Analectt. T. III. p. 38. ἀμφιπεριτρύζουσι χελιδόνες. Et epigr. LVII. ibid. p. 53. ἐπιτρύζει δὲ χελιδών. *Hesych.* τερετίζοντα· λαλοῦντα. ἐκ μεταφορᾶς τῆς χελιδόνος.

496) Carmen de Philomela v. 26. „*Trinsat* hirundo vaga.“ *Ioh. Rauisius Textor* l. l. p. 281. primo habet: „*trusat* hirundo.“ Deinde vero e *Thoma Radino:* „hirundo *trinsans.*“ Sed rectius *Schottus* in carmine de Philomela edidit *trissat.* Nam haud dubie hoc verbum e Graeco τρύζειν ortum est, vel potius e τρίζειν, quod de pullis hirnndinis dicitur. *Lucian.* Timon. c. 21. T. I. p. 132. τετριγότες οἱ νεοττοὶ χελιδόνος. Grammaticus *Iriartii* p. 311. b. „Hirundines *trutissant*, vel *trissant.*“ Eodem modo vitiosum est *Quitschreiberi triusat*, et, quod in MS. Zwiccauiensi extat, *trinat.*

497) *Vincentius Bellouac.* l. l. „Hyrundines *fritinnire*, vel *myrmirrire.*“ Sed fortassis legendum est *minurrire.*

498) v. not. 497. Unde emendanda sunt verba *Ugutionis* l. l. „Hirundinum *fintinire* vel *minurrire.* Cf. *Scaliger.* coniectan. Varron. p. 167. Vitiose etiam in MS. Zwiccauiensi scriptum est *strictinnit*, inprimis pulli dicuntur *fritinnire.* *Varro* apud *Nonium Marcellum* p. 38. „Pullos peperit *fritinnientes.*“ Caeterum *Quitschreiberus* habet *friturrit.*

499) *Sidonius* 2, epist. 3. „Prognen inter anseres *minurrientem.*“ ubi codd. nonnulli habent *murmuritantem.* Cf. not. 497. et 498. Caeterum *minurire* per simplex R scribendum esse monui iam supra not. 288. ubi etiam plura sunt de hoc verbo.

500) Ita in Carmine de Philomela v. 44. vulgo editum extat. Sed

Sed praeterea dicitur *λαλαγεῖν*[501]), *ἐπιβρέμεσθαι*[502]), *βοᾷν*[503]), *κωτίλλειν*[504]), *ὀδύρεσθαι*[505]), *voce strepere*[506]). Cf. *Pulli.*

Insecta vocem edere proprie dici non posse, quamuis non raro legantur *φθέγγεσθαι*, *ᾄδειν*, et quae sunt alia talia[507]), satis docent verba *Aristotelis*[508]): *τὰ μὲν ἔντομα οὔτε φωνεῖ, οὔτε διαλέγεται· ψοφεῖ δὲ τῷ ἔσω πνεύματι, οὐ τῷ θύραζε. οὐδὲν γὰρ ἀναπνεῖ αὐτῶν· ἀλλὰ τὰ μὲν βομβεῖν, οἷον μέλιττα, καὶ τὰ πτηνὰ αὐτῶν, τὰ δὲ ᾄδειν λέγεται, οἷον οἱ τέττιγες. πάντα δὲ ταῦτα ψοφεῖ τῷ ὑμένι ὑπὸ τὸ ζῶμα, ὅσων διῄρηται, οἷον τὸ τῶν τεττίγων γένος τῇ τρίψει τοῦ πνεύματος. καὶ αἱ μυῖαι δὲ, καὶ μέλιτται, καὶ τἄλλα πάντα, τῇ πτήσει αἴρονται καὶ συστέλλονται· ὁ γὰρ ψόφος, τρίψις τοῦ ἔσω πνεύματός ἐστιν. αἱ δ' ἀκρίδες, τοῖς πηδαλίοις τρίβουσαι ποιοῦσι τὸν ψόφον.* Fere omnino consentit *Plinius*[509]), haec scribens: „Vocem

Schottus dedit *tintinulare*. *Textor* l. l. praeter *zinzilulare*, quod e *Radino* attulit, habet etiam *zinzululare*, sed utrumque de regulo, cui sane in Carmine de Philomela vox eadem quae hirundini tribuitur.

501) v. not. 490.

502) *Aristoph.* Rann. 692. sq. *δεινὸν ἐπιβρέμεται Θρῃκία χελιδών.*

503) Geoponn. 1, 3, 8. *χελιδόνες περιπετόμεναι μετὰ βοῆς.* Sic Ies. 38, 14. in versione Alexandrina: *ὡς χελιδὼν, οὕτω φωνήσω.*

504) *Schol. Theocrit.* idyll. 15, 88. *κωτίλλοισαι· ἤγουν πολυλογοῦσαι. κωτίλην γὰρ λέγουσι τὴν χελιδόνα.* *Valckenario* iudice ad h. l. p. 379. *Munckerus* ad *Fulgentium* p. 11. non absurde suspicatus est, *Proclum* ad *Hesiod.* Ἐργ. 374. p. 86. b. in *Anacreontis* odar. 12, 2. legisse: *τί, κωτίλη χελιδών;* ubi edi solet: *τί σοὶ, λάλη χελιδών; Hesych.: κωτίλη· λαλιστάτη.* Thebanos propria veluti appellatione *κωτιλάδας* vocasse *τὰς χελιδόνας*, scripsit in Phoenissis *Strattis* apud *Athenae.* 14, p. 622. A. Cf. *Casaub.* ad *Theophrast.* charactt. 7.

505) *Thryphiodor.* de Ilii excid. v. 538. sq. *αἱ δὲ φίλοις ἐπὶ παισὶ χελιδόνες οἷά τε κοῦφαι μητέρες ὠδύροντο.* Similiter *Pausan.* 1, 41. extr. *ἀηδόνες καὶ χελιδόνες ἐλεεινὸν καὶ θρήνῳ ὅμοιον ᾄδουσιν.*

506) v. *Isidor.* origg. 12, 7. *Quitschreiberus* addit *garrire.*

507) v. supra in v. *Apis* et *Cicadae.*

508) hist. animm. 4, 9.

509) H. N. 11, 51. Sic *Vincentius Bellouacensis* specul. natur. 22, 4. ex Aristotele: „Strepitus apum et cicadarum non est vox: quia non anhelat, sed fit propter aliquarum partium confricationem."

,non habere, nisi quae spirant, Aristoteles putat. Id-„circo et insectis sonum esse, non vocem, intus me-„ante spiritu, et incluso sonante alia murmur edere, ut „apes, alia cum tractu stridorem, ut cicadas. Recepto „enim ut duobus sub pectore cauis spiritu, mobili oc-„cursante membrana intus, attritu eius sonare viscera „sat notum est. Caetera simul cum volatu et incipere „audiri, et desinere, ut muscas, apes. Sonum enim attri-„tu et interiore aura, non anima, reddi. Locustas penna-„rum et feminum attritu sonare, creditur sane." Ego tamen ubique sequendum putaui usum loquendi.

Iynx, v. *Torquilla.*

Larus, v. *Gauia.*

Liuia vocatur βαρύφθογγος[510]). Cf. *Columba.*

Locustae dicuntur ψόφον ποιεῖν[511]), et βομβεῖν[512]), et *pennis dentibusque stridere*[513]). Conf. *Parnops.*

Luscinia, quia vocem saepe mutat[514]), interdum ᾄδειν[515]) et *canere*[516]) dicitur, alias πολυκώτι-

Quitschreiberus plagula A. fol. 3. b. „Neque animantibus omnibus vox est: sanguine enim carentia non vociferantur."

510) *Oppian.* cyneget. 3, 116. βαρύφθογγοι πέλειαι.

511) v. verba *Aristotelis* in v. *Insecta* allata.

512) *Aelian.* H. A. 6, 19. βομβοῦσαν ἀκρίδα.

513) *Plin.* H. N. 11, 29. „Locustae volant *pennarum stridore* — dentes inter se terendo *stridorem edunt.*" Cf. quae supra in v. *Insecta* attuli. *Quitschreibero* locusta *susurrat tenui susurro.*

514) *Plin.* H. N. 10, 29. „Lusciniis aestu aucto in totum alia vox fit, nec modulata, aut varia." Cf. not. 515.

515) Grammaticus *Iriartii* p. 307. a. ἀηδόνος ᾄδειν, εὐστομεῖν. *Aristot.* H. A. 4, 9. ἡ ἀηδὼν ᾄδει. *Aelian.* H. A. 12, 28. ἡ ἀηδὼν διὰ τοῦ θέρους καὶ τὴν χρόαν ἐκτρέπει εἰς εἶδος ἕτερον, καὶ μεταβάλλει τὸ φώνημα· οὐ γὰρ ᾄδει πολυήχως καὶ ποικίλως, ἑτέρως δὲ ἤπερ οὖν διὰ τοῦ ἦρους. *Maxim. Tyr.* diss. 31, 2. ἀηδόνων ᾠδή. Cf. *Oppian.* ἰξευτ. 1, 17.

516) Carmen de Philomela v. 8. „Tu *cantare* simul nocte dieque potes." Et v. 45. „Philomela, quae *cantu* cunctas exsuperat volucres." Sed classicus de lusciniae cantu est locus *Plinii* H. N. 10, 29. „Lusciniis diebus ac noctibus continuis quindecim *garrulus* sine intermissu *cantus.* — Primum tanta vox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta musicae scientia modulatus editur sonus: et nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto:

λος[517]) et λάλος[518]) et *garrula*[519]) vocatur, quare etiam *garrulus cantus* ei tribuitur[520]). Interdum legitur μινύρεσθαι[521]), et ἀχνυμένη περιμύρεσθαι[522]), item *queri*[523]) et *flere*[524]), et Graeco atque Latino sermone docilis esse[525]), etiam *sibilare*[526]), in uniuersum autem εὐστομεῖν[527]). Sed verbum magis proprium est τερετίζειν[528]).

promittitur reuocato, infuscatur ex inopinato: interdum et secum ipse *murmurat:* plenus, grauis, acutus, creber, extentus, ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, quae tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. — Ac ne quis dubitet, artis esse, plures singulis sunt *cantus*, nec iidem omnibus, sed sui cuique." etc. *Plautus* Bacchid. 1, 1, 4. „Metuo, lusciniolae ne defuerit *cantio*." v. ibi *Taubman.* Cf. not. 519.

517) In versu *Simonidis* in *Etymol. M.* p. 813, (737,) 8. allato. Sic *Simmias* in Ouo, ubi se ipsum intelligi vult: κωτίλας ἄτριον ματέρος Δωρίας, τῇ τοῦτ' ὠὸν νέον ἁγνᾶς ἀηδόνος. Cf. *Suid.* in v. κωτίλη.

518) *Alexis* apud *Athenae.* 4, p. 133. C. σοῦ δ' ἐγὼ λαλιστέραν οὐ πώποτ' εἶδον — ἀηδόνα.

519) *Martialis* 14, 75. „*Flet* philomela nefas — *garrula* fertur auis." Sic *Apuleius* Florid. p. 358. „Lusciniae *canticum* adolescentiae *garriunt.*" ubi in *Lipsii* codice legebatur *gurriunt.* Unde fortassis etiam *Quitschreiberus* utrumque verbum attulit.

520) v. not. 516.

521) *Sophocl.* Oedip. Colon. 671. sq. λίγεια μινύρεται θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδών.

522) *Quintus Smyrnaeus* de Ilii excidio 1, 481. sq. περιμύρεται ἀμφὶ καλιὴν πολλὰ μάλ' ἀχνυμένη — ἀηδών.

523) *Virgil.* Ge. 4, 512. „Moerens philomela amissos *queritur* foetus." et 514. „*Flet* noctem, miserabile carmen integrat, et moestis late loca *questibus* implet." *Senec.* Octau. 904. „*Questus* reddet Aëdon." Cf. not. 505. et *Ouid.* Amorr. 2, 6, 7.

524) v. not. 519. et 523.

525) v. *Plin.* H. N. 10, 42. ubi plura.

526) *Sidonius* 2, epist. 3. „Diluculo Philomelam inter frutices *sibilantem.*"

527) *Pollux* 5, 90. ἀηδόνας εὐστομεῖν. Cf. not. 515. *Sophocl.* Oedip. Colon. 18. εὐστομοῦσ' ἀηδόνες. ubi Scholiastes: εὐστομοῦσιν, inquit, εὐφθογγοῦσιν, εὐφώνως ᾄδουσιν. Sic εὐφώνους ἀηδόνας dicit *Oppian.* ἰξευτ. 3, 13. et τὸ εὔστομον lusciniae tribuit *Aelian.* in epilogo librorum de natura animalium.

528) Grammaticus *Aldi*, ut *Iriartii* p. 307. a. ἐπὶ ἀηδόνος τερετίζειν. Eadem tradit Anonymus *Tittmanni* l. l. (nisi quod habet τερετι-

Meleagrides κακκάζουσι[529]).

Merops dicitur *zinzilulare.*[530]).

Merula siue *Merulus* in uniuersum legitur πατα γεῖν[531]) et ᾄδειν[532]), item μινυρίζειν[533]), ut Latine *canere*[534]), et *balbutire*[535]). Etiam λάλος vocatur[536]). Sed propria eius vox declaratur verbis Graecis σίζειν[537]) et πιπίζειν[538]), Latinis *fringultire*[539]) et *zinzitare*[540]).

ζειν, ut *Moschopulus* l. l.) et Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. Anonymus *Valckenarii* p. 230. ἀηδὼν τερετίζει. Anonymus *Iriartii* p. 371. b. τερετίζει ἐπὶ ἀηδόνος.

529) *Pollux* 5, 90. μελεαγρίδας κακκάζειν. Meleagrides autem, *Iriartio* p. 314. a. interprete, sunt gallinae Numidicae.

530) Carmen de Philomela v. 48. sq. „Regulus atque Merops, et rubro pectore Progne consimili modulo *zinzilulare* sciunt.“ v. not. 500.

531) *Aristot.* H. A. 9, 49. ὁ κόσσυφος ἐν μὲν τῷ θέρει ᾄδει, τοῦ δὲ χειμῶνος παταγεῖ, καὶ φθέγγεται θορυβῶδες. Fere eadem tradit *Aelianus* H. A. 12, 28. nisi quod τεταραγμένον pro θορυβῶδες posuit. Qualis fere sonus intelligatur, disci potest ex Grammatico *Aldi* l. l. et Codice 132. apud *Creuzerum* l. l. ἀνέμων πάταγος. Apud *Iriart.* p. 307. a. et *Tittmannum* l. l. legitur πάτταγος, ut apud *Moschopulum* l. l.

532) v. not. 531. et *Oppian.* ἰξευτ. 1, 23. Dissentit vero ex parte *Pausanias* 8, 17. κόσσυφοι — οἱ ὑπὸ κωμῳδῶν καλούμενοι, γένος ἄλλο που τί εἰσιν ὀρνίθων, οὐκ ᾠδικόν.

533) *M. Argentarius* in *Brunckii* analectt. Vol. II. p. 273. epigr. XXVIII.

534) Carmen de Philomela v. 13. „Merulus modulans tam *pulcris concinit odis*: Nocte ruente tamen carmina nulla *canit.*“ ubi *Schottus* edidit: „sat *pulcris tinnitat odis*“ et in altero versu „cantica“ pro „carmina.“ *Plinius* H. N. 10, 29. „Merula *canit* aestate, hieme *balbutit.*“ Apud *Isidorum* origg. 12, 7. merula dicitur *cantum edere dulcissimum.*“

535) Hoc verbo *Plinius* expressit Graecum παταγεῖν. v. not. 531. et 534.

536) apud *Aelian.* H. A. 6, 19.

537) *Pollux* 5, 89. κοψίχους σίζειν. Grammaticus apud *Iriart.* p. 307. a. κοψύχων σίζειν.

538) Anonymus apud *Valckenar.* p. 231. κόσσυφος πιπίζει. *Aristoph.* Auu. 303. κόψιχοι πιππίζουσι.

539) *Apuleius* Florid. p. 358. „Merulae *fringultiunt.*“ Etiam aliis modis hoc verbum scribi, ostendi not. 434.

540) Debetur hoc uni Grammatico *Iriartii* p. 312. a. De passeri-

Milui qualem vocem habeant, intelligi potest ex his *Iuliani* verbis[541]): *λέγεται τὸν ἰκτῖνα, φωνὴν ἔχοντα παραπλησίαν τοῖς ἄλλοις ὄρνισιν, ἐπιθέσθαι τῷ χρεμετίζειν, ὥσπερ οἱ γενναῖοι τῶν ἵππων, εἶτα τοῦ μὲν ἐπιλαθόμενον, τὸ δὲ μὴ δυνηθέντα ἑλεῖν ἱκανῶς, ἀμφοῖν στέρεσθαι, καὶ φαυλότερον τῶν ἄλλων ὀρνίθων εἶναι τὴν φωνήν.* Latine dicitur *iugere*[542]) et *lupire*[543]).

Monedula, v. *Graculus.*

Musca dicitur *βρομεῖν*[544]). Latinum verbum *tinnire* addidi *Quitschreibero* auctore.

Noctua, quae *garrula* nominatur[545]), et cui vox submissa[546]) et *carmen intortum*[547]) tribuitur, legitur

bus *cinciare* legitur (v. infra), quod num pro *zinzitare*, an hoc pro illo reponendum sit, an utrumque ferendum, dubium est. *Quitschreiberus* habet: „Merula *frindit*, *cinciat*, vel *tintiat.*" E quibus saltem *frindere* magis placebat, quam *fundere*, quod merulis apud *Vincentium Bellouacens.* l. l. 22, 6. tribuitur. Addi potest *tinnitare* e not. 534.

541) in Misopogone p. 366. A. ed. *Spanhem.*

542) *Festus* pag. 303. „*Iugere* milui dicuntur, cum vocem emittunt." Anonymus apud *Iriart.* pag. 311. b. „Milui *iugiunt*, vel *iugilant*, vel *luriunt.*" Gloss. vett. „*iugit*, *ἰκτὶν βοᾷ.*" *Varro* apud *Nonium Marcellum* p. 106. „*Iugere* volitans miluus aquam e nubibus tortam indicat fore." Ita legendum pro „vigere volitans mulsus" docuit *Scaliger* coniectan. Varron. p. 38. Cf. quae idem exposuit ad *Manil.* astronom. 5, 327. p. 387. ed. Argent. 1655. 4. ubi addit, *iugere* Graecis proprie esse *γιγγραίνειν* et *γιγγρίζειν.* v. tamen not. 309.

543) Ita quidem apud *Vincent. Bellouac.* l. l. scribitur. Quae scriptura si vera est, similitudinem quandam vocis luporum indicat. Certe *luriunt*, quod not. 542. attuli, probari posse nego. Carmen de Philomela v. 24. habet: „Miluus hiansque *lipit.*" quod ne in *pipit* mutes, metri ratio prohibet. *Quitschreiberus* addit *lepit* et *lippit.* Sane in Gloss. Vett. est: „*lippus*, *πτίλλος*, *μίλφος.*" Sed haec ad vocem non pertinent. *Ugutio* l. l. dicit: „Miluorum *bulpare.*" Fortassis voluit *lupare.* Saltem id cum *lupire* conueniret. Sed nec illud omnino reiiciendum. v. not. 661.

544) *Homer.* Il. *π*, 641. sq. *ὅτε μυῖαι σταθμῷ ἔνι βρομέωσι.* *Eustath.* ad h. l. p. 1105, 7. ed. Basil. *καὶ ἐπὶ μυιῶν ὁ βρόμος καὶ τὸ βρομεῖν τίθεται, κρεῖττον ἄρτι ὂν τοῦ βομβεῖν.* Cf. supra in v. *Insecta.*

545) v. *Plin.* H. N. 18, 35.

546) *Theophrast.* p. 440. *γλαὺξ ἡσυχαῖον φθεγγομένη — ἡσυχαῖον ᾄδουσα.* *Aratus* v. 1000. *γλαὺξ ἥσυχον ἀείδουσα.* *Aelian.* H. A. 7, 7. *γλαὺξ ὑποφθέγγεται.*

547) apud *Apuleium* Florid. p. 349.

quidem etiam simpliciter *ᾄδειν*[548]) et *canere*[549]). Sed cum proprius noctuae sonus dicatur esse *tu tu*[550]), vix dubium est quin ea Graece proprie declarata sit verbo *τυΐζειν* vel *τυτίζειν*[551]). Praeterea eadem *κακκαβίζειν* reperitur[552]), etiam *κλώζειν*[553]), et Latine *cucubare*[554]).

548) *Aelian.* H. A. 7, 7. *ᾄσασα γλαύξ.* Geoponn. 1, 2, 6. *γλαὺξ ᾄδουσα.*

549) *Virgil.* Ge. 1, 403. „Exercet noctua *cantus.*" ad q. l. *Seruius* haec addit: „Auis est lucifuga, quae significat pluuiam, si *cecinerit* post solis occasum."

550) *Plautus* Menaechm. 4, 2, 90. sq. „Tu, tu istic, inquam. vin' afferri noctuam, quae Tu, Tu, usque dicat tibi?" ad q. l. vid. *Taubman.* qui confert hunc *Ausonii* (de literis monosyllabis Graecis ac Latinis) versum: „Cecropiis ignota sonis, ferale sonans *V.*" et glossam *Hesychii: τυτώ· ἡ γλαύξ.* Nam etiam hoc nomine alluditur ad vocem noctuae *tu*, *tu*, seu *tou*, *tou.*

551) *Kühnius* quidem apud *Pollucem* 5, 89. reposuit: *γλαῦκας ὑΐζειν*, pro *γλ. ὑΐζειν.* Sed vel seruandum erat *ὑΐζειν*, et cum nostro *Uhu*, *Huhu* comparandum, vel *τυΐζειν* aut *τυτίζειν* rescribendum, propter ea quae not. 550. attuli. Eodem modo corrigenda sunt, quae habet Anonymus *Iriartii* p. 307. a. *γλαυκὸς νίζειν.*

552) *Aristoph.* Lysistr. 762. *γλαυκῶν κακκαβιζουσῶν ἀεί.* ubi *Bisetus: κακκαβίζειν νῦν περὶ τῆς τῶν γλαυκῶν ἀηδοῦς φωνῆς λέγεται. ἀλλαχοῦ δὲ περὶ τῶν περδίκων, ἃς τινες καὶ κακκάβας καλοῦσι.* Inde facilis est emendatio eorum, quae Grammaticus *Aldi* l. l. ut Codex 132. apud *Creuzerum* l. l. exhibet: *ἐπὶ γλαυκῶν κακκιβάζειν καὶ κλώζειν.* et Grammaticus *Tittmanni* l. l. *ἐπὶ γλαυκῶν κακκιβάζειν*, ut apud *Moschopulum* l. l. item *Zenodotus* apud *Valckenar.* p. 229. *ἐπὶ γλαυκῶν κακιβάζειν.* Saltem vox perdicum verbo *κακκαβάζειν* significatur ab his aliisque Grammaticis, vox noctuarum ab illa distinguitur, quod tamen non facit *Bisetus*, neque Anonymus *Valckenarii* p. 230. *γλαῦκος* (de qua nominatiui forma v. *Koen.* ad *Gregor.* de dialectis p. 278. sq. p. 592. edit. *Schaefer.*) *καὶ πέρδιξ κακκαβάζει.* Codex 45. apud *Creuzerum* l. l. male: *κακκίζειν γλαυκῶν.* Sed multo magis corrupta sunt verba Grammatici apud *Iriart.* p. 371. b. *ἐκκαυβάζει ἐπὶ γλαυκός.* ubi equidem reponendum putem *κακκαβάζει.* Cf. infra in v. *Perdix.*

553) v. not. 552.

554) Carmen de Philomela v. 40. „Noctua lucifuga *cucubat* in tenebris." Anonymus *Iriartii* pag. 312. a. ex alia forma: „*Noctuae cucubiunt.*" Sed *Vincentius Bellouac.* l. l. dicit: „Noctuas *cacubire.*" et *Ugutio* l. l. „Noctuarum *caccubire.*" denique *Quitschreiberus* vitiose dat: *cubit.*

Olor plerumque dicitur ᾄδειν[555]), quare ἀχέτας[556]) et μουσικὸς[557]) et Apollinis ἀοιδὸς[558]) et μελῳδὸς[559]) et *argutus*[560]) appellatur. Et propria quidem eius vox vocabulo τιοτιοτιοτιοτὶγξ indicatur[561]). Sed cum inprimis ante mortem canere[562]) et *cantum flebilem* ede-

555) Grammaticus *Aldi* l. l. et *Tittmanni* l. l. et apud *Moschopulum* l. l. ἐπὶ κύκνου ᾄδειν. *Iriartii* p. 307. a. ἐπὶ κύκνων ᾄδειν. *Valckenarii* p. 231. κύκνος ᾄδει. *Iriartii* rursus p. 371. b. ᾄδει ἐπὶ κύκνου. *Pollux* 5, 89. κύκνους ᾄδειν. *Callimach.* h. in Apoll. 5. ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει. *Oppian.* ἰξευτ. 2, 19. κύκνοι ᾄδοντες. — ᾄδουσι δὲ οὐχὶ θρηνῶδες, ὥσπερ ἀλκυόνες, ἀλλ' ἡδύ τι καὶ μελιχρὸν, καὶ οἷον αὐλοῖς ἢ κιθάραις χρώμενοι. In sequentibus dicuntur saepe ᾄδειν, tribuiturque iis ᾆσμα et ᾠδή. *Lucian.* de electro c. 5. T. III. p. 89. ᾀδόντων δὲ (κύκνων) ἡδὺ — οὐδὲ ὄναρ ἀκηκόαμεν. Sic et Latine olores *canere* dicuntur. *Isidor.* origg. 12, 7. „*Cantus* edunt dulcissimos cygnus et merula. — Cygnus a *canendo* est appellatus, eo quod carminis dulcedinem modulatis vocibus fundit. Ideo autem suaviter eum canere dicunt, quia collum longum et inflexum habet: et necesse est, eluctantem vocem per longum et inflexuosum iter varias reddere modulationes.“ Quod quidem etymon ego non capio. *Apulei.* Florid. p. 366. „Apollo cygno *cantum* indulsit.“ *Virgil.* ecl. 9, 29. „*Cantantes* cycni.“ Aen. 1, 398. „Cycni *cantus* dedere.“ 7, 700. „Cycni longa *canoros* dant per colla *modos*.“

556) *Eurip.* Electr. 151. κύκνος ἀχέτας.

557) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 19. μουσικωτάτους πάντων ὀρνίθων τοὺς κύκνους ἴσμεν. *Pausan.* 1, 30. ἔστι δὲ κύκνῳ τῷ ὄρνιθι μουσικῆς δόξα.

558) *Callimach.* h. in Del. 249. κύκνοι δὲ θεοῦ μέλποντες ἀοιδοί. ubi *Ruhnkenius* Epist. crit. II. p. 160. edit. 2. p. 247. edit. 3. legendum suspicatur κύκνοι δὲ θεὸν μέλποντες ἀοιδαῖς.

559) *Eurip.* Iphig. Taur. 1104.

560) *Virgil.* ecl. 8, 36. „*Argutos* inter strepere anser olores.“

561) *Aristoph.* Auu. 770. sqq. τοιάνδε κύκνοι, τιοτιοτιοτιοτὶγξ, συμμιγῆ βοὴν ὁμοῦ πτεροῖσι κρέκοντες, ἴαχον Ἀπόλλω, τιοτιοτιοτιοτὶγξ, ὄχθῳ ἐφεζόμενοι παρ' Ἕβρον ποταμόν· τιὸ τιὸ τιὸ τιό. vid. etiam v. 739. 742. 745. 748. 753. 780. 785.

562) *Aristot.* H. A. 9, 12. ᾠδικοὶ δὲ οἱ κύκνοι, καὶ περὶ τὰς τελευτὰς μάλιστα ᾄδουσιν. — καί τινες ἤδη πλέοντες παρὰ τὴν Λιβύην, περιέτυχον ἐν τῇ θαλάττῃ πολλοῖς ᾄδουσι φωνῇ γοώδει, καὶ τούτων ἑώρων ἀποθνήσκοντας ἐνίους. *Aelian.* H. A. 5, 34. τοσοῦτον τῷ κύκνῳ περίεστιν εὐθυμίας, ὡς καὶ ἐπὶ τῇ καταστροφῇ τοῦ βίου τοῦ σφετέρου ᾄδειν καὶ ἀναγηρύεσθαι οἷον ἐπικήδιόν τι τοῦτο τὸ μέλος. *Martial.* 13, 77. „*Cantator* cygnus funeris ipse sui.“ *Aeschyl.* Agamemn. 1453. sq. κύκνου δίκην τὸν ὕστατον μέλψασα θανάσιμον γόον. *Oppian.*

re[563]) et *queri*[564]) perhibeatur: apparet cur interdum κρώζειν ἄμουσον[565]), vel βοᾷν[566]) vel ἀναγηρύεσθαι[567]) legatur, et *raucus* nominetur[568]). Latinum verbum proprium est *drensare*[569]).

Orchilus, v. *Salpinx*.

Oripelargo tribuitur *querula murmuratio*[570]).

Oscines in uniuersum leguntur *mutare vocem*[571]).

Palumbes Graece dicitur φθέγγεσθαι[572]), Latine

Cyneg. 2, 548. κύκνοι γόον ὕστατον ἀείδοντες. Cf. *Plat.* Phaedon. c. 35. *Aesop.* fab. 74. *Cic.* Tusc. 1, 30. et *Ouid.* metamm. 14, 430. At fabulosa haec esse, et solis poetarum commentis deberi, demonstrarunt multi, tam veteres quam recentiores. *Luciani* quidem eam in rem verba attuli not. 555. *Aelian.* V. H. 1, 14. ὅτι δὲ κύκνοι εἰσὶ φιλῳδοὶ, τοῦτο μὲν ἤδη καὶ τεθρύλληται. ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου οὐκ ἤκουσα, ἴσως δὲ οὐδὲ ἄλλος. πεπίστευται οὖν, ὅτι ᾄδει, καὶ λέγουσί γε, αὐτὸν μάλιστα ἐκεῖνον εἶναι τὸν χρόνον εὐφωνότατόν τε καὶ ᾠδικώτατον, ὅταν ᾖ περὶ τὴν καταστροφὴν τοῦ βίου. *Athenaeus* 9, pag. 393. D. postquam nonnulla ex *Aristotelis* narratione supra relata attulit, addit haec: ὁ δὲ Μύνδιός φησιν Ἀλέξανδρος, πολλοῖς τελευτῶσι παρακολουθήσας, οὐκ ἀκοῦσαι ᾀδόντων. *Plin.* H. N. 10, 23. „Olorum morte narratur *flebilis cantus*. falso, ut arbitror, aliquot experimentis." Cf. *Aelian.* H. A. 2, 32. Add. *Rittershus.* ad *Oppian.* l. l. *Lambin.* ad *Horat.* 4, Od. 3, 20. *Elmenhorst.* ad *Apulei.* p. 383. *Ioach. Feller* diss. de cycnorum cantu, Lips. 1660. *Thom. Bartholini* thesis de cygni anatome eiusque cantu, Hafn. 1650. 4. deinde notulis quibusdam auctior edita e schedis paternis a *Gasp. Bartholino*, Hafn. 1668. 8. *Esdr. Henr. Edzard.* de cygno ante mortem non canente, contra versum: Carmina iam moriens canit exequialia cygnus (apud *Ouid.* l. l.), Viteb. 1722.

563) v. verba *Plinii* not. 562. allata.

564) *Lucret.* 4, 547. sq. „Cycnei — tollunt lugubri voce *querelam*."

565) v. *Lucian.* de Electro c. 5. T. III. p. 89.

566) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 19. κύκνοι βοησάμενοι.

567) v. not. 562. ex *Aelian.* H. A. 5, 34.

568) *Virgil.* Aen. 11, 458. „Dant sonitum *rauci* cycni."

569) Carmen de Philomela v. 23. „Cycni prope flumina *drensant*." *Ugutio* l. l. „Olorum *drensare*." *Vincent. Bellouac.* l. l. „Olores *drensare*." Anonymus *Iriartii* p. 312. a. „Olores *drensitant*." Male apud *Quitschreiberum* legitur *densat*.

570) *Plin.* H. N. 10, 3. „Oripelargus *querulae murmurationis*.

571) v. not. 281.

572) *Aristot.* H. A. 9, 49. ἡ φάττα τοῦ μὲν χειμῶνος οὐ φθέγγεται·

canere[573]), *gemere*[574]), *minurire*[575]), *plausitare clamans*[576]); vel potius *raucitare*[577]), quare et *rauca* vocatur[578]).

Parnops, quae est locustae species[579]), ὑποκρίζει[580]).

Parus dicitur *tinnitare*[581]).

Passer Graece *ἰαχεῖ*[582]). Latine modo legitur *pipilare*[583]),

πλὴν ἤδη ποτὲ εὐδίας ἐκ χειμῶνος σφοδροῦ γενομένης ἐφθέγξατο, καὶ ἐθαυμάσθη ὑπὸ τῶν ἐμπείρων· ἀλλ' ὅταν ἔαρ γένηται, τότε ἄρχεται φωνεῖν. Eadem ex *Alexandro Myndio* refert *Athenaeus* 9, p. 394. E.

573) v. *Plin.* H. N. 10, 35.

574) *Martial.* 3, 58. „*gemit* hinc palumbus, inde cereus turtur."

575) *Aelius Spartianus* in Antonino Geta c. 5. „Palumbes *minurriunt.*" *Bulengerus* de theatr. 2, 5. recte exhibet *minuriunt* (v. not. 288. et not. 499.), atque hoc verbum explicat verbis: querulo et flebili sono cantillant. Sed *I. B. Pius* l. l. legendum suspicatur *prognes mimirtiriunt.* Apud *Quitschreiberum* vitiose scribitur *minarrit.*

576) Carmen de Philomela v. 21. „*Plausitat* arborea *clamans* de fronde palumbes." ubi *Schottus* et *Wernsdorfius* pro *clamans* dederunt *resonans.*

577) Grammaticus apud *Iriart.* p. 312. a. „Palumbes *raucitant.*" Male apud *Vincent. Bellouac.* l. l. extat: „Palumbos *paucitare.*"quod ipsum habet *Quitschreiberus.*

578) *Virgil.* ecl. 1, 58. „*Raucae* palumbes." ubi *Seruius* addit Graecum βραγχώδεις.

579) *Schol. Aristoph.* Auu. 185. *εὐχείρωτοι οἱ πάρνοπες. ἔστι δὲ εἶδος ἀκρίδων. οἱ δὲ, κωνώπων.* Acharnn. 150. *εἶδος δὲ ἀκρίδων οἱ πάρνοπες.* Cf. *Suid.* et *Biset.* ad *Aristoph.* Vespp. 1302.

580) *Aelian.* H. A. 6, 19. *πάρνοπα ὑποκορίζοντα.* Sed praeferenda videtur lectio Codicis Gesneriani, *ὑποκρίζοντα.*

581) Carmen de Philomela v. 9. „Parus enim quamuis per noctem *tinninet* omnem." *Schottus* non solum *Parrus* scripsit, sed etiam *tinnitet*, quod praetuli. Idem reponendum ducebam in his verbis Grammatici apud *Iriart.* p. 312. a. „Parri *tinnipant.*" ad q. l. *Iriartius* notauit, ab *Ugutione zinzinare* dici proprium pardorum, pro quo *parrorum* legendum. At ego apud *Ugutionem* tale quid non inueni, et *Wernsdorfius* cum *Burmanno* unice probauit verbum *tinnipare.*

582) *Hamer.* Il. β, 315. *μήτηρ* passerculorum *δ' ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα· τὴν δ' ἐλελιξάμενος* draco *πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν.* Cf. not. 587.

583) *Catullus* carm. 3, 10. „Passer ad solam dominam usque *pipi-*

modo *cinciare* vel *titiare*[584]), alias *fringultire*[585]), alias *gannitus* ei tribuitur[586]). Passerculi autem *τρίζουσι* et *τιτίζουσι*[587]).

Pauonis vox exprimitur Graece verbo *κακκαβίζειν*[588]),

labat." ubi *Muretus* legit *pippiebat.* Sane in Carmine de Philomela v. 30. ubi vulgo editur: „Passer tristia flendo *rapit.*" libri duo habent *pipit* pro *rapit.* Sed *Schottus* edidit: *solstitia recolit.* E qua lectione cum sensus commodus nullus erui posset, *Iriarte* in loco mox indicando legi iubet: *solstitiare solet*, ita ut *solstitiare* conflatum sit e vocabulo *solus* et verbo *titiare*, et significet: solum s. solitarium titiare. *Burmannus* emendat: „*sic titiare solet.*" *Wernsdorfius* malit: „*sat titiare cupit.*" Cf. not. 584. *Quitschreiberus*, praeter *pipit*, habet etiam *tiziat*, *pilpilat*, *pippilat*, *pipilat.*

584) *Vincentius Bellouac.* l. l. „Passeres *cinciare.*" *Ugutio* l. l. „Passerum *cinciare.*" Sed anonymus *Iriartii* p. 312. a. „Passeres *ticiant.*" quod verbum, vel *titiare*, probat, et reliquis, quae se in aliis reperisse ait, ut *tittiare*, *tutiare*, *thytiare*, praefert *Iriarte.* Cf. not. 583.

585) *Sidonius* 9, epist. 2. „Improborum passerum *fringultientes susurros.*"

586) *Apuleius* metamorph. 5, p. 175. „*Gannitu constrepenti* lasciuiunt passeres."

587) *Eustath.* ad Iliad. *β*, p. 229, 18. ed. Rom. *τὸ τετριγῶτας* (v. 314.), *μίμησις ἐστὶ φωνῆς τῶν νεοττῶν, ἥτις ἁπαλωτέρα τοῦ τρύζειν ἐστὶν, ἀφ' οὗ γίνεται ἡ τρυγών. τελειότερον δέ φασι τοῦ τετριγέναι τὸ ἰαχεῖν. ὅθεν τὰ μὲν νήπια, τετριγῶτα· ἡ δὲ μήτηρ, ἀμφιαχυῖα. Ζηνόδοτος μέντοι, φασὶν, ἀντὶ τοῦ τετριγῶτας, τιτίζοντας γράφει· οἷα κρίνας αὐτὸ τοῦ τετριγέναι καιριώτερον. καίτοι φασὶν οἱ παλαιοὶ, ὅτι ἁπλῶς μὲν, τιτίζουσιν οἱ νεοσσοί· κατεσθιόμενοι δὲ, τρίζουσιν. ἔστι δὲ τρίζειν, τὸ λεπτὸν ἠχεῖν, κατὰ τὰς νυκτερίδας, αἳ καὶ αὐταὶ τρίζειν λέγονται, ὡς ὁ ποιητὴς ἐν τῷ τέλει τῆς Ὀδυσσείας* (ω, 5—9.) *φησί· τὸ μέντοι τρύζειν, ἀφ' οὗ ἡ τρυγὼν, τραχυφωνότερόν ἐστι. σημείωσαι δὲ, ὅτι ἐκ τοῦ τιτίζειν, τίτις κατὰ Αἴλιον Διονύσιον, βραχὺ ὀρνίθιον, ἢ καὶ πᾶν, φησὶ, μικρὸν ὀρνίθιον ὑπὸ τῶν παλαιῶν οὕτω καλεῖται. ἕτερος δέ τις φησὶ καὶ ὅτι κατὰ μίμησιν, ἤτοι ὀνοματοποιΐαν· ὅθεν ἴσως καὶ τιτιγόνιον ζωΰφιον παρὰ τῷ αὐτῷ, ὅμοιον τέττιγι.* Et ad Iliad. *ψ*, p. 1399, 46. ed. Basil. *μάλιστα δὲ, φασὶ, στρουθάρια, ὧν καὶ ἡ β' ῥαψῳδία ἐμνήσθη, τρίζουσιν, ἢ τιτίζουσιν κατὰ Ζηνόδοτον.* Scholia a *Villoisono* edita ad Iliad. *β*, 314. *τετριγῶτας· Ζηνόδοτος γράφει, τιτίζοντας· εὐτελὴς δὲ ἡ λέξις· κατὰ φύσιν γὰρ φθεγγόμενοι οἱ νεοττοὶ τιτίζουσιν· οἱ δὲ κατεσθιόμενοι, τρίζουσιν.* Cf. *Phauorin.* in v. *τετριγῶτας*, qui partem verborum *Eustathii* e priore loco exscripsit.

588) v. not. 594. e *Plutarcho.*

Latine verbo *paululare* vel *paupulare*[589]), ipseque nomen de sono vocis habere fertur[590]).

Perdix quoque de voce nomen habet[591]), apud Graecos quidem. Nam ab his appellatur interdum κακκάβη[592]), quia vox eius proprie significatur verbo κακκαβάζειν[593]), vel κακκαβίζειν[594]), ad quae Latinum *cac-*

589) Carmen de Philomela v. 26. „*Pupillat* pauo.“ *Schottus* dedit: „*Pululat* at pauo.“ Ita etiam *Wernsdorf.* Sed rectius Grammaticus *Iriartii* p. 312. a. „Paui *paululant.*“ In *Vincent. Bellouac.* l. l. dicuntur Pauones *paupulare.* Et sic *Ugutio* l. l. „Pauonum *paupulare.*“

590) v. *Isidor.* origg. 12, 7.

591) Sunt verba *Isidori* l. l.

592) *Athenaeus* 9, p. 389. F. καλοῦνται δὲ οἱ πέρδικες ὑπ' ἐνίων κακκάβαι. Deinde affert carmen *Alcmanis*, ubi κακκαβίδες vocantur. *Eustath.* ad Iliad. ψ, p. 1399, 49. ed. Basil. πέρδικες δέ τινες κακκαβίζουσιν, οἳ καὶ καλοῦνται δι' αὐτὸ κακκάβαι. Cf. not. sequ. et not. 552. item *Hesych.* in v. κακάβα et κάκκαβος.

593) *Zenodotus* apud *Valckenar.* l. l. p. 229. et Grammaticus apud *Tittmann.* l. l. ἐπὶ περδίκων κακκαβάζειν. Fortassis idem verbum reponendum est apud Grammaticum *Aldi* l. l. ubi ut in Codice 132. apud *Creuzerum* l. l. corrupte legitur: ἐπὶ περδίκων κοκκυβάζειν. quae verba ab editione *Aleandri* omnino absunt. Cf. not. 552. Legitur autem κακκαβάζειν de perdicum pullis, in *Phile* de animalium proprietate 11, 56. Sed Codex 45. apud *Creuzerum* l. l. habet: κακκαβίζειν περδίκων. Apud *Moschopulum* l. l. legitur: ἐπὶ περδίκων, κακαβάζειν.

594) *Pollux* 5, 89. πέρδικας τιττυβίζειν, ἢ κακκαβίζειν. *Aristot.* H. A. 4, 9. ἡ ἐν τοῖς ἄρθροις (φωνή), ἣν ἄν τις ὥσπερ διάλεκτον εἴπειεν, καὶ τῶν ἄλλων ζώων διαφέρει, καὶ τῶν ἐν ταὐτῷ γένει ζώων κατὰ τόπους· οἷον τὸ τῶν περδίκων. (ὧν) οἱ μὲν κακκαβίζουσιν, οἱ δὲ τρίζουσιν. *Zenodot.* apud *Iriart.* p. 308. b. ἐπὶ περδίκων, κακαβίζειν. Anonymus apud eundem p. 371. b. κακκαβίζει ἐπὶ περδίκων. *Plutarchus* de Stoicor. repugnantiis c. 21. ταὼς καὶ περιστερὰς τρέφουσι καὶ πέρδικας, ἵνα κακκαβίζωσιν αὐτοῖς. Scilicet, ut *I. B. Pius* l. l. dicit, perdix repetit vocem κακκά, et Graecum verbum significare voluit *Statius* 2, sylu. 4, 20. „refert iungens iterata vocabula perdix.“ Mihi vero haec *Statii* verba referenda ad eorum opinionem videbantur, qui perdices quoque sermonem humanum imitari traderent. quanquam negari non potest, id incertissimum esse, quippe quod neque *Porphyrii* loco (de abstinentia ab esu animalium 3, 4. p. 224. edit. *Iac. de Rhoer.*), ubi mansueta aliqua perdix legitur ἀντιφθέγξασθαι πρὸς τὸ ἡμέτερον φθέγμα, καὶ καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἀποκρίνασθαι, ἀλλοίως ἢ καὶ καλεῖν ἀλλήλους εἰώθασιν οἱ πέρδικες, doceri certo possit, neque loco *Athenaei* 3, p. 115. A. B. ubi Aristomenes, liber-

cabare[595]) fictum apparet. Aliud proprium de voce perdicis verbum Graecum est *τιτυβίζειν*[596]). Neque enim idem omnium sonus esse traditur[597]). Praeterea dici-

tus Adriani Imperatoris, veteris comoediae histrio, narratur ab eo *Ἀττικοπέρδιξ* vocatus fuisse, cuius appellationis haec affertur a recentioribus nonnullis viris doctis ratio, quod, quemadmodum perdices et psittaci loquantur, quae non intelligant, sic Aristomenes egerit comoedias Atticas, quarum sales ac Veneres non intelligeret. v. *Vossius* de origine et progressu idololatriae 3, 89. *Eustath.* ad Iliad. ψ, p. 1399, 49. videtur minus recte scripsisse: *ἴσως δὲ καὶ κικκαβάζουσιν (οἱ πέρδικες), ὡς ἐμφαίνει ὁ κωμικὸς ἐν τῷ κικκαβᾶν.* Sed legendum est *κικκαβαῦ.* Ita enim bis scribitur apud *Aristoph.* auu. 262. ubi tamen Scholiastes notat: *τὰς γλαῦκας οὕτω φωνεῖν λέγουσιν. ὅθεν καὶ κικκάβας αὐτὰς λέγουσιν.* Verum nec repugnabo, si quis Scholiasten hunc errare putauerit, praesertim cum *Eustathius* eadem tradiderit alio loco. v. not. 596. omninoque *Meurs.* ad *Antigon. Caryst.* hist. mirabil. c. 6.

595) Carmen de Philomela v. 19. „*Cacabat* hinc perdix." Sed cum Graeca verba per duplex κ scribi soleant; *Iriarte* p. 309. b. recte iudicare videtur, etiam Latine *caccabare* scribendum esse, saltem quoties prima syllaba in carmine producatur, *cacabare* vero, ubi eadem corripiatur, ut apud *Nemesian.* de aucupio v. 13. quo loco *cacabans* est i. q. perdix. *Vincent. Bellouac.* l. l. „Perdices *cacabare.*" Idem verbum restituendum est Anonymo apud *Iriart.* p. 312. a. ubi legitur: „Perdices *cacubant.*" et MSto Zwiccauiensi, in quo est *catat.*

596) *Eustath.* ad Iliad. ψ, p. 1399, 51. edit. Basil. *ὡς δὲ οἱ πέρδικες τιτυβίζουσι, Θεόφραστος ἱστορεῖ.* Et ad Iliad. β, p. 229, 28. ed. Rom. *τραχύτερον τοῦ τιτίζειν, τὸ τιτυβίζειν, ὃ ἐπί τινων περδίκων ἱστορεῖται λέγεσθαι, καθὰ ἐπὶ ἑτέρων τὸ κικκαβάζειν· ὅθεν παρὰ τῷ κωμικῷ ἐπίῤῥημα τὸ κικκαβαῦ.* (v. not. 594.) *Athenaeus* 9, p. 390. A. *οὐ πάντες οἱ πέρδικες, φασί, κακκαβίζουσιν. Θεόφραστος γοῦν ἐν τῷ περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν· οἱ Ἀθήνησι, φησίν, ἐπὶ τάδε πέρδικες τοῦ Κορυδαλλοῦ πρὸς τὸ ἄστυ, κακκαβίζουσιν· οἱ δ' ἐπέκεινα, τιττυβίζουσιν.* Cf. not. 594. et *Schweighäuseri* ad h. l. animaduers. T. V. p. 146.

597) *Aelian.* H. A. 3, 35. *περδίκων φθέγμα ἓν οὐδέποτε ἀκούσαις ἁπάντων, ἀλλ' ἔστι διάφορον. καὶ Ἀθήνησί γε οἱ ἐπέκεινα τοῦ Κορυδαλέων δήμου ἄλλο γε ἠχοῦσι, καὶ οἱ ἐπὶ τάδε δὲ ἄλλο. — ἐν δὲ τῇ Βοιωτίᾳ, καὶ τῇ ἀντιπέρας Εὐβοίᾳ ὁμόφωνοί τέ εἰσι, καί, ὡς ἂν εἴποι τις, ὁμόγλωττοι.* Alia hanc in rem habes not. 594. et 596.

tur perdix τρίζειν[598]), ᾄδειν[599]), ἀναβοᾶν[600]), *canere*[601]), et *garrula* vocatur[602]).

Pica cum vocem subinde mutet[603]), non solum *garrire* dicitur[604]), et λάλος[605]) atque *loquax*[606]) vocatur, sed etiam aliorum animalium voces imitari legitur[607]), quin et vagitum infantis[608]). Vox autem eius propria significatur verbo Graeco κιτταβίζειν[609]).

598) v. not. 594. ex *Aristotele*, et not. 599.

599) *Aristot.* H. A. 9, 8. οὐ μόνον ὁ πέρδιξ ᾄδει, ἀλλὰ καὶ τριγμὸν ἀφίησι, καὶ ἄλλας φωνάς. Unde apud *Oppian.* ἰξευτ. 3, 7. simpliciter est φωνὴ πέρδικος. *Athenaeus* 9, p. 389. D. πέρδιξ θήλεια ᾄδει.

600) *Oppian.* ἰξευτ. 1, 9. πέρδιξ mas ἀναβοᾷ.

601) *Plin.* H. N. 10, 33. „Perdices *canunt.*" *Ouid.* metamm. 8, 238. „Perdix et plausit pennis, testataque gaudia *cantu est.*"

602) ab *Ouidio* l. l. vers. 237.

603) *Aristot.* hist. animm. 9, 13. ἡ κίττα φωνὰς μεταβάλλει πλείστας· καθ' ἑκάστην γάρ, ὡς εἰπεῖν, ἡμέραν ἄλλην ἀφίησι. Cf. not. 380.

604) v. *Pontani* Φιλοκαλία 8, 2. p. 264.

605) *Aelian.* de natura animalium 6, 19. κίτταν λάλον. *Alexis* apud *Athenae.* 4, p. 133. C. σοῦ δ' ἐγὼ λαλιστέραν οὐ πώποτ' εἶδον — κίτταν.

606) *Martial.* 14, 76. „Pica *loquax* certa dominum te voce saluto: Si me non videas, esse negabis auem." Carmen de Philomela v. 33. sq. „Pica *loquax* varias modulatur gutture voces, Scurrili strepitu quicquid et audit, ait." ubi *Schottus* et *Wernsdorfius* pro „modulatur" edidere „concinnat."

607) *Oppian.* ἰξευτ. 1, 15. τὰ τῆς κίσσης πρὸς τὰς τῶν φωνῶν μιμήσεις πῶς ἄν τις εἴποι πλεονεκτήματα, καὶ πόσα ἂν εἶναι ζῶα δόξειε; φθεγγομένης ποτὲ κίσσης, μηκᾶσθαι ἔριφον ᾠήθην ἀκοῦσαι. — κίσσα βοῶσα ἐμυκᾶτο εὐθὺς, καὶ μόσχον ᾠόμην· εἶτα ὡς πρόβατον ἐβληχᾶτο, καὶ τὸν τοῦ ποιμένος τέλος ἐμιμήσατο συριγμὸν, ᾧ μετὰ τὴν νομὴν ἐπὶ ποτὸν ἄγει τὰ πρόβατα. Cf. not. 606. et 610. et 612. Nonnulla de pica loquelam humanam imitante collegit *Phil. Camerarius* horarum subcisiuarum centuria III. p. 259. Adde *Statii* sylu. 2, 4, 19. *Plin.* hist. nat. 10, 42. *Plutarch.* de solertia animalium c. 19. et supra not. 399.

608) *Pausanias* 8, 12. ἀνακλαίοντος τοῦ παιδὸς, κίσσα ἡ ὄρνις ἐπήκουέ τε ὀδυρομένου καὶ ἅμ' ἐμιμεῖτο τὰ κλαύματα· καί πως ὁ Ἡρακλῆς — ἐπήκουσε τῆς κίσσης, καὶ ἐνόμισε παιδὸς εἶναι, καὶ οὐκ ὄρνιθος, τὸν κλαυθμόν.

609) *Pollux* 5, 90. κίττας κιτταβίζειν. Anonymus apud *Iriart.* p. 307. a. κίττης κιτταβίζειν.

Procne seu *Progne*, v. *Hirundo*.

Psittacus grandi lingua est et caeteris auibus latiore. Unde et articulata verba exprimit, ita ut, si eam non videris, hominem loqui putes[610]). Ex quibus facile intelligitur, cur *loquax* appelletur[611]). Sed propria eius vox esse dicitur *aue* vel *χαῖρε*[612]), quippe quam, ubi saepe audierit, facillime omnium memoria comprehendat ac teneat.

Pulli Graece leguntur *πιπίζειν*[613]), vel *τιτί-*

610) Sunt verba *Isidori* origg. 12, 7. Consentit *Aristoteles* hist. animm. 8, 12. *τὰ γαμψώνυχα πάντα, βραχυτράχηλα καὶ πλατύγλωττα καὶ μιμητικά. καὶ γὰρ τὸ Ἰνδικὸν ὄρνεον, ἡ ψιττάκη, τὸ λεγόμενον ἀνθρωπόγλωττον, τοιοῦτόν ἐστι.* Unde in his *Athenaei* 9, p. 391. B. *πάντα τὰ ζώων εὔγλωττα, καὶ διηρθρωμένα ἐστὶ τὴν φωνὴν, καὶ μιμεῖται τοὺς τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ἄλλων ὀρνίθων ἤχους· ὥσπερ ψιττακὸς, καὶ κίττα,* pro *εὔγλωττα* haud dubie reponendum est *εὐρύγλωττα*. v. *Schweighäuser*. animaduerss. Tom. V. pag. 151. Sic *Arrian*. hist. Indic. c. 15. *σιττακοὺς Νέαρχος μὲν ὡς δή τι θαῦμα ἀφηγέεται, ὅτι γίγνονται ἐν τῇ Ἰνδῶν γῇ, καὶ ὁποῖος ὄρνις ἐστὶν ὁ σιττακὸς, καὶ ὅπως φωνὴν ἵει ἀνθρωπίνην· ἐγὼ δὲ, ὅτι αὐτός τε πολλοὺς ὀπώπεα καὶ ἄλλους ἐπισταμένους οἶδα τὸν ὄρνιθα, οὐδὲν ὡς ἀτόπου δῆθεν ἀφηγήσομαι.* *Oppian. ἰξευτ.* 1, 16. *τοὺς ψιττακοὺς — μέχρι πρὸς τῆς ἡμετέρης γλώσσης ὡδήγησε τὰς μιμήσεις ἡ φύσις.* *Apuleius* Florid. p. 348. sq. „Psittacus sermonem nostrum cogitur aemulari, — ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus, glande qui vescitur.“ Carmen de Philomela v. 31. sq. „Psittacus humanas depromit voce loquelas, Atque suo domino *χαῖρε* sonat vel *aue*.“ Ita *Schottus* et *Wernsdorf*. pro „*χαῖρε* valeque sonat.“ Cf. not. 399. et 612. et *Phil. Camerar*. l. l. et *Statius* sylu. 2, 4. ubi inter alia psittacus v. 2. vocatur *humanae solers imitator linguae*. it. *Plin*. H. N. 10, 42.

611) ut ab *Ouidio* amm. 2, 6, 37.

612) v. not. 610. extr. Sic *Persius* prolog. v. 8. sq. „Quis expedinit psittaco suum *χαῖρε*, Picasque docuit verba nostra conari?“ *Isidorus* verbis ad not. 610. allatis haec addit: „Ex natura autem salu„tat, dicens *aue* vel *χαῖρε*. Hinc est illud (nempe apud *Martial*. 14, „73.): Psittacus a vobis aliorum nomina discam; Hoc didici per me „dicere, Caesar *aue*.“ vide etiam epigramma, quod olim inter *Philippi*, hodie inter *Crinagorae* carmina legitur, in *Brunckii* analectt. veterum poetar. Graec. Vol. II. p. 147. et quae collegit *Burmannus* ad Antholog. Lat. T. II. p. 423.

613) *Hesychius*: *πιπίζειν. κατὰ μίμησιν ἡ λέξις πεποίηται τῆς*

ζειν[614]), et τρίζειν[615]), Latine *pipire*[616]), vel *pipare*[617]), et *fritinnire*[618]).

Qualia, quaedam auis, et dicitur qualia a voce, quam facit, scilicet *quaquera*[619]). Conf. *Coturnix*.

Regulus dicitur *zinzilulare*[620]).

Salpinx voce imitatur tubae sonum[621]).

Salus num vocem propriam habeat, quae proprio verbo Graeco vel Latino sit significata, nondum reperi. Verbum βοᾷν ei tribui scio[622]).

Scarabaei volitant alii magno cum *murmure ac mu-*

τῶν ὀρνέων φωνῆς. *Photius* in lexico: πιππίζειν καὶ τιτίζειν, μίμησις ὀρνέων φωνῶν. *Schol. Aristoph.* auu. 308. πιππίζουσιν] κατὰ μίμησιν τῶν ὀρνέων πεποίηται ἡ λέξις. Quae ipsa verba *Suidas* in lexicon suum transtulit. Utuntur omnes nomine ὀρνέων. Hoc autem inprimis de pullis auium intelligendum esse, docet locus *Athenaei* 9, p. 368. F. τῶν νεοσσῶν ὀρνίθων, οὓς πίπους (ita enim vel πίππους pro ἵππους reponi debere, dudum ostenderunt viri docti. v. *Schweighäuser.* animaduu. T. V. p. 18. 19.) τινὲς καλοῦσι.

614) v. omnino not. 587.

615) Apud *Oppian.* cyneget. 3, 125. pulli gallinae τρίζουσι. Cf. not. 496. et 587.

616) *Columella* de re rust. 8, 5. „auscultetur, si (i. e. num) *pipiant.*" Intelliguntur pulli gallinarum, ouis nondum exclusi. v. *Casp. Barth.* aduersarr. 46, 10. p. 2145. Cf. not. 447.

617) Grammaticus *Iriartii* p. 312. a. „pulli *pipant.*" *Varro* de lingua Lat. 6, 5. habet *pipatum* pullorum. Conf. not. 447. *Pipationem* lingua Oscorum clamorem plorantis dici ait *Festus.* Unde *Scaliger* in coniectaneis Varron. p. 164. haec scripsit: „*Pipare* Osci dicebant pro eo quod est eiulabunde conqueri." *Pippare* scribit *Quitschreiberus.*

618) v. not. 498.

619) Sunt verba *Iohannis de Ianua*, de quo v. not. 25. Caeterum qualia est species coturnicis, quae Gallice vocatur *Caille*, et *Quitschreiberus* habet haec: „Qualea vel calea, aut coturnix, *calculat.*"

620) v. not. 500. *Quitschreib.* addit etiam *zincilubare*, quod patet quam vitiosum sit. Equidem ubique praetulerim *zinzulare.*

621) *Aelian.* de natura animm. 6, 19. τὴν σάλπιγγα ὑποκρίνεται ἡ ὁμώνυμος, np. ὄρνις. *Photius* in lexico: ὀρχίλος· βασιλικὸς σαλπιγκτής. ὄρνεον ὁμοίως σάλπιγγι φθεγγόμενον.

622) *Oppian.* ἰξευτ. 3, 14. αἴγινθος (legendum est αἴγιοθος vel αἴγιθος) βοᾷ.

gitu, alii focos et prata crebris foraminibus excauant nocturno *stridore vocales* [623]).

Siren, quod est insectum api fere simile, *ἀμυδρόν τι κλαυθμυρίζεται, καὶ, ὡς ἄν τις εἴποι, ψοφεῖ νόμον ἐπίκλαυτον* [624]).

Strix, nocturna auis, habens nomen de sono vocis. Quando enim clamat, *stridet* [625]). Eadem ratione Graece *κερχνὴ* vocatur haec auicula [626]), quia *κερχνεῖν* significat *stridere*. Praeterea dicitur *queri* [627]).

Sturnus Graece *ψιθυρίζει* [628]), Latine *pusitat* [629]) vel *passitat* [630]). Sed est etiam inter aues loquelam humanam imitantes [631]).

Taurus auis. Vid. *Carduelis*.

623) Sunt verba *Plinii* hist. nat. 11, 28.

624) auctore *Eustathio* ad *Homer*. Odyss. φ, p. 1914, 40. ed. Rom.

625) quae sunt verba *Isidori* origg. 12, 7. Sic *Ouidius* Fastt. 6, 139. sq. „Est illis strigibus nomen: sed nominis huius causa, quod horrenda *sridere* nocte solent.“ Carmen de Philomela v. 39. „Strix nocturna sonans et vespertilio *stridunt*.“

626) *Schol. Aristoph*. auu. v. 305. *κερχνὶς δὲ οὔ, ἀλλὰ κερχνή*.

627) v. not. 343.

628) *Theophylactus* epist. 1. in *Meursii* opp. Vol. VIII. pag. 793. *τῶν ψάρων τοὺς ψιθυρισμούς*. *Quitschreiberus* habet: „Sturnus *κλόζει* et *κικλίζει*.“ Quae quin perperam scripta sint, nemo dubitat. Et pro illo quidem reponendum est *κλώζει*, sed *κικλίζει*, quod e *I. B. Pio* l. l. petitum puto, videtur in *κιχλίζει* mutandum.

629) Carmen de Philomela v. 17. „sturnus tunc *pusitat* ore.“ Ita *Schottus* et *Wernsdorfius* ediderunt.“ Ante eos legebatur *pisitat*. Equidem vel hoc probem, vel *pulsitat* cum codice Leidensi pro *pusitat* legerim, ut sturnus dicatur ore imitari pulsationem citharae vel similis instrumenti.

630) *Papias* apud *Vincentium Bellouac*. l. l. habet quidem: „sturnos *pallitare*.“ et *Quitschreiberus*: „sturnus *pallicat*.“ et Anonymus apud *Iriart*. l. l. p. 312. b. „sturni *parritant*.“ Sed verius videtur, quod dedit *Ugutio* l. l. „Sturnorum *passitare*.“ nisi haec omnia, ut *parsitare*, quod est in Glossis Leidensibus, corrupta dicere malis ex *pulsitare*. Unde vero *Quitschreiberus* petierit *pardat*, nesciebam.

631) *Statius* 2, sylu. 4, 18. sq. „auditas memor penitus demittere voces Sturnus.“ Cf. *Plin*. hist. nat. 10, 42. *Plutarch*. de solertia animalium c. 19.

Tetrax, cui in uniuersum βαρεῖα φωνὴ tribuitur[632]), proprie dicitur τετράζειν.[633]).

Theocronus κρώζει[634]).

Torquilla dicitur τρίζειν[635]), et obliquam tibiam voce imitari[636]).

Trochilus non solum βοᾷν legitur[637]), sed etiam, femella quidem, ᾄδειν atque τρίζειν[638]).

Tucos, quos Hispani *cuculos* vocant, a propria voce constat nominatos[639]). vid. *Cuculus*.

Turdus Graece dicitur κιχλίζειν[640]) vel κιχλάζειν[641]), Latine *trutilare* vel *truculare*[642]), item *surcitare*, *soccitare*, *facillare*[643]).

632) apud *Athenaeum* 9, p. 398. F.

633) *Alexander Myndius* apud *Athenae.* 9, p. 398. D. τέτραξ — ὅταν ᾠοτοκῇ, τετράζει τῇ φωνῇ.

634) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 15. θεόκρονος, γένος ἱεράκων, τοὺς στρουθοὺς κρώζων ἀνακαλεῖ. Ita enim legendum pro ἀνακλεῖ.

635) *Aristot.* hist. animm. 2, 12. ἴϋγξ — τῇ φωνῇ τρίζει.

636) *Aelian.* de natura animm. 6, 19. τὸν πλάγιον ἡ ἴϋγξ αὐλὸν ὑποκρίνεται.

637) *Aelian.* ibid. 8, 25. ὁ τροχίλος βοᾷ. *Phile* de animalium proprietate 76, 2. βοᾷ τι λαμπρὸν ὁ τροχίλος.

638) *Oppian.* ἰξευτ. 2, 3. de trochilis femellis: μικρόν τι — οἷον ᾄδουσι, τετριγυῖαι, οὕτω τε ἐκκαλοῦνται πρὸς μίξιν.

639) Haec desumta sunt ex *Isidori* origg. 12, 7.

640) Grammaticus *Aldi* l. l. ἐπὶ κίχλης κιχλίζειν. Et videtur hoc ferri posse ut verbum factitium. Sed *Iriarte* l. l. p. 313. b. cum illud in veterum libris fere significet *turdorum carnibus vesci*, unice probat καχλάζειν, quod in Codice Matritensi LXXXIII. de turdo inuenerat.

641) Anonymus apud *Valckenar.* l. l. p. 231. κίχλα κιχλάζει. Sed si *Iriartium* audis, eadem huius verbi, quae praecedentis, est ratio. Sane ille p. 307. a. ut *Tittmannus* l. l. et *Moschopulus* l. l. ex Anonymo quodam habet: ἐπὶ κίχλης καχλάζειν, et p. 371. b. ex alio: καγχλάζει ἐπὶ κίχλης. *Quitschreiberus* dicit, turdorum esse στυΐζειν, quod rursus *I. B. Pio* l. l. debet.

642) Carmen de Philomela v. 17. „turdus *trutilat.*" *Papias* apud *Vincent. Bellouac.* l. l. „turdos *trutilare* vel *surcitare.*" *Radinus* apud *Textorem* l. l. p. 281. „turdus aderat *trutilans.*" Sed ipse *Textor* p. 280. „turdus *tritulat.*" Et *Quitschreiberus* habet: *trucilat, trutillat, tritulat.* quorum primum debetur *Ugutioni* l. l. qui haec habet: „turdorum *trucilare* vel *soccitare.*" In glossis Vossianis ve-

Turtur proprie dicitur *τρύζειν*[644]), sed praeterea *γογγύζειν*[645]), et *στένειν*[646]), ut Latine *gemere*[647]), et *κωτίλλειν*[648]), quemadmodum etiam *λάλος* appellatur[649]).

ro est: „turdus *truculat.*" Eodemque modo *Schottus* et *Wernsdorfius* in carmine de Philomela ediderunt.

643) *Surcitare* est ex *Papia.* v. not. 642. De reliquis secutus sum *Ugutionem* (v. not. 642.) et Grammaticum apud *Iriart.* l. l. p. 312. b. „Turdi *soccitant* vel *facillant.*" ubi iam *Iriarte* notauit, *facillare* esse dictionem singularem, alibique prorsus ignotam. Notabilia addo *Plinii* verba ex hist. nat. 10, 42. „Agrippina, coniunx Claudii Caesaris, turdum habuit (quod nunquam ante) imitantem sermones hominum, cum haec proderem."

644) *Pollux* 5, 89. *τρυγόνας τρύζειν.* Grammaticus *Iriartii* p. 306. b. *τρυγόνος τρύζειν.* Et alius p. 371. b. *τρύζει ἐπὶ τρυγόνος. Eustath.* ad Iliad. ψ, p. 1399, 48. ed. Basil. *τρυγὼν τρύζει, ὡς καὶ τοὔνομα ἐκείνης δηλοῖ.* Idem ad Iliad. ζ, p. 503, 45. *ἐκ τοῦ τρύζειν ἡ τρυγὼν, ἣν λαλιστάτην — ἡ παροιμία οἶδεν.* Et ad Iliad. ι, p. 651, 7. *ἔστι δὲ τρύζειν, τὸ πολυλογεῖν, ἢ πολυφωνεῖν, ἐξ οὗ καὶ τρυγὼν, ἣν ἡ παροιμία ἐπὶ σκώμματι τῶν πολυλογούντων παραλαμβάνει, λαλιστέρους τρυγόνων τοὺς τοιούτους καλοῦσα. καὶ τὴν αἰτίαν λέγει ἡ περὶ τῶν ζώων ἱστορία,* (*Aristot.* hist. animm. 9, 49. extr. Cf. not. 649.) *δηλοῦσα συνεργάζεσθαί τι τῷ ὀρνιθίῳ καὶ τὰ ὄπισθεν πρὸς τὸ πολύφωνον.* Ex his aliisque locis, quos not. 193. et 299. et 587. attuli, satis apparet, apud *Herodianum* l. l. *τρύζειν ἐπὶ τρυγόνων* legendum esse, non *τρυγόζειν*, verba *Isidori* origg. 12, 7. „turtur de voce vocatur" ad linguam Graecam pertinere, non ad Latinam.

645) *Clemens Alexandr.* stromm. 5, p. 558. C. *γογγύζουσα ἡ τρυγών.*

646) *Theocrit.* idyll. 7, 141. *ἔστενε τρυγών.*

647) *Virgil.* ecl. 1, 59. „nec *gemere* cessabit turtur." ad quem locum *Seruius:* „*gemere*, canere. Proprie tamen dicitur de turture." Carmen de Philomela v. 20. „et castus turtur atque columba *gemunt.*" *Papias* l. l. „turtures et columbas *gemere.*" Cf. not. 574.

648) *Theocrit.* idyll. 15, 87. *κωτίλλοισαι τρυγόνες.* ad q. l. v. *Valckenar.* p. 378. sq.

649) *Alexis* apud *Athenae.* 4, p. 133. C. *σοῦ δ' ἐγὼ λαλιστέραν οὐ πώποτ' εἶδον — τρυγόνα. Clemens Alexandr.* stromm. 1, p. 280. A. *τρυγόνων λαλίστεροι. Aelian.* de natura animm. 12, 10. *τρυγόνος λαλίστερον ἔλεγον· ἡ γάρ τοι τρυγὼν, καὶ διὰ τοῦ στόματος μὲν ἀπαύστως φθέγγεται, ἤδη δὲ καὶ ἐκ τῶν κατόπιν μερῶν, ὥς φασι, πάμπλειστα. μέμνηται δὲ ταύτης τῆς παροιμίας Μένανδρος ἐν τῷ Πλοκίῳ· καὶ Δημήτριος μὲν ἐν τῇ Σικελίᾳ τῷ δράματι μέμνηται, ὅτι καὶ τῇ*

Valeria, aquilae genus, inquit *Plinius*[650]), sola sine *clangore*, sine *murmuratione*. Nec sane ullum scriptorem noueram, qui Valeriae vocem aliquam tribueret.

Vermis legitur τρίζειν[651]).

Vespa βομβεῖ[652]).

Ulula auis, inquit *Isidorus*[653]), ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, id est a planctu et luctu, nominata. Cum enim clamat, aut *fletum* imitatur, aut *gemitum*. Quam recte haec ita praeceperit Isidorus, docent aliorum scriptorum veterum loci, quibus ulula *ululare* dicitur[654]) et *occipere carmine querulo*[655])

Upupa legitur ποπίζειν[656]), et ἐποποῖ, ποποῖ, ποποῖ, ποποῖ clamare[657]).

πυγῇ λαλοῦσιν αἱ τρυγόνες. Cf. not. 644. Sed apud *Caesarium* l. l. cap. 78. p. 218. est γλυκύφωνος ἡ τρυγών.

650) hist. nat. 10, 3.

651) *Eustath.* ad Odyss. λ, p. 1685, 22. edit. Rom. ἀκούει σκωλήκων ψόφον τινὸς, εἴτε τρισμοῦ, ὕπερθεν τοῦ τέγους, οἱ δὲ ἐδήλουν, οἷς ἔτριζον, καθάπερ ἂν μάντις αἴσθοιτο δεινὸς ἐπαΐειν τοιούτων φωνῶν, ὡς ἄρα βεβρώκοιεν ἤδη τὴν δοκόν.

652) *Theocrit.* epigr. 5, 29. σφὰξ βομβῶν. Cf. not. 317.

653) loco paulo ante laudato.

654) Carmen de Philomela v. 41. „*ululant* ululae, *lugubri voce canentes*."

655) apud *Apuleium* Florid. p. 349.

656) *Pollux* 5, 89. ἔποπας ποπίζειν. In cod. Ms. ibi est πιπίζειν, quod vix verum putari potest. Magis blanditur *Jungermanni* coniectura, ἐποπίζειν, quam tamen iam *Joach. Camerarius* l. l. p. 200. occupauerat. Sed magna in talibus intelligitur esse et licentia et varietas. Sic Grammaticus *Iriartii* p. 307. a. habet: ἔποπος ποππύζειν.

657) apud *Aristoph.* auu. 227. sq. Neque vero spernenda sunt, quae *Nic. Erythraeus* in indice Virgiliano in v. Philomela scripsit: „Tereus in upupam abiit, quae Graecis est ἔποψ, militaremque cristam „adhuc in capite gerit, rostro oblongiore ensem referens, quo habi„tu uxorem (Prognen) et Philomelam (sororem Prognes) insequeba„tur: et quasi adhuc filium (Ityn) quaeritans, clamat ποῦ ποῦ, quod „est *ubi ubi*. a qua voce vulgo *Buba* auiculae nomen indicatum: sic„ut ad Upupam antiquum alludentes, *Upega* vocant, et a crista, qua „insignis spectatur, tertio nomine *Gallo de Paradiso* dicitur."

Vultur Graece dicitur *κλάζειν* et *τρίζειν*[658]), *κρώζειν*[659]) et *κλάγγειν*[660]), Latine *pulpare*[661]) et *gemere*[662]).

Enumeratis et breuiter illustratis iis verbis, quibus quadrupedum et reptilium, auiumque et insectorum voces insignitae a Graecis et Latinis reperiuntur, superest ut de aquatilium et amphibiorum vocibus exponam. Eheu vero! dixerit quis, nonne pudet vocem piscibus tribuere? Recte. Nescius nec ego sum, pisces adeo esse mutos, ut etiam prouerbio Graeci dixerint *τῶν ἰχθύων ἀφωνότερον* esse, quem egregie taciturnum vellent significare[663]). Neque ignoro, *Lucianum*[664]) *τὰ καθ' ὕδατος διαιτώμενα*, ne ullo quidem excepto, vocare *ἄφωνα*. Scio item, quam eius rei causam attulerit, atque unde sonos qui e piscibus audiuntur deriuandos putauerit *Aristoteles*[665]). Scio denique, *Plutar-*

658) *Dio Cassius* 47, 40. *πολλοὶ μὲν γῦπες, πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλοι ὄρνιθες νεκροφάγοι — δεινόν τι καὶ φρικῶδες κλάζοντές τε καὶ τρίζοντες.* Scilicet *κλάζειν* est proprium aquilarum. v. not. 324.

659) Hoc dubitanter addidi ex loco *Nicandri* theriac. p. 28. edit. Colon. 1530. 4. *αἰγυπιοὶ γῦπές τε κόραξ τ' ὀμβρήρεα κρώζων.* neque si quis hoc verbum ad solum coruum pertinere iudicauerit, ullo modo refragabor.

660) *Aelian.* de natura animm. 5, 50. *αἱ περιστεραὶ πρὸς ἀετῶν κλαγγὴν καὶ γυπῶν θαῤῥοῦσι.*

661) Carmen de Philomela v. 27. „vultur *pulpare* probatur.“ *Papias* l. l. „vultures *pulpare*.“ *Ugutio* l. l. „vulturum *pulpare*.“ Pessime corrupta sunt verba Anonymi apud *Iriart.* l. l. p. 313. a. „vultures *pionpan*.“ Sed ex illo trium scriptorum consensu facile rescribitur *pulpant*.

662) *Seneca* Hercul. Fur. 686. „hic vultur, illic luctifer bubo *gemit*.“

663) *Lucianus* in Gallo c. 1. T. II. p. 704. *πολὺ ἀφωνότερος ἔσομαι τῶν ἰχθύων.* Et aduers. indoctum c. 16. T. III. p. 113. *μᾶλλον τῶν ἰχθύων ἀφωνότερος εἶ.* Quos locos et alios iam *Erasmus* attulit Chill. 1, 5, 29.

664) in Halcyone c. 1. T. I. p. 177.

665) hist. animm. 4, 9. *οἱ ἰχθύες, ἄφωνοι μέν εἰσιν· οὔτε γὰρ πνεύμονα, οὔτε ἀρτηρίαν καὶ φάρυγγα ἔχουσι· ψόφους δέ τινας ἀφιᾶσι καὶ τρισμοὺς, οὓς λέγουσι φωνεῖν. — ἀλλὰ ταῦτα φωνεῖν μὲν οὐκ ὀρθῶς ἔχει φάναι, ψοφεῖν δέ. καὶ γὰρ οἱ κτένες, ὅταν φαίνωνται*

cho[666]) Pythagoricos videri eam ob causam a piscibus abstinuisse, quod hos veluti amicos et suae disciplinae addictos putarent. quae opinio vix nisi eo referri potest, quod pisces voce careant. Quin nec eos veterum locos congeram, qui refellendae isti Plutarchi opinioni videantur idonei esse, e quo genere est ille *Timaei Locri* locus[667]), ubi animos hominum *ἀργῶν καὶ ἀπράκτων, ἀμαθῶν τε καὶ ἀνοήτων, μετενδύεσθαι* ait *ἐς τὰν τῶν ἐνύδρων ἰδέαν*, ita ut Pythagoreos vel hanc ob causam piscibus vesci dubitasse existimes. Neque iis locis uti meam in rem animus est, qui ipsi Aristoteli possint opponi, qualis est hic *Plinii*[668]): „Pisces, quamuis pulmone et arteria careant, non in totum sine ullo „sono sunt. Stridorem eum dentibus fieri cauillantur." Et *Aeliani*[669]): *φύσεως ἰχθύων εἰσὶν ἀμαθεῖς, ὅσοιπεοῦν τελέως ἁπάντων καταψηφίζονται σιωπὴν αὐτῶν· ἐπεὶ καὶ συρίττουσί τινες, καὶ γρυλλίζουσι.* Et *Clearchi*[670]): *ἐπεί τινες τῶν ἰχθύων, οὐκ ἔχοντες βρόγχον, φθέγγονται. τοιοῦτοι δ' εἰσὶν οἱ περὶ Κλείτορα τῆς Ἀρκαδίας ἐν τῷ*

ἀπερειδόμενοι τῷ ὑγρῷ, ὃ καλοῦσι πέτεσθαι, ῥοιζοῦσι· καὶ αἱ χελιδόνες αἱ θαλάττιαι. Idem de anima 2, 8. *πολλὰ τῶν ζώων οὐκ ἔχουσι φωνήν. οἷοι τά τε ἄναιμα, καὶ τῶν ἐναίμων οἱ ἰχθύες. καὶ τοῦτ' εὐλόγως, εἴπερ ἀέρος κίνησίς ἐστιν ὁ ψόφος. ἀλλ' οἱ λεγόμενοι φωνεῖν, οἷον ἐν τῷ Ἀχελώῳ ἰχθύες, ψοφοῦσι τοῖς βραγχίοις, ἤ τινι ἑτέρῳ τοιούτῳ.* Quare *Andreas Ornithoparchus* cap. 2. de vocibus p. 7. (apud *Quitschreiberum* plag. A. fol. 3. b.) „Neque pisces, inquit, vocem emittunt, quia vox est aëris motus, ii autem aerem, ut caetera ani„malia respirantia, non recipiunt nec emittunt. sed brachiis (Immo *branchiis*) attritis tantum strident."

666) Sympos. 8, 8, 3.

667) de anima mundi p. 566. ed. *Gale* in Opusculis mythologicis, physicis et ethicis, siue p. 104. E. T. III. opp. *Platonis* ed. *Steph*.. Sic ipse *Plato* in Timaeo T. III. opp. p. 92. B. *τὸ τέταρτον γένος ἔνυδρον γέγονεν, ἐκ τῶν μάλιστα ἀνοητοτάτων καὶ ἀμαθεστάτων.* Unde *Plutarchus* de solertia animalium c. 22. *ἰχθῦς δὲ*, inquit, *τοὺς ἀμαθεῖς καὶ ἀνοήτους λοιδοροῦντες ἢ σκώπτοντες ὀνομάζομεν.*

668) Hist. nat. 11, 51.

669) de natura animm. 10, 11. Idem 6, 19. dicit: *τῶν δὲ ἐνύδρων ὀλολυγὼν οὐ σιωπᾷ.*

670) apud *Athenaeum* 8, p. 332. F. ubi *Schweighäuserus* Vol. IV.

Λάδωνι καλουμένῳ ποταμῷ. φθέγγονται γὰρ, καὶ πολὺν ἦχον ἀποτελοῦσι. Et *Seneca* quidem, in Apocolocyntosi, cap. 5. dicit marinis belluis vocem esse solere raucam et implicatam. [670*]). Sed quod de insectis faciendum putaui, idem in piscibus facere constitui, hoc est, simpliciter referam, quae scriptores antiqui de eorum vocibus vel ipsi statuisse leguntur, vel ab aliis accepta tradidisse. De ranarum voce nemo dubitat. Eos igitur pisces, qui vocales esse dicuntur, allatis veterum scriptorum verbis percensere statim aggredior.

Aper, in Acheloo flumine degens, emittere dicitur *γρυλλισμὸν* [671]), Latine *grunnitum* [672]). Conf. *Porcus fluuiatilis*.

Chalcis legitur *τρίζειν* [673]) et *συρίττειν* [674]).

Chromis γρυλλίζει [675]).

Coruus dicitur *grunnire pectore* [676]).

Cuculus κοκκύζει [677]).

animaduersionum p. 492. quaedam attulit ad concilianda Clearchi verba cum sententia Aristotelis.

670*) Die septimo Februarii a. 1812. iuxta promontorium S. Quintini in litus eiecta fuit immanis bellua balaena, quae quum batillo percussa esset, *clamorem* adeo terribilem edidit, ut non pauci, qui forte essent in eius vicinia, sui impotes in terram prolaberentur.

871) *Aristot.* hist. animm. 4, 9. *λύρα καὶ χρόμις — ἀφιᾶσιν ὥσπερ γρυλλισμόν· καὶ ὁ κάπρος ὁ ἐν τῷ Ἀχελώῳ.* Hunc locum in mente habens *Aelianus* de natura animm. 10, 11. ita scripsit: *λύρα γρυλλίζει, καὶ χρόμις, καὶ κάπρος, ὡς Ἀριστοτέλης φησί.*

672) *Plin.* Hist. nat. 11, 51. „Caper (Immo *aper*) in Acheloo amne *grunnitum* habet."

673) *Aristot.* l. l. post verba not. 671. a me allata statim addit: *ἔτι δὲ χαλκὶς* (pro quo *χαλκεὺς* malunt viri docti. v. *Schneider.* ad *Aelian.* l. l. Et differt *χαλκεὺς* a *χαλκίδι*, ut docet *Athenaeus* 7, p. 328. D.), *καὶ ὁ κόκκυξ· ὁ μὲν γὰρ ψοφεῖ οἷον τριγμόν· ὁ δὲ, παραπλήσιον τῷ κόκκυγι ψόφον, ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔχει.*

674) *Aelian.* l. l. *χαλκεὺς συρίττει.*

675) v. not. 671.

676) *Isidorus* origg. 12, 6. „Corui a cordis voce dicti, quia *grunniunt pectore*, suaque voce proditi capiuntur."

677) *Aelian.* l. l. *κόκκυξ τὸν ὁμώνυμον ὄρνιν τῇ φωνῇ μεμιμημένος, φθέγγεται παραπλήσια.* *Aristotelis* verba habes not. 673. et de cuculo aue tradidi supra.

Delphin τρισμὸν emittit ac *μύζει*[678]) vel *στένει*[679]). Et *humano* quidem *similis gemitus* ei tribuitur[680]). Quod autem *Isidorus* dicit[681]): „Delphines certum habent vocabulum, quod voces hominum sequantur,“ explicandum videtur ex his *Aeliani*[682]): ὄνομα τῷ δελφῖνι, ὡς τῷ παιδὶ, (una cum illo educato) οἱ θρεψάμενοι ἔθεντο· καὶ ὁ παῖς, τῇ συντροφίᾳ θαῤῥῶν, τοῦτον αὐτὸν ἐπί τινος προβλῆτος στὰς τόπου ἐκάλει, καὶ ἅμα τῇ κλήσει καὶ ἐκολάκευεν.

Exocoetus circa Clitorim *vocalis* traditur[683]).

Hippopotamus habet φωνὴν ἵππῳ παρεμφερῆ[684]).

Hirundo marina ῥοιζεῖ[685]).

Hydra dicitur *stridere*[686]).

Lyra γρυλλίζει[687]).

Orthragoriscus dicitur itidem *grunnire*[688]). Conf. *Aper*.

678) *Aristot.* hist. animm. 4, 9. ἀφίησι καὶ ὁ δελφὶς τριγμὸν, καὶ μύζει, (cf. not. 679.) ὅταν ἐξέλθῃ ἐν τῷ ἀέρι· οὐχ ὁμοίως δὲ τοῖς εἰρημένοις. (v. not. 665.) ἔτι γὰρ τοῦτο φωνὴν ἔχει, καὶ πνεύμονα, καὶ ἀρτηρίαν· ἀλλὰ τὴν γλῶτταν οὐκ ἀπολελυμένην, οὐδὲ χείλη, ὥστε ἄρθρον τι τῆς φωνῆς ποιεῖν.

679) *Aristot.* hist. animm. 8, 2. ὁ δελφὶς ἔξω (extra aquam) ζῇ πολὺν χρόνον μύζων καὶ στένων, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα τῶν ἀναπνεόντων ζώων. In sinu Britanniae minoris, qui Paimpol vulgo vocatur, mense Ianuario a. 1812. delphinus nondum adultus quum litori impactus esset, *clamorem* et gemitum edidit, qui *grunnitum* porcelli referret. Eo audito multi alii delphini, et vetuli et pulli, adnatarunt, pulli quidem et femellae *gementes*, mares *mugientes*: qui tamen soni non ex ore, sed ex arteria aspera exiisse putantur.

680) *Plin.* H. N. 9, 8. „delphinis est pro voce *gemitus humano similis.*“

681) origg. 12, 6.

682) de natura animm. 2, 6.

683) Sunt verba *Plinii* H. N. 9, 19.

684) *Diod. Sic.* 1, 35.

685) v. not. 665. ex *Aristotelis* loco priore, qui strepitum illum solis alis fieri, nec recte vocem appellari ostendit.

686) *Virgil.* Aen. 6, 288. „bellua Lernae, horrendum *stridens.*“

687) v. not. 671.

688) *Plin.* H. N. 32, 2. „Apion maximum piscium esse tradit por-

Pecten ῥοιζεῖ, *stridet*[689]).

Phoca dicitur *boare*[690]), hoc est, bouis more *mugire*[691]), etiam τρίζειν[692]). Conf. *Vitulus marinus.*

Poecilias narrat *Philostephanus* vocem edere turdorum voci similem[693]), sed *Pausanias* dubitat an recte[694]).

Porcus fluuiatilis simpliciter dicitur φθέγγεσθαι[695]), sed quem sonum edat, non memoratum reperitur[696]). Conf. *Aper* et *Orthragoriscus.*

Ranas peculiarem quandam linguam habere, qua proprium ipsis sonum emittant, docet *Aristoteles*[697]). Et

cum, quém Lacedaemonii *orthragoriscum* vocant: *grunnire* eum, cum capiatur."

689) v. quae not. 665. e priore *Aristotelis* loco attuli. Unde petita videntur, quae *Plinius* H. N. 11, 51. scripsit: „pectines *stridere*, cum volant."

690) *Festus:* „Bocas, genus piscis, a *boando*, id est, vocem emittendo, appellatur." Immo aspirata abiit in mediam, quomodo ex φάλαινα est *balaena*, inquit *Gerard. Ioh. Vossius* de theologia gentili 4, 32. T. II. p. 66. edit. Amst. 1668. fol.

691) v. *Voss.* l. l. et 4, 21. p. 43. *Aristoteles* hist. animm. 6, 12. φώκη ἀφίησι ὁμοίαν φωνὴν βοΐ.

692) *Aelian.* de natura animm. 15, 2. (φώκη) τέτριγε, καὶ γίνεται τῷ κριῷ δεῖπνον.

693) *Athenaeus* 8, p. 331. D. Φιλοστέφανος, ὁ Κυρηναῖος μὲν γένος, Καλλιμάχου δὲ γνώριμος, ἐν τῷ Περὶ τῶν παραδόξων ποταμῶν, ἐν Ἀροανίῳ, φησὶ, τῷ ποταμῷ διὰ Φενεοῦ ῥέοντι, ἰχθῦς εἶναι φθεγγομένους ὁμοίως κίχλαις· καλεῖσθαι δ' αὐτοὺς ποικιλίας.

694) *Pausan.* 8, 21. εἰσὶ δὲ ἰχθῦς ἐν τῷ Ἀροανίῳ καὶ ἄλλοι, καὶ οἱ ποικιλίαι καλούμενοι· τούτους λέγουσι τοὺς ποικιλίας φθέγγεσθαι κίχλῃ τῇ ὄρνιθι ἐοικός. ἐγὼ δὲ ἀγρευθέντας μὲν εἶδον, φθεγγομένων δὲ ἤκουσα οὐδὲν, καταμείνας πρὸς τῷ ποταμῷ καὶ ἐς ἡλίου δυσμὰς, ὅτε δὴ φθέγγεσθαι μάλιστα ἐλέγοντο οἱ ἰχθῦς.

695) *Athenaeus* 8, p. 331. D. Μνασέας ὁ Πατρεὺς, ἐν τῷ Περίπλῳ, τοὺς ἐν τῷ Κλείτορι ποταμῷ, φησὶν, ἰχθῦς φθέγγεσθαι, καίτοι μόνους εἰρηκότος Ἀριστοτέλους φθέγγεσθαι σκάρον καὶ τὸν ποτάμιον χοῖρον. In iis *Aristotelis* libris, qui hodie supersunt, nihil tale legi, iam alii notarunt.

696) *Schweighäuserus* in animaduerss. in *Athenaei* l. l. Vol. IV. p. 486. sonum effici ait aqua cum impetu ex ore propulsa.

697) *Aristotelis* hist. animm. 4, 9. verba sunt haec: ὁ βάτραχος ἰδίαν ἔχει τὴν γλῶτταν· τὸ μὲν γὰρ ἔμπροσθεν, προσπέφυκεν ἰχθυω-

Isidoro auctore[698]) ranae a *garrulitate* vocatae sunt[699]), eo quod circa genitales *strepunt* paludes, et sonos vocis importunis clamoribus reddunt. In Seripho quidem insula, et in Cyrene, ranae nullum omnino sonum edere perhibentur[700]). Sed in uniuersum ranarum garrulitas, quam Isidorus tangit, satis decantata est. Nunc

δῶς, ὃ τοῖς ἄλλοις ἀπολέλυται· τὰ δὲ πρὸς τὸν φάρυγγα, ἀπολέλυται, καὶ ἐπέπτυκται, ᾧ τὴν ἰδίαν ἀφίησι φωνὴν αἰεί. Sic *Plinius* H. N. 11, 51. „ranis sonus sui generis."

698) origg. 12, 6.

699) Ad Latinam linguam haec non spectare, quilibet videt. Fortassis *Isidori* menti obuersatum est Graecum nomen *βάτραχος*. Nam *Etymolog. M.* p. 191. extr. (p. 174, 57.) *βάτραχος*, inquit, *παρὰ τὸ βοὴν τραχεῖαν ἔχειν, βοάτραχός τις ὤν. ἔστι δὲ πεποιημένη ἡ λέξις.* Et *Ioh. Dan. a Lennep* in Obseruationibus ad stirpes linguae Graecae T. I. p. 188. idem nomen dictum putat a *τραχὸς* vel *τραχὺς*, (cf. not. 700.) praemissa syllaba *βὰ*, quae in dialecto Cretensi, ut *βοὺ* in aliis, significationem intenderit, ita ut rana nomen habeat a sono, quem edat, aspero et rauco.

700) *Aelian.* de nat. animm. 3, 37. *ἐν Σερίφῳ βάτραχοι, τὸ παράπαν οὐκ ἂν αὐτῶν ἀκούσαις φθεγγομένων· εἰ δὲ αὐτοὺς κομίσαις ἀλλαχόθι, διάτορόν τι καὶ τραχύτατον ἠχοῦσιν. ἐν Πιέρῳ δὲ τῆς Θετταλίας λίμνη ἐστὶν — ἐὰν ἐμβάλῃ τις βατράχους εἰς αὐτὴν, σιωπῶσιν, ἀλλαχοῦ φθεγγόμενοι. Antigonus Carystius* histor. mirabil. c. 4. *οὐδ' ἐν Σερίφῳ δὲ οἱ βάτραχοι φθέγγονται. Stephanus Byzantinus: Σέριφος, μία τῶν Σποράδων. ἐξ οὗ καὶ τὸ, βάτραχος Σερίφιος.* Scilicet hoc in prouerbium abiit, memoratum etiam a *Suida* ex *Zenobii* prouerbiis, (Cf. *Apostolii* prouerbb. 5, 42.) his verbis: *βάτραχος ἐκ Σερίφου· ἐπὶ τῶν ἀφώνων. παρόσον οἱ ἐν Σερίφῳ βάτραχοι κομισθέντες εἰς Σκύρον, οὐκ ἐφθέγγοντο.* Sic *Plinius* H. N. 8, 58. „mutae sunt (ranae) etiam nunc in Seripho insula. Eaedem alio translatae *canunt;* quod accidere et in lacu Thessaliae Sicendo tradunt." *Aristoteles* de mirabilib. auscultationib. c. 71. *φασὶ δὲ καὶ ἐν Σερίφῳ τοὺς βατράχους οὐκ ᾄδειν· ἐὰν δὲ εἰς ἄλλον τόπον μετενεχθῶσιν, ᾄδουσιν.* Idem ibid. c. 69. *ἐν Κυρήνῃ φασὶ τοὺς ὄντας βατράχους ἀφώνους τὸ παράπαν εἶναι.* ad quem utrumque locum legendae sunt notae *Ioh. Beckmanni. Aristoteles* hist. animm. 8, 28. *ἐν Κυρήνῃ οἱ φωνοῦντες βάτραχοι οὐκ ἦσαν πρότερον. Aelian.* de nat. animm. 3, 35. *ἄφωνοι δέ εἰσι τὸ παράπαν ἐν Κυρήνῃ μόνοι βάτραχοι. Plinius* H. N. 8, 58. „Cyrenis mutae fuere ranae, illatis è continente vocalibus durat ge„nus earum." 11, 51. „(ranae) mutae in Macedonia traduntur."

enim vocantur *loquaces*[701]) et *vocales ultra solitum*[702]), nunc *obstrepere* dicuntur[703]), etiam *canere*[704]). Graecos tamen proprium verbum, quo vox earum significaretur, non habuisse arbitror, quanquam notissimum est illud vocis imitamentum, *βρεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ*[705]). Nam utuntur fere verbis generis, ut *φθέγγεσθαι*[706]), *ἠχεῖν*[707]), *βοᾶν*[708]), *κράζειν*[709]), *φωνεῖν* et *ᾄδειν*[710]), quin etiam *ῥητορεύειν*[711]). Et *Aristoteles*[712]) mari ranam femellam appetenti tribuit *ὀλολυγόνα*, cui nomini formula Latina, *canere querelam*[713]), fere respondet. Neque verbum *βρυχάζειν*[714]) ad vocem referendum videtur, licet eo-

701) apud *Virgil.* Ge. 3, 431.

702) apud *Plinium* H. N. 18, 35.

703) ap d *Sueton.* in Augusto cap. 94.

704) v. not. 700.

705) *Aesop.* fab. 246. (307.) *βάτραχος βρυχάζων τῷ ὕδατι καὶ τὸ βρεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ, ἀνακράζων.* In *Aristophanis* Ranis saepe legitur *βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ,* ut vers. 211. sq. 222. 225. 227. etiam *κοὰξ, κοὰξ,* ut v. 216. 224. et simpliciter *κοὰξ,* ut. v. 228. 229. 268.

706) *Aristoph.* Rann. 243. ubi ranarum chorus loquitur: *μᾶλλον μὲν οὖν φθεγξόμεσθα.* Aliorum scriptorum locos habes not. 700.

707) *Aelian.* de nat. animm. 3, 37. vid. not. 700.

708) *Aelian.* l. l. *τοὺς δὲ βατράχους βοᾶν.* *Aratus* v. 947. *ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.* *Aesop.* fab. 37. *βατράχου μέγα βοῶντος.* *Theophylactus* epist. p. 941. Vol. VIII. operum *Meursii*: *τῆς μετὰ βατράχων βοῆς, οἵ γε — βοῶσι δύσηχον μέν τι καὶ ἀναρμόδιον.*

709) *Aristoph.* Rann. 259. *ἀλλὰ μὴν κεκραξόμεσθα.* *Africanus* in Geoponn. 13, 18. *βάτραχοι κράζοντες.*

710) Utriusque verbi exempla ex *Aristotele* attuli not. 700.

711) *Cic.* ad Att. 15, 16. „equidem etiam pluuias metuo, si prognostica nostra vera sunt. ranae enim *ῥητορεύουσιν.*" ubi tamen apparet faceto ioco ita dixisse Ciceronem.

712) hist. animm. 4, 9. *τὴν ὀλολυγόνα, τὴν γινομένην ἐν τῷ ὕδατι, οἱ βάτραχοι οἱ ἄῤῥενες ποιοῦσιν, ὅταν ἀνακαλῶνται τὰς θηλείας πρὸς τὴν ὀχείαν. εἰσὶ γὰρ ἑκάστοις τῶν ζώων ἴδιαι φωναὶ πρὸς τὴν ὁμιλίαν καὶ τὸν πλησιασμόν. — ποιεῖ δὲ τὸν ὀλολυγόνα, ὅταν ἰσοχειλῆ τὴν κάτω σιαγόνα ποιήσας ἐπὶ τῷ ὕδατι, περιτείνει τὴν ἄνω.*

713) *Virgil.* Ge. 1, 378. „veterem ranae *cecinere querelam.*" quibus verbis inesse notionem clamoris continui semperque eiusdem, recte obseruauit *Heynius.*

714) quod legitur in loco *Aesopi*, quem not. 705. exscripsi.

rum opinio, qui verbo βρυχᾶσθαι cognatum putant[715]), per se non inepta aut incommoda sit putanda[716]). Latini vero verbum de ranae voce proprium habent, *coaxare*[717]), vel *quaxare*[718]).

Σελάχη Aristoteles vocat pisces planos et cartilaginosos. Horum nonnullos ait *τρίζειν* videri[719]).

Testudo, cui Graece σιγμὸς tribuitur[720]), Latine *sibilare* dicitur[721]).

Vitulis marinis in somno *mugitus*; unde nomen vituli. Accipiunt tamen disciplinam, voceque pariter et visu populum salutant, *incondito fremitu*[722]). Conf. *Phoca*.

Quae hucusque de vocibus animalium collecta dedi,

715) ut *Chr. Aug. Krigel* in indice suae fabularum Aesopicarum editionis.

716) Per se, inquam. Sed cum in fabula laudata addita sint verba τῷ ὕδατι, non dubito sententiae *Caroli Ern. Chph. Schneideri* in indice Graecitatis, qui fabularum Aesopicarum editioni, a Viro Cl. *de Furia* curatae, et Lipsiae nuper repetitae adiectus extat, accedere, qui *βρυχάζειν*, quod *Henr. Stephanus* thesauro linguae Graecae inserere omisit, non differre a verbo *βρέχειν* arbitratur, ita ut *βρυχάζων* significet *se et murem immergens*. In noua thesauri Stephaniani editione p. 2848. paucis monitum est de verbo *βρυχάζειν*: „*βρυχάζω*, i. q. *βρυχάομαι*.“ quae explicatio ferri vix potest.

717) Carmen de Philomela v. 64. „*Garrula* limosis rana *coaxat* aquis.“ *Ael. Spartianus* l. l. „ranae *coaxant*.“ *Sueton.* in Augusto c. 94. „ranae *coaxare*.“ *Seruius* ad *Virgil.* Ge. 1, 378. „Ceres — rusticos Lycios, cum contra eam mitterent turpem naribus sonum, irata eos conuertit in ranas, quae nunc quoque ad illius soni imitationem *coaxant*.“

718) *Festus* in v. Rodus: „*quaxare* ranae dicuntur, cum vocem mittunt.“ Putarem *quoaxare* legendum, nisi literarum ordo prohiberet. Sane *Quitschreiberus* habet: „*quoaxat* et *garrit*.

719) hist. animm. 4, 9.

720) *Aristoteles* l. l. *τῶν ἐχόντων γλῶτταν, καὶ πνεύμονα, ὅσα μὲν ᾠοτόκα ἐστὶ καὶ τετράποδα, ἀφίησι φωνὴν, ἀσθενῆ μέντοι. καὶ τὰ μὲν συριγμὸν, ὥσπερ οἱ ὄφεις· — τὰ δὲ, σιγμὸν μικρὸν, ὥσπερ αἱ χελῶναι.*

721) *Plinius* H. N. 11, 51. „Oua parientibus *sibilus*, ut — testudini.“

722) Sunt verba *Plinii* H. N. 9, 13.

sufficere posse videbantur ad proprietatem in hoc genere discendam. Neque enim enumerare hoc loco iuuat, quae ego quidem, quippe non nisi in seriorum scriptorum libris lecta, minus aut Latina aut Graeca esse arbitror. Immo, nisi arrogans ac temerarius haberi velim, necessario mihi talia omittenda puto, partim quia ipsorum scriptorum auctoritates et verba ubique adscripsi, ita ut quilibet, qui quidem non omnino sit harum rerum rudis, iudicare ipse de probitate cuiusque vocabuli possit, partim quia non raro valde lubricum et incertum esse hoc iudicium intelligo, cum multa verba, quae apud seriores modo vilioresque scriptores hodie reperiuntur, petita esse possint ex antiquioribus ac probatioribus, quorum libri ad nostra tempora non peruenerint. Sed cum verba non pauca, quae proprie de animalis alicuius bruti voce usurpari constet, etiam ad hominum voces et ad aliarum rerum sonos transferri reperiantur: de illis nonnulla subiicere, promissi memor, constitui. Et agmen quidem ducere iussi Graeca, praemissis tamen verbis *Eustathii*[723]), qui de variis hominum generibus, quorum cuique sit vox propria, haud vulgaria attulit haec: *εἰσὶ καί τινες μιμητικαὶ φωναὶ αὐταὶ κατὰ αὐτοὺς τοὺς φωνοῦντας. ὡς τὸ ἀ ρ ῦ, ἐπίφθεγμά φασι κωπηλατῶν. καὶ τὸ ὦ ὂψ, φθέγμα τῶν ἀφιέντων τινὰς ἅμα τρέχειν. καὶ τὸ ὦ ὂπ, ναυτικόν. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα, ἐν οἷς καὶ τὸ μ ᾶ παρὰ Θεοκρίτῳ*[724]), *καὶ τ ὸ ψ ὸ, ποιμενικόν. — καὶ τ ὸ χ ύ ῤ ῥ ε, συβωτικὸν, ὡς ἐν τοῖς εἰς τὴν Ὀδύσσειαν δεδήλωται. καὶ τ ὸ φ ί τ τ α δηλωτικόν φασι τάχους. οἷον, φ ί τ τ α Μαλιάδες, φ ί τ τ α Ῥοιαί. νυμφῶν δὲ, φασὶ, ταῦτα ἐπωνυμίαι. ἔτι δὲ καὶ τ ὸ σ ί τ τ ε. οἷον, σίττ᾽ ἀμνίδες*[725]).

723) ad Iliad. λ, p. 797, 1. edit. Basil. p. 855, 24. edit. Rom. De voce *ἀρῦ* conf. not. 729.

724) *Theocrit.* idyll. 15, 89. *μᾶ, πόθεν ὤνθρωπος;* ubi *Reiskius* ait esse voculam increpantis, obiurgantis, vel etiam simulantis mirationem. Quod in *Eustathii* loco sequitur, *ψὸ*, e *Sophoclis Ποιμέσιν* affert *Etymol. M.* p. 405, (367,) 32. et *ἐπίφθεγμα* esse dicit.

725) *Theocrit.* idyll. 4, 46. *σίτθ᾽ ἁ Κυμαίθα, ποτὶ τὸν λόφον. οὐκ ἐσακούεις;* 5, 3. *οὐκ ἀπὸ τᾶς κράνας σίττ᾽ ἀμνίδες.* ad quem locum

Item[726]): τὸ χύριον, πάνυ δυσχερὲς πῶς ἂν διὰ τοῦ υ ψιλοῦ γράφοιτο, εἰ μὴ ἄρα ἴσως κατὰ ὀνοματοποιΐαν τινά. ὅτι γὰρ ἄλλως μέτεστί τι τῶν χοίρων καὶ τῷ χυρίῳ, δηλοῖ ὁ εἰπὼν ὅτι χύριον, δεσμὸς ᾧ δεσμεῖται τὰ χοιρίδια· καὶ ὅτι χύριον, ξύλον ᾧ προσδεσμεύονται οἱ ὗς. ὑπονοεῖται δὲ κατὰ ὀνοματοποιΐαν ἡ τοιαύτη εἶναι γραφὴ, ἐξ οὗ γράφει Αἴλιος Διονύσιος, εἰπών· χύῤῥε. ἐπίφθεγμα πρὸς τοὺς ὗς[727]). Et alio loco[728]): ἐκ τῆς μηλέας, καὶ Μηλίδες, αἱ κατὰ Δωριεῖς Μαλίδες νύμφαι, αἳ καὶ τετρασυλλάβως Μαλιάδες, κατὰ τὸ, φίττα Μαλιάδες, φίττα Ῥοιαὶ, φίττα Μελίαι. ἐν οἷς, νυμφῶν μέν εἰσιν ὀνόματα τὰ θηλυκά· τὸ δὲ φίττα, ἐπίῤῥημα τάχους δηλωτικὸν, καθὰ καὶ παρὰ Θεοκρίτῳ τὸ σίττα[729]). Hoc quidem scribitur etiam ψίττα[730]). Aliud eiusmodi est ῥάττει, quod *Photius* in Lexico dicit esse ἐπιφώνημα χαιρόντων, καὶ ὑπορχουμένων. Nimirum videtur esse imperatiuus verbi ῥαττέω, vel, si ῥάττε legas, verbi ῥάττω, ita ut significet *rue*, *ocyus propera*, et respondeat nostro *rasch*. Saltem *Scheidius* in animaduersionibus ad *Lennepii* Etymologicum linguae Graecae (in verbis ῥάσσω et ῥάω) habet, quae huc possint trahi. Verum haec obiter. Afferenda enim sunt verba nonnulla, qualia modo dixi me allaturum esse. Cuius generis sunt:

Scholiastes haec notauit: σίττ', σίττα, ψίττα ποιμενικὰ, αἰπολικὰ καὶ βουκολικὰ ἐπιφθέγματα. εἰσὶ δὲ ἐπιῤῥήματα. ἔλεγον δὲ ταῦτα διώκοντες, ἀποστήσεσθε ὤφειλεν εἰπεῖν, ἢ φεύξεσθε, ἤ τι τοιοῦτον. ὁ δὲ ταῦτα ἀφεὶς, τῇ συνήθει φωνῇ τοῖς ἀμνοῖς τῷ σίττα χρῆται· ἔστι δὲ τοῦτο παρακέλευσις. Ubique in isto scholio scribitur σίττα, et rectius fortasse. Certe in ipsius *Theocriti* idyll. 8, 69. legitur σίττα νέμεσθε.

726) *Eustath.* ad Odyss. ξ, p. 1752, 29. edit. Rom.

727) *Hesychius:* χύῤῥα· οὕτως εἰώθασι ταῖς ὑσὶν ἐπιφθέγγεσθαι.

728) *Eustath.* ad Odyss. ω, p. 1963, 39. edit. Rom. Conf. omnino *Pollux* 9, 122. et 127. et quae ibi interpretes annotarunt.

729) *Hesychius:* σίττα· ἐπιφώνημα αἰξίν. Item: ἄῤῥυ· ἐπίφθεγμα κωπηλατικόν. ὡς τὸ ἐπισίζειν, κυνηγούντων· καὶ τὸ σίττα, ποιμένων.

730) *Hesych.:* ψιττάζων· ψιττὰ ἐπιφθεγγόμενος· ὅπερ ἐστὶ ποιμενικὸν ἐπίφθεγμα. Cf. not. 725.

βαῦζειν siue βαύζειν, de homine: *Ulpianus*[731]): ἀλλὰ μὴ βάϋζε, ὦ ἑταῖρε, μηδὲ ἀγριαίνου τὴν κυνικὴν προβαλλόμενος λύσσαν. Sic apud *Aristophanem*[732]) est: παῦσαι βαΰζων. Et alio loco[733]): βάϋζε τοὐμὸν σῶμα βάλλουσα ψόγῳ.

βὴ de voce hominis stolidi. *Cratinus*[734]): ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βὴ βὴ λέγων βαδίζει.

βομβεῖν de lapide, de tonitru[735]), aliisque rebus[736]).

βρόμος de Aetna[737]).

βρυχᾶσθαι de homine[738]).

γρύζειν de homine[739]).

731) apud *Athenae.* 3, p. 99. E.

732) Thesmophorr. 180. ubi Scholiastes: ἀπὸ τοῦ βαΰζειν· σημαίνει δὲ ὑλακτεῖν. τουτὶ δὲ ῥῆμα μετήνεκται ἀπὸ τοῦ ψόφου τῶν κυνῶν ὑλακτούντων.

733) ibid. v. 902.

734) apud *Eustath.* ad *Homer.* Odyss. μ, p. 1721, 27. ed. Rom. Cf. not. 207.

735) *Eustath.* ad Iliad. ν, p. 921, 1. ed. Basil. τὸ βομβεῖν, ὀνοματοπεποιημένον ὄν, καὶ ἐπὶ λίθου ἀφειμένου ἐν Ὀδυσσείᾳ (θ, 190.) κεῖται. βομβεῖν δέ τις ῥήτωρ φησὶ καὶ βροντήν.

736) *Homer.* Odyss. σ, 396. πρόχοος δὲ χαμαὶ βόμβησε πεσοῦσα. μ, 204. βόμβησεν δ' ἄρα πάντα κατὰ ῥόον. Iliad. ν, 530. αὐλῶπις τρυφάλεια χαμαὶ βόμβησε πεσοῦσα. π, 118. αἰχμὴ χαλκείη χαμάδις βόμβησε πεσοῦσα. *Theophylact.* epist. 6. p. 801. T. VIII. operum *Meursii*: ἀνδρί, ὃν σμῆνος περιβομβεῖ βασιλικῶν πραγμάτων. Epist. 51, p. 900. πραγμάτων ὄχλον — κἂν περιβομβῇ ἀηδέστερον. Alia epist. ibid. p. 987. βιαιοτέρας βοῆς τῆς τοῦ βορέου τὰ ὦτα καταβομβούσης. *Lucianus* in Nerone c. 6. Vol. III. p. 640. de Nerone fusca et rauca exiguaque voce cantica decantante: μέλη δ' οὕτω κατεσκευασμένα βομβεῖ πως. ubi vid. *Gesner.* Cf. not. 749.

737) *Appian.* bell. ciuil. 5, 117. p. 863. ed. *Schweighäuser.* βρόμοι τῆς Αἴτνης σκληροί. Scilicet πυρὸς est βρόμος, testantibus Grammaticis apud *Moschopulum* l. l. apud *Iriart.* p. 307. a. et apud *Tittmannum* l. l. et Codice 132. apud *Creuzer.* l. l. Minus bene Grammaticus *Aldi* l. l. ἐπὶ πυρὸς βρῶμος.

738) *Nicander* Alexipharmm. p. 78. is qui toxicum bibit, βρυχανάαται ὠρυδόν. Cf. not. 181. *Appian.* bell. ciu. 2, 79. p. 284. βοὴ οὐδεμία ἐκ τοσῆσδε φάλαγγος — οὐδ' οἰμωγαὶ τῶν ἀναιρουμένων ἢ πλησσομένων· ἀλλὰ βρυχήματα μόνα καὶ στόνοι πιπτόντων.

739) in loco *Alcaei*, cuius verba habes not. 226.

κηκάζειν de homine[740]).

κνυζήματα de voce infantum[741]).

κοκκύζειν de homine[742]).

λαρυγγίζειν de homine[743]).

μηκάζειν de homine, vim veneni sentiente[744]).

μινυρίζειν de senibus[745]), et aliis hominibus[746]).

μυκᾶσθαι de fluuio[747]), de terrae motu[748]), de tympanis[749]), de tonitru[750]).

740) v. not. 350.

741) *Gregorius* de dialectis p. 245. ed. *Koen.* p. 517. ed. *Schaefer.* *κνυζήματα δὲ, τὰ γοερὰ ἀποφθέγματα.* *Herodot.* 2, 2. *θέλων ἀκοῦσαι τῶν παιδίων ἀπαλλαχθέντων τῶν ἀσήμων κνυζημάτων.* *Eustath.* ad *Homer.* Il. *ι*, p. 631, 37. ed. Basil. *Διὸς ἐν Κρήτῃ τεκνουμένου, θηλὴν αὐτῷ ὑπέσχεν ὗς, καὶ τῷ σφετέρῳ γρυσμῷ περιηχοῦσα τὸν κνυζηθμὸν τοῦ βρέφεος ἀνεπάϊστον, ἤγουν ἄγνωστον, τοῖς παριοῦσιν ἐτίθει.* Petita haec esse ex *Agathocle* Babylonio, docemur ab *Athenaeo* 9, p. 375. sq. Pergit *Eustathius* lin. 38. *ἐν τούτοις δὲ ὅρα, ὅτι — κνυζηθμὸς, οὐ μόνον ἐπὶ κυνὸς, ὡς ἐν Ὀδυσσείᾳ* (v. not. 78.), *ἀλλ' ἰδοὺ καὶ βρέφους κλαίοντος.*

742) v. not. 449.

743) *Athenaeus* 9, p. 383. E. *μὴ καί τις αὐτῶν* (np. *μαγείρων*) — *λαρυγγίσῃ τάδε.*

744) *Nicander* Alexipharmm. p. 78. *αὐτὰρ ὁ μηκάζει.* ad quem locum Scholiastes haec habet: *ἀντὶ τοῦ μηκᾶται ὡς πρόβατον, οἱονεὶ, οὕτω βοᾷ καὶ κράζει.*

745) *Aristoph.* Vespp. 219. *οἱ συνδικασταὶ λύχνους ἔχοντες, καὶ μινυρίζοντες μέλη.* ubi *Bisetus*: *μινυὸν, τὸ μικρόν. μινυρίζειν, τὸ ὑφειμένως κλαίειν. νῦν δὲ μινυρίζοντες ἀντὶ τοῦ ᾄδοντες λαμβάνεται καταχρηστικώτερον. ἀλλὰ ταύτῃ τῇ λέξει ἴσως τὴν τῶν γερόντων ἀσθενεστέραν καὶ οἱονεὶ στρηνητικὴν φωνὴν σημαίνει.* Ecclesiazus 875. anus dicit: *ἕστηκα, μινυρομένη τι πρὸς ἐμαυτὴν μέλος.* ubi Scholiastes: *ἀντὶ τοῦ, ἠρέμα ᾄδουσα.*

746) *Plutarch.* de auditione c. 6. *οὐ δεῖ οἴεσθαι δεῖν ἐκ σχολῆς ἀπιέναι φιλοσόφου μινυρίζοντα καὶ γεγανωμένον.*

747) *Oppian.* cyneget. 2, 146. *μύκημα* edere dicitur Orontes. 4, 166. Ganges *μυκᾶται βρύχημα πελώριον.* *Schol. Sophocl.* Trachin. 12. *οἱ ποταμοὶ — μυκηθμῷ εἰσι παραπλήσιοι περὶ τὰς ἐκβολάς.*

748) *Dio Cassius* 41, 14. *σεισμοὶ συνεχεῖς μετὰ μυκηθμῶν ἐγένοντο.* 68, 24. *μύκημα μέγα ἐβρυχήσατο* in terrae motu. Similiter 76, 2. *Aristot.* de mundo c. 4. *μύκημα γῆς.* *Appian.* bell. ciu. 5, 117. p. 863. Aetnae *μυκήματα μακρά.* Cf. not. 749. Omnino vide *Phurnutus* siue *Cornutus* de Nat. Deor. cap. 22. p. 193. 194. in *Galei* Opusculis mythologicis, phys. et ethicis, Amst. 1688. 8.

ῥάζειν et ῥοίζειν, vel potius ἀῤῥάζειν et ῥοιζεῖν, de hominibus irritatis[751]).

συρίζειν de funibus nauticis.

τονθορίζειν siue τονθορύζειν de homine[752]), et de fluuiis[753]).

τρίζειν de niue[754]), de iugo et plaustro[755]), de

749) *Appian.* hist. Parth. p. 51. Vol. III. *πολλὰ τῶν τυμπάνων περιεμυκᾶτο τοὺς Ῥωμαίους. Caesarius* l. l. Quaest. 41. p. 78. *τὰς κιννυριλὰς χορδὰς καὶ τὰς τυμπανικὰς δέῤῥεις (ἐροῦμεν) τιννύσας* (*tinnientes*) *καὶ βομβούσας καὶ μυκωμένας, τῇ ἐπαφῇ καὶ τῷ πλήκτρῳ τοῦ κατέχοντος. οὕτως μοι νόει καὶ τὴν γῆν, ἐνεργείᾳ τινὸς ἑτέρου μυκωμένην καὶ σειομένην.*

750) *Aristoph.* nubb. 291. *ᾔσθου — βροντῆς μυκησαμένης.* Cf. not. 751.

751) v. not. 82. Apud *Caesarium* l. l. dicuntur *ὑδρίαι* vel *πίθοι ῥοίζειν καὶ μυκᾶσθαι τῇ τοῦ ἀερίου πνεύματος διαφοιτήσει.* De sequenti *συρίζειν* sufficiant verba Grammaticorum apud *Iriart.* p. 307. a. et apud *Tittmann.* l. l. *κάλων συριγμὸς, ἢ* (*Tittm. καὶ*) *φριγμαγχὸς* (Rectius *Tittm. φριμαγχμὸς*, sed lege *φριμαγμὸς* vel certe *φριμαχμὸς* cum *Moschopulo* l. l.) *καὶ φριγμός.* Grammaticus *Aldi* l. l. attulit tantum prima duo vocabula: *κάλων συριγμός.* Ita etiam Codex 132. apud *Creuzerum* l. l.

752) *Aristoph.* Acharnn. 783. senum chorus dicit: *τονθορίζοντες δὲ γήρᾳ — προσέσταμεν.* Rann. 759. sq. *τονθορύζων, ἡνίκ' ἂν πληγὰς λαβὼν πολλὰς, ἀπῇς θύραζε;* Vespp. 612. *καταρασάμενος καὶ τονθορύσας. Dio Cassius* Vol. IV. p. 520, 33. *οἱ Καισάρειοι φοβερόν τι διετονθόρυσαν.*

753) *Pherecrates* apud *Pollucem* 6, 58. et apud *Athenae.* 6, p. 268. F. *ποταμοὶ τονθορυγοῦντες.*

754) *Eustath.* ad Iliad. ψ, p. 1399, 46. ed. Basil. *ἰστέον δὲ, ὅτι λέγεται καὶ χιὼν τετριγέναι, ὅτε πλατεῖ ποδὶ καταπατεῖται.* p. 1449. 23. *τὸ τετρίγει* (Iliad. ψ, 714.) *ὠνοματοπεποίηται. ὡς δὲ καὶ χιὼν τετριγέναι λέγεται πατουμένη, δῆλόν ἐστι.* Et ad Odyss. ω, p. 1951, 35. ed. Rom. *τρίζειν καὶ ἐπὶ χιόνος. ὅθεν καὶ χιὼν τετριγυῖα.*

755) *Eustath.* ad Iliad. ψ, p. 1449, 24. *εἰ καὶ ζυγός ποτε τρίζει, ἀλλ' Ὁμήρῳ ἔδοξε τὸ τρίγεν ἐν τοῖς ἑξῆς ἐπ' εἰπεῖν αὐτοῦ.* Grammaticus *Aldi* l. l. et *Moschopuli* l. l. et *Tittmanni* l. l. *ἐπὶ ἁμαξῶν τετριγέναι.* (*Tittm.* et Cod. 45. apud *Creuzerum* l. l. *τετρυγέναι.*) Anonymus *Iriartii* p. 307. a. *ἐπὶ ἁμαξῶν τρίζειν.* Et p. 371. a. *τρίζει ἐπὶ ἁμαξῶν.*

animis mortuorum in Orcum auolantibus[756]), de dorsis luctantium[757]), de cornu mali nauium[758]).

ὑλακτεῖν de homine[759]), de corde palpitante[760]).

φριμάττεσθαι de funibus nauticis.

φρυάττεσθαι de homine[761]).

χρεμετίζειν de homine[762]).

ψιθυρίζειν de homine[763]).

ὠρύεσθαι de hominibus et tympanis.[764]).

756) *Homer.* Odyss. ω, 5. ταὶ δὲ (ψυχαὶ) τρίζουσαι ἕποντο. *Eustathius* ad h. l. p. 1951, 25. φωνήν τινα ταῖς προπεμπομέναις εἰς Ἄϊδην ψυχαῖς τῶν μνηστήρων πλάττων ὁ ποιητὴς, τρίζειν αὐτάς φησι κατά τινα ὀνοματοποιΐαν τῷ μύθῳ ἀρέσκουσαν, ὡς εἶναι αὐταῖς τοῦτο οἷά τινα κλαυθμυρισμόν.

757) *Homer.* Iliad. ψ, 714. τετρίγει δ' ἄρα νῶτα, θρασειάων ἀπὸ χειρῶν ἑλκόμενα στερεῶς.

758) *Synesius* epist. 4. p. 166. C. ed. *Petau.* τὸ κέρας ἐτετρίγει.

759) Q. Fufius Calenus apud *Dion. Cass.* 46, 26. ad Ciceronem dicit: πολλὰ καὶ μάτην ὑλάκτεις. Vespasianus apud eundem 66, 13. Demetrium Cynicum vocat κύνα ὑλακτοῦντα. *Eurip.* Alcest. 763. Hercules mero calens vocatur ἄμουσ' ὑλακτῶν propter inconditos sermones. *Sophocl.* Electr. 293. τοιαῦθ' ὑλακτεῖ. Scholiastes explicat: ἐμμανῶς καὶ ἀναιδῶς βοᾷ, ὡς κύων. *Theophylact.* epist. 41. p. 877. T. VIII. opp. *Meursii:* καθυλακτοῦντι μὲν πρότερον, ὑπερυλακτοῦντι δὲ ὕστερον. Epist. 44. p. 892. ἃ πρὸς τὰς ὑλακὰς ἐκείνων ἐσχεδιάσαμεν.

760) *Homer.* Odyss. υ, 13. κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει.

761) *Clemens Alex.* stromm. 3, p. 431. D. καθάπερ ἰδίῳ δόγματι φρυάττονται. *Agathias* in *Brunckii* analectt. Vol. III. p. 41. epigr. XX. μίμνει καὶ τὸ φρύαγμα τὸ παιδικὸν in Melite licet adulta. *Plutarch.* de educat. liberor. c. 2. μεγαλαυχίας ἐμπίπλανται καὶ φρυάγματος οἱ γονέων διασήμων. *Athenae.* 13, p. 591. F. Δημέαν φρυαττόμενόν ποτε ἐπὶ τοῦ βήματος. *Diodor. Sicul.* 4, 74. Νιόβη ἐπὶ τῷ πλήθει τῶν τέκνων μέγα φρυαττομένη. ubi v. *Wesseling.* Sed φριμάττεσθαι de rudentibus dici, docui not. 751.

762) Ierem. 5, 8. ἕκαστος ἐπὶ τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον αὐτοῦ ἐχρεμέτιζον. quem locum suo more tractat *Iustinus Martyr* epist. ad Zenam et Serenum p. 514. Cf. *Clem. Alexandr.* stromm. 4, p. 479. B. Sic *Caesarius* l. 1. cap. 50. p. 108. χρεμετίζων καὶ θέων ἧκεν ἐπιχαίρων τῇ ἑταίρᾳ.

763) *Plato* in Gorgia T. I. opp. p. 485. D. βιῶναι μετὰ μειρακίων ἐν γωνίᾳ τριῶν ἢ τεττάρων ψιθυρίζοντα· ἐλεύθερον δὲ καὶ μέγα καὶ ἱκανὸν μηδέποτε φθέγξασθαι.

764) *Herodot.* 4, 75. οἱ Σκύθαι ἀγάμενοι τῇ πυρίῃ, ὠρύονται.

E Latinis huius generis verbis delegi haec:

barritus de clamore militari, ante pugnam fieri solito [765]).

bouare et *boare* de hominibus insigniter ac veluti bouis more clamantibus [766]).

dibalare de hominibus deblaterantibus [767]).

friguttire, *fringultire*, *fringutire*, *fritinnire* de hominibus subtiliter adgarrientibus [768]).

Caesarius l. l. cap. 48. p. 100. *τῇ λύκων ὠρυγῇ σφᾶς προκαλούμενοι.* *Appian.* hist. Parth. p. 42. Vol. III. *Πάρθοι — ῥόπτρα βυρσοπαγῆ καὶ κοῖλα περιτείνοντες — ἅμα πολλαχόθεν ἐπιδουποῦσι. τὰ δὲ φθέγγεται βύθιόν τι καὶ δεινὸν, ὠρυγῇ θηριώδει καὶ τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον.*

765) Locus hanc in rem classicus est *Vegetii* de re militari 3, 18. „Clamor, quem *barritum* vocant, prius non debet attolli, quam acies utraque se iunxerit.“ Et *Ammiani Marcellini* 16, 12. „*barritum* ciuere vel maximum: qui clamor ipso feruore certaminum a tenui susurro exoriens, paulatimque adulescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.“ 26, 7. extr. „terrifico fremitu, quem barbari dicunt *barritum*.“ Cf. 31, 7. et *Tacit.* de German. c. 3.

766) Certe *Varro* de lingua Lat. 6, 5. postquam monuit, multa ab animalium vocibus translata esse in homines, *Ennium* dicit a boue translatione facta scripsisse „clamore *bouantes*.“ Scilicet Latinum *bouare* eodem modo e Graeco *βοᾶν*, quod et ipsum proprie bouis est, expressum arbitror, quo *ouum* ex *ᾠόν*. Alii scribunt *boare*, ut *Plautus* Amphitr. 1, 1, 77. „*boat* coelum fremitu virûm.“ *Apuleïus* Florid. 3, p. 357. ed. *Elmenhorst.* „Tragoedi — idemtidem *boando* purgant rauim.“

767) *Varro* l. l. affert hanc in rem verba *Caecilii*: „tantam rem *dibalare*, ut pro nihilo habuerit.“ Cf. *Laurenberg.* antiquar. p. 134. Sed *Scaliger* Coniectan. Varron. p. 166. putat, hanc formulam respondere Graecae *καταφάγειν τὴν οὐσίαν*, ut *Anthippus* apud *Athenae.* 9, p. 404. C. dixit *οὐσίαν κατεσθίειν.* At sic *dipalare* scribendum esset.

768) *Fulgentius* de prisco sermone, ad calcem *Nonii Marcelli* p. 587. „*Friguttire* dicitur subtiliter adgarrire. *Plautus* Casina 2, 3, 49. quid *friguttis*, quid istuc tam cupide cupis? *Ennius* Alcestide: haec anus admodum *friguttit*; nimirum se sauciauit flore Liberi.“ *Plauti* locum attulit etiam *Varro* l. l. et a fringuilla translatum dicit. Sed *Nonius* p. 38. explicat *subsilire cum sono*, *vel erigi et excitari*: *quod, quaecunque friguntur vel frigent*, *nimio calore vel frigore cum sono sursum subsiliunt.* Paulo ante apud eundem Varronem leguntur haec: „a frendice, Frunde *frutimi* suauiter.“ *Scaliger* l. l. p. 167. ita

gannire de hominibus[769]).
grunnire siue *grundire* de hominibus[770]).
latrare de hominibus[771]), et de aqua[772]).
mugire de hominibus[773]), et de terrae motu[774]).
pipulum de conuicio[775]).
quiritare de homine[776]).

emendat: „ab irundine, Nefrende (i. e. puelle vel senex) *fritinni* suauiter." *Apuleius* Apolog. p. 336. „priuignum meum, fratrem Pontiani, vix singulas syllabas *fringultientem.*" Et p. 296. „etiam honesta dictu sordide blateret, ac saepe in rebus nequaquam difficilibus *fringultiat*, vel omnino obmutescat." Cf. *Laurenberg* l. l. p. 186.

769) *Varro* l. l. laudauit locum *Plauti* ex incerta comoedia: „*gannit* odiosus omni totae familiae." ubi *Scaliger* legi iubet *oggannuit.* Ab *Apuleio* metamorph. 10, p. 249. dulces *gannitus* tribuuntur mulieri libidinosae, ut 2, p. 121. nocturnus *gannitus* amantibus, et 4, p. 142. latronibus secreti *gannitus.* Noti sunt loci *Terentii* Adelph. 4, 2, 18. et Phorm. 5, 8, 41. Alios habet *Laurenbergius* l. l. p. 192. sq. item *Nonius* p. 476.

770) *Nonius* p. 491. „Etiam hominum esse *grunnitum*, *Caecilius* ex *Diomede* (p. 58. b.) in Imbris designat: cruento ita ore *grundibat* miser."

771) *Ennius* apud *Varronem* l. l. „animus cum (*Scaliger* l. l. p. 165. legit: animusque in) pectore *latrat.*" *Cicero* in Bruto c. 15. „*latrant* iam quidam oratores, non loquuntur." Multos alios eiusmodi locos lexica suppeditant.

772) *Accius* in Phoenissis apud *Nonium* p. 530. „curuo litore *latratu* unda sub undis labunda sonit."

773) *Ennius*: „tibicina maximo labore *mugit.*" *Varro* l. l. metaphoram dicit a vitulo petitam esse. Apud *Apuleium* metamorph. 10, p. 249. Pasiphae dicitur delectata fuisse adultero *mugiente.* Sic ibid. 6, p. 185. Iupiter *mugiuit* in bouem.

774) *Plin.* H. N. 2, 80. „praecedit comitaturque terribilis sonus, murmur similius *mugitibus.* *Virgil.* Aen. 4, 490. „*mugire* videbis sub pedibus terram." *Cic.* de diu. 1, 18. „fremitus et *mugitus* terrae." *Seneca* quaestt. natur. 6, 13. „antequam terra moueatur, solet *mugitus* audiri, ventis in abdito tumultuantibus." *Virgil.* Aen. 3, 674. „*immugiit* Aetna cauernis. Plures locos inuenias in lexicis bonis.

775) *Varro* l. l. „In Aulularia (*Plauti*, nempe 3, 2, 32.): *Pipulo* te differam ante aedeis, id est, conuicio. Declinatum a pipatu pullorum."

776) *Nonius* p. 50. „*Quiritare* est clamare, tractum ab iis, qui Quirites inuocant. *Lucilius* Satyr. lib. VI.

P 2

rudere de homine ac tuba [777]).

Haec speciminis loco posuisse sufficiat.

Hic, inquam, *rudet* e rostris, atque eiulitabit,
Concursans velut angarius, clareque *quiritans*."

Equidem e *Varronis* l. l. qui priorem versum et ipse habet, pro *eiulitabit* legerim *hinnilitabit*, ut metaphora ducta sit ab equis. Quare nec notationem verbi *quiritare* a Nonio allatam probauerim hoc quidem in loco. Nam videtur Lucilius plura verba coniunxisse, quae proprie de brutorum voce dicuntur. Neque me mouet, quod prima syllaba verbi *quiritare*, quod not. 250. de verre proprie usurpari ostendi, in Lucilii versu corripitur.

777) *Apuleius* Florid. p. 357. „vox hominis et tuba *rudore* toruior." Cf. not. 776.

III.

DE
ADVERBIIS GRAECORUM
IN I ET EI EXEUNTIBUS.

„Eloquentia non mediocri est opus, ut de unaquaque „earum, quas demonstrauimus, rerum (ut musica, astro„nomia, philosophia), dicat proprie et copiose. Quo „minus sunt ferendi, qui hanc (grammaticam) artem, „ut tenuem ac ieiunam, cauillantur: quae nisi oratori fu„turo fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxe„ris, corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis „secretorum comes, et quae vel sola omni studiorum „genere plus habet operis, quam ostentationis. Ne quis „igitur tanquam parua fastidiat grammatices clementa, „— quia interiora velut sacri huius adeuntibus appare„bit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere inge„nia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditio„nem ac scientiam possit." His verbis *Quintiliani*[1]), tanquam vallo quodam, praemunire me operamque meam visum est, quia exponere constitui de argumento ex disciplina grammatica petito, quod nimis diu neglectum quidem vulgo fuit ac nimis parui aestimatum, sed quod tamen ad accuratiorem linguae Graecae scientiam plurimum conferre, nemo, nisi qui in his literis hospes est, facile negabit. Etsi enim hoc ipsum de Graecorum aduerbiis in ι et ει desinentibus argumentum iam olim a me tractatum fuit[2]), non tamen dubitaui idem nunc distinctius et accuratius pertractare, quia etiam viri egre-

1) Institut. orator. I. 4. 5. sq. edit. *Gesner.*

2) in Prolusione tertia de nonnullis *Dionis Cassii* locis, Grimae 1814. 4. edita, p. 4—7. quae mea subitaria disputatio nuper (1822.) ab *Edmundo Henr. Barkero* ad verbum inserta est *Diario Classico*, quod Londini editur, No. LI. p. 158—160.

gie docti de eodem adhuc diuerse sentire[3]), et partim quid statuant incerti esse reperiuntur[4]). Quae quum ita sint, quumque nec veteres Grammatici[5]) satis inter se consentiant, mirum esse non potest hoc *Hermanni*[6]) iudicium: „Nondum tamen res ad liquidum perducta est.“ Neque vero hoc fieri unquam poterit, si sequi pergemus exemplum *Henr. Verheykii*[7]), qui in uniuersum, „Nullus scriptor, inquit, sui semper ita similis, ut non aliquoties extra idiomatis sui cancellos egrediatur, nec scribendi rationem mutet,“ aut *Philippi Buttmanni*[8]), qui euphoniae, et apud poetas fortassis etiam metri legibus, nimium ac fere omnia tribuere videtur. Certe docto poetae nequaquam, opinor, opus est, ut metri causa linguae leges violet. Et ῐ in terminatione talium aduerbiorum anceps esse, praeter alios docet vetus Grammaticus[9]) his verbis: ἀπονητὶ, ἀπνευστὶ, ἀνιδρωτὶ,

3) Vid. quos laudant *Barkerus* l. l. pag. 160—162. et *Hermannus* ad *Sophocl.* Aiac. v. 1206.

4) In his praeter interpretes *Pollucis* VI. 162. IX. 10. et 143. et *Albertium* ad Hesych. T. I. p. 345. not. 8. cuius verba infra not. 24. attuli, inprimis ponendus est *Schneiderus* in Lexico Graeco. Conf. *Porson.* ad *Eurip.* Hecub. v. 1062. qui postquam culpam diuersae scripturae librariis tribuit, haec addit: „Sunt etiam loca, in quibus fere dubites utrum praeferas.“

5) ut Grammaticus, cuius libellum de prosodia primus edidit *Hermannus* P. I. libri de emendanda ratione Graecae Grammaticae, Lips. 1801. 8. p. 422—470. *Herodianus* in Ἐπιμερισμοῖς s. Partitionibus primum editis ab *Ioh. Frid. Boissonade*, Lond. 1819. 8. p. 254—258. *Manuel Moschopulus* περὶ Σχεδῶν, ἤτοι Γραμματική, Vindob. 1773. 8. p. 237. *Theodosius* Alexandrinus in Grammatica primum edita a *Car. Guil. Goettlingio*, Lips. 1822. 8. p. 74—78. *Choeroboscus* in *Goettlingii* ad *Theodosium* animaduersionibus p. 231. *Phauorinus* in Eclogis, quas *Guil. Dindorfius* ex Hortis Adonidis repetiit Volumine I. Grammaticorum Graecorum, Lips. 1823. 8. p. 103, 22. sqq.

6) ad *Sophocl.* Aiac. v. 1206.

7) Excursu in dialectos Antoninianas, subiuncto *Antonini Liberalis* Transformationum congeriei, a *Verheykio* Lugd. Bat. 1774. 8. editae, p. 296.

8) *Griechische Grammatik* p. 427. sq. edit. 6. Berol. 1811. 8.

9) ab *Imman. Bekkero* primum editus in Anecdotorum Graecorum Vol. I. Berol. 1814. 8. p. 432, 17. Eadem *Suidas* in v. ἀπονητὶ tradit,

καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, ἐκτείνεται καὶ συστέλλεται. In Codicibus autem MSS. parum ad iudicandum ac decernendum subsidii esse, quilibet ipse facile perspicit, neque adeo recte ad eos prouocare *Buttmannum* arbitror. Et profecto, nisi certae quaedam leges et sunt in hoc genere, et reperiri possunt, nunquam deerit dissensionis materia, aliis hanc aliis illam terminationem temere praeferentibus, neque adeo unquam certa doceri tirones poterunt.

Tales igitur leges ut constituantur, inprimis mihi agendum esse video. Nam quae ante hos nouem annos in Prolusione not. 2. allegata sancire conatus sum, ea ipsi mihi non omnino nunc placere ingenue profiteor[10]). Exemplorum enim multitudo in talibus fere sola ad verum nos ducit. Nostrum nimirum est similia colligere, collectaque inter se comparare et ad suum quaelibet genus referre, ut tandem, quas leges de utriusque generis aduerbiis Graeci verisimiliter secuti sint, eruatur ac pateat. Videtur etiam *Car. Iac. Blomfield*[11]) sic iudicasse, cuius subsidiis, quanquam iam anno huius saeculi decimo Cantabrigiae emissis, sero uti mihi contigit. Et *Petri Elmsleii*[12]) aeque ac *Barkeri*[13]) hac de re sententia et doctrina etiam serius mihi innotuere. Nunc quum paulo plenius et uberius de re proposita disserere constituerim, ut saltem quantum possem ad causam aliquandoo dirimendam conferrem, illud praemonendum vide-

addens *ἀκμητὶ* et *ἀμεταστρεπτί*. Conf. *Apollonius περὶ Συνδέσμων*, in iisdem *Bekkeri* Anecdotis, Vol. II. p. 498, 29.

10) Tanto honorificentius est iudicium *Hermanni* ad *Eurip.* Bacch. v. 194. me meliorem *Blomfieldio* viam ingressum esse.

11) in Glossario ad *Aeschyli* Prometh. v. 216. quam *Blomfieldii* disputationem quanquam ex parte impugnat *G. Dunbar* in Diario classico No. XXV. (Lond. 1816. 8.) p. 75—79. tamen, quod ad haec de quibus agimus aduerbia attinet, probat. Et recte. Conf. quae idem *Dunbar* ibid. No. L. p. 219. dixit, et quae *Car. Reisigius* ad *Sophoclis* Oedip. Colon. v. 1638. pag. CC—CCII.

12) in notis ad *Sophoclis* Aiacem; in *Musei Critici* Volumine I. Cantabrig. 1814. 8. edito, p. 485.

13) Epistola critica, quae *Arcadii* de accentibus editioni (Lips. 1820. 8.) subiecta est, p. 281—284.

tur, me non quidem neglexisse veterum Grammaticorum auctoritatem, sed non nisi caute et cum ratione praeceptis eorum uti potuise. Nemo certe me ideo reprehendet, quod *Herodianum* ac *Theodosium*, qui plenissime de talibus aduerbiis egerunt, non sequendos putauerim. Hi enim, ut *Phauorinus* in Eclogis, de quibus not. 5. dixi, omnia referunt ad literas, quae terminationes ὶ et εὶ proxime praecedunt, atque pro ratione iſtarum literarum scribi alterutro modo iubent: quod quam lubricum sit, a quolibet sponte intelligitur. Multo facilius et simplicius, atque adeo, nisi fallor, verius est, ipsum linguae genium consulere, et analogiam sequi. Quum igitur aduerbia ex hoc, de quo agimus, genere terminentur vel in εὶ, vel in ὶ, vel modo in εὶ modo in ὶ, ordo postulare videtur, ut, postquam nonnulla de simili aliorum aduerbiorum origine praemisero, illa ipsa pertractem, quae vel in εὶ, vel in ὶ desinunt, vel saluis linguae legibus terminari utroque modo possunt.

Iam quum similem aliorum aduerbiorum originem dico, intellectam volo deriuationem eorum a nominibus, de qua praecipue audiendus est *Auctor Etymologici Magni*[14]), de aduerbiis ἁμαρτῇ et ὁμαρτῇ hoc inter alia praecipiens: δεῖ γινώσκειν, ὅτι σὺν τῷ ῑ γράφεται. τὰ γὰρ εἰς η λήγοντα ἐπιῤῥήματα, ἔχουσι τὸ ῑ προσγεγραμμένον. — εἰσὶ δέ τινα εἰς ῆ λήγοντα ἐπιῤῥήματα, μὴ ἔχοντα τὸ ι. — λέγει δὲ ὁ τεχνικὸς[15]) τὸ ἡσυχῇ, καὶ ἄλλῃ, καὶ τὰ τοιαῦτα, διὰ τοῦτο σὺν τῷ ῑ γράφεσθαι, ἐπειδὴ ἀπὸ δοτικῆς γέγονεν. ὅτι γὰρ ἀπὸ δοτικῆς γέγονε, δηλοῖ τὸ ταύτῃ. — εἰ δὲ τοῦτο ἀπὸ δοτικῆς γέγονε, δῆλον ὅτι καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἔχοντα τὸ ῑ, ἀπὸ δοτικῆς γεγόνασιν. οὕτως ὁ Χοιροβοσκὸς εἰς τὸ ποσότητος. Recte haec a me allata esse, facile apparet. Negare enim nemo audebit, aduerbia in

14) pag. 71. lin. 26. 29. 43. edit. Lips.

15) ὁ τεχνικὸς, id est, Grammaticus, κατ' ἐξοχὴν hoc loco dicitur *Apollonius* Alexandrinus, cognomine *Dyscolus*, e cuius libro περὶ Ἐπιῤῥημάτων (p. 561. Vol. II. Anecdotorum *Bekkeri*) Etymologus sua hausit.

ᾰ vel ῆ exeuntia re vera esse ablatiuos, siue, ut vulgo vocantur, datiuos, nominum ac pronominum, ut *αὐτοποδίᾳ, βίᾳ, δημοσίᾳ, ἰδίᾳ, κρύφα, λάθρα, πανοικήσιᾳ, πανοικίᾳ, πανστρατιᾷ, παῤῥησίᾳ, ἄλλῃ, εἰκῇ, ἐκείνῃ, ᾗ, ἡσυχῇ, κοινῇ, κομιδῇ, κρυφῇ, νηποινῇ, ὅπῃ, πάντῃ, πεζῇ, πῇ, σπουδῇ, σχολῇ, ταύτῃ, τῇδε*, in quibus patet usum tulisse, ut aliis iota subscriberetur originis index, in aliis omitteretur[16]). Neque futurum puto, ut quis offendatur, ubi nonnullorum nominatiuum Graecis in usu esse desiisse viderit. Nam hoc quoque indicare voluit *Etymologici M. auctor*. Postquam enim scripserat: *τὰ γὰρ εἰς ῃ λήγοντα ἐπιῤῥήματα ἔχουσι τὸ ῐ προσγεγραμμένον*, exempla apposuit non modo *ἄλλῃ* et *σπουδῇ*, sed etiam *πάντῃ, κρύφῃ, εἰκῇ, ὅπῃ, πῇ*, quorum nominatiui non usitati sunt.

Eadem igitur origo est multorum ex eo de quo disputamus genere aduerbiorum. Nam quae in εὶ terminantur, proprie sunt datiui nominum, inprimis adiectiuorum, quorum nominatiui in ῆς desinunt: quae quidem res nemini dubia erit, qui exempla cognoscere et considerare operae pretium putabit, qualia sunt *ἀβλαβεὶ, ἀμιγεὶ*[17]), *ἀβουλεὶ, ἀθαμβεὶ, ἀκαρεὶ, ἀμαθεὶ, ἀμελεὶ, ἀτρεμεὶ, αὐτοθελεὶ, ἀφανεὶ, ἠρεμεὶ, παμπληθεὶ*, quorum omnium nominatiui in ῆς exeuntes supersunt, qui quum oxytoni sint, datiuus et aduerbium non nisi hactenus differunt, ut aduerbiorum syllaba ultima non circumflectatur. In paroxytonis, ut *ἀσκαρδαμύκτης, ἀφέτης, δακτυλοδείκτης*, res multo incertior esse intelligitur. Nisi enim ea, ad normam nominum *τριήρης* et *παμμεγέθης* et similium, etiam έϊ et εῖ in datiuo habuisse dicamus, quod nemo facile erit qui dicendum existimet, origo ad-

16) Scilicet iota omitti in iis aduerbiis potuisse dicitur, quae e nominatiuis facta sint. Vid. *Apollon.* l. l. quae tamen ratio probari vix potest. Vide not. 210.

17) *Herodianus* p. 254. et *Theodosius* p. 74, 7. 77, 32. male, opinor, praecipiunt, *ἀβλαβὶ* et *ἀμιγὶ* esse scribendum. De priore tamen vid. inferius dicta.

uerbiorum ἀφετεὶ et δακτυλοδεικτεὶ [18]) e paroxytonis illis deduci vix potest. Mihi quidem non dubitandum videtur, quin haec aduerbia nata sint e formis ἄφετος et δακτυλόδεικτος, atque adeo ἀφετὶ et δακτυλοδεικτὶ scribenda, quemadmodum forma ἀσκαρδαμυκτὶ, quum *Hesychius* nomen ἀσκαρδαμύκτοις seruauerit, longe praeferenda est formae ἀσκαρδαμυκτεὶ, et diserte ab antiquis Grammaticis [19]) memorata. Vera enim talium aduerbiorum scriptura, id quod iam supra innui, non e Codicum MSS. auctoritate, quae quam sublestae fidei sit, nemo ignorat, sed ex ipsa linguae natura et ex analogia debet erui. Huius vestigiis, donec plures vocabulorum formae in scriptorum veterum libris repertae et annotatae fuerint, unice insistere debebit, quicunque in hoc genere praestare aliquid volet. Sic, ut hoc utar, etiamsi adiectiuum ἠρέμης vel ἠρεμὴς nusquam legeretur, tamen aduerbium ex eius datiuo ductum non ἠρεμὶ, sed ἠρεμεὶ scribendum esse certo sciremus, quoniam comparatiuus ἠρεμέστερος, qui notus est, a nullo positiuo, nisi qui in ης desineret, deriuari potuit. Pro ἀσπουδεὶ vero et ἀσπουδεὶ [20]), dum forma adiectiuorum ἀσπουδὴς et ἀσπουδὴς reperta erit, ἀσπουδὶ et ἀσπουδὶ praeferam, quia ἄσπουδος et ἄσπουδος extant. Et quanquam passim leguntur θρασυμάχης, μονομάχης, ναυμάχης, tamen, quum ἄμαχος notum sit, aduerbium potius ἀμαχὶ scribendum, quam ἀμαχεὶ [21]), arbitror. Similiter licet βουθοίνης in usu fuisse sciam, πανθοινὶ analogiae conuenientius, at-

18) quorum illud *Herodianus* p. 256. habet, hoc p. 257. Conf. not. 121.

19) v. c. a *Polluce* Onomast. II. 67. Plures infra nominabo not. 140.

20) quod utrumque attulit *Herodianus* p. 254. et afferre videtur voluisse *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 42. ubi nisi quis ipsos datiuos veteres putet intelligendos, ex ipsius mente legendum est ἀσπουδεὶ, ἀσπουδεὶ, pro σπουδεὶ, σπουδεί. Sed *Theodosius* p. 74, 9. 11. habet ἀσπουδεὶ et ἀσπουδῆ. haud dubie corrupte. v. ad finem huius libelli.

21) ἀμαχεὶ et ναυμαχεὶ male scribitur a *Theodosio* p. 76, 3. et 4.

que adeo rectius, quam πανθοινεὶ, scribi putem [22]). Sed aduerbii πανσυδεὶ siue πασσυδεὶ syllabam ultimam si quis per diphthongum scribendam iudicet, non repugnabo, quanquam adiectiui πανσυδὴς seu πασσυδὴς nullum suppetit exemplum. Aeque recte iudicare videmur, αὐτοβοεὶ esse scribendum, et αὐτοβοΐ omnino reiiciendum. qua de re infra dici poterit commodius. Fortasse quis, me tamen non adstipulatorem habiturus, huc retulerit aduerbium ἀθεεί. Sicut enim a substantiuis δέος, θάμβος, λέχος fluxerunt adiectiua ἀδεὴς, ἀθαμβὴς, γηλεχὴς, ἄθαμβος item et ἄλοχος, utque a substantiuis αὐλὸς, θρῆνος, στίβος non tantum δύσαυλος et ἔναυλος, φιλόθρηνος, ἄστιβος, sed etiam κεραύλης, τυμβαύλης, χοραύλης, φιλοθρηνὴς, ἀστιβὴς deducta sunt: ita a substantiuo θεὸς, praeter formam ἄθεος, quae sola nunc nota est, olim etiam formam ἀθεὴς, e cuius datiuo ἀθεέϊ ἀθεεῖ aduerbium ἀθεεὶ ortum sit, ductam et usitatam fuisse non improbabile cuiquam videatur. Nunquam vero adducar, ut ἀναιμεὶ, ἀνομιλεὶ, πανομιλεὶ recte scribi existimem [23]), quia adiectiua ἄναιμος quidem et δυσόμιλος et ἐνόμιλος, unde aduerbia ἀναιμὶ, ἀνομιλὶ, πανομιλὶ probanda sint, sed non ἀναιμὴς, ἀνομιλὴς, πανομιλὴς extant. Eadem ratio est aduerbii ἀνατεὶ, quod rectius ἀνατὶ scribas [24]). Nam ἄνατος quidem legitur, sed ἀνατὴς non item.

Ex his apparet, multa ex aduerbiis hactenus allatis, quae vulgo in εὶ exire dicuntur, ut ἀμαχεὶ, ἀναιμεὶ, ἀνατεὶ, ἀνομιλεὶ, ἀσκαρδαμυκτεὶ, ἀσπονδεὶ, ἀσπουδεὶ, ἀφετεὶ, δακτυλοδεικτεὶ, ναυμαχεὶ, πανθοινεὶ, πανομιλεὶ, cuius generis plura infra enumerabo, rectius in ὶ terminari, atque adeo pauca, de quibus nulla vel non magna contro-

22) *Herodianus* p. 255. *Theodosius* p. 75, 8. 78, 1. et *Zonaras* in Lexico p. 1526. πανθοινεὶ scribunt, sed πανθοινὶ *Apollonius* περὶ *Συνδέσμων* p. 500, 30. *Draco* Stratonicensis de metris poeticis p. 96, 10. et Grammaticus de prosodia p. 448.

23) quanquam ἀνομιλεὶ habes apud *Herodianum* p. 255.

24) Neque enim placere possunt, quae *Alberti* l. l. scripsit: „Saepe eiusmodi aduerbia utroque modo, per ὶ et εὶ, efferuntur."

uersia sit, in ultima syllaba diphthongum εὶ habere, ut ἀβλαβεὶ, ἀβουλεὶ, ἀδμωλεὶ, ἀθαμβεὶ, ἀκαρεὶ, ἀλαβεὶ, ἀμαθεὶ, ἀμελεὶ, ἀμιγεὶ, ἀτρεμεὶ, αὐτοβοεὶ, αὐτοθελεὶ, ἀφανεὶ ἀφειδεὶ, ἠρεμεὶ, παμπληθεὶ, πανσυδεὶ siue πασσυδεὶ, τηνεί. Afferenda nunc sunt, quorum in εὶ terminatio nullo modo dubia esse potest: ἀδεεὶ, ἀκηδεὶ, ἀμφιετεὶ, αὐτοετεὶ, ἀνικεὶ, ἀξιφεὶ, ἀπαθεὶ, αὐτολεξεὶ, αὐτονυχεὶ, παννυχεὶ, αὐτοψεὶ, παγγενεὶ[25]), πανεθνεί. In his enim, ut in ἀθαμβεὶ et παμπληθεὶ, quae supra posui, syllabae ultimae re vera sunt datiui nominum substantiuorum tertiae declinationis, δέος, κῆδος, ἔτος, νῖκος, ξίφος, πάθος, λέξις, νύχος[26]), ὄψις, γένος, ἔθνος, θάμβος, πλῆθος. Ita ἀβλαβεὶ habet datiuum nominis βλάβος. Itaque cur in *Phauorini* Eclogis p. 103, 29. ἀβλαβὶ scribatur, nulla idonea ratio potest afferri. Certe ἀξιφὴς adiectiuum non magis usitatum fuisse videtur, quam αὐτολεξὴς, αὐτοψὴς, et alia. Scilicet, quae est eximia linguae Graecae fecunditas, talis vocabulorum compositio adeo non rara est, ut etiam sit frequentissima. Sic αὐτοποδίᾳ, quem datiuum, siue illum substantiui esse, siue adiectiui dicas, supra ostendi pro aduerbio dictum esse, alteram sui partem habet substantiuum ποδία, quod nusquam quidem solum legitur, sed apparet etiam in compositis περιποδία et πολυποδία. Sic in aduerbiis αὐτοποδὶ, αὐτονυκτὶ, αὐτανδρὶ, atque aliis, quae postea afferam, ultimae duae syllabae manifesto sunt datiui nominum substantiuorum.

Haec de aduerbiis in εὶ desinentibus sufficiant. Quum enim ii, qui Grammaticos potius aut librarios veteres audire, quam linguae indolem et analogiam sequi consueuerunt, de multis a me dissentiant necesse sit, malo reliqua huius generis paulo post occasione data recensere, ubi de aduerbiis in ὶ exeuntibus exponam, quippe quo-

25) *Elmsleio* ad *Sophoclis* Aiac. v. 1227. παγγενὶ placet. male. Sic nec probandum videatur, quod *Theodosius* p. 76, 6. παννυχὶ scripsit. Vid. tamen not. 31.

26) Nam νύχος pro νὺξ dictum esse, docent lexica *Hesychii*, ubi tamen male νυχὸς editum est, *Photii*, *Suidae* et *Zonarae* pag. 1409.

rum non pauca a multis Grammaticis in *εὶ* finiuntur, quam omnia, de quibus disputari in utramque partem potest, primum huc congerere, ac deinde multa ex eorum numero rursus eximere et inter aduerbia in *ὶ* terminanda ponere.

Itaque in *ὶ* terminanda sunt

I) quae orta sunt e datiuis adiectiuorum vel participiorum, ut *ἀκοντὶ*, *ἑκοντὶ*, *ἐθελοντὶ*, *ἐγρηγορτὶ* [27]), in quibus patet nihil mutatum esse, nisi accentum.

II) quorum ultimae syllabae sunt datiui substantiuorum [28]), ut *ἀναιματὶ* [29]), *ἀνιδρωτὶ*, *ἀτρυγὶ*, *αὐτονυκτὶ*, *αὐτοποδὶ*, *αὐτοχειρὶ*, *αὐτανδρὶ*, *παγγυναικὶ*, *παμπαιδὶ*, *ἀκρονυχὶ* [30]), *αὐτονυχὶ* [31]), *αὐτοετὶ*, *ἀμυχὶ* [32]), *ἀτριβὶ* [33]).

III) quae deriuari possunt a datiuis substantiuorum in

27) Haud dubie enim contractum est ex *ἐγρηγορότι*. *Choeroboscus* apud *Goettlingium* corrupte habet *ἐγρηγορητεί*.

28) Recte me ita statuere, docent ea, quae *Bekkerus* Vol. III. Anecdotorum Graecorum p. 1318. e Codice Barocc. 50. attulit: *τὰ διὰ τοῦ ρ̄ καὶ φ̄ καὶ χ̄ διὰ τῆς ε̄ῑ διφθόγγου γράφονται, οἷον ἀμερμηρεὶ, δίχα τοῦ αὐτοχειρὶ, ἴσως ὅτι ἔστι δοτική· λέγεται δὲ καὶ αὐτοχειρίᾳ. παμψηρί· τοῦτο γὰρ Ἀρκάδιος διὰ τοῦ ῑ γράφει.*

29) Vid. tamen infra not. 84. *Ἀτρυγὶ*, quod paulo post attuli, habet *Theodosius* p. 74, 7. et 78, 7.

30) Ductum est ex *ὄνυξ*. *Meleager* in *Brunckii* Analectt. Vol. I. p. 10. nr. XXV. dixit *ἀκρονυχὶ ἔκνισε*. Male *Schneiderum* in Periculo critico p. 84. *ἀκρονυχεὶ* scripsisse, per se quilibet perspicit.

31) *Bekkerus* p. 1319. ex eodem Codice haec habet: *αὐτονυχίς. λέγεται δὲ καὶ αὐτονυχίδις καὶ αὐτονυχί.* In hoc *αὐτονυχὶ* patet *νυχι* esse antiquum datiuum nominis *νύξ*. Vide *Etymol. M.* p. 552, 8. Sic *Suidas* et Auctor *Συναγωγῆς λέξεων χρησίμων* in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. I. p. 466, 8. *αὐτονυχί· αὐτῇ τῇ νυκτί*. Ita etiam *παννυχὶ* recte scribi potest, ut est in *Zonarae* Lexico p. 1525. Conf. not. 25.

32) De hoc dubitari potest. Mallem ad aduerbia in *εὶ* desinentia referre et *ἀμιγεὶ* scribere. Saltem *Herodianus* p. 257. *ἀμυχεὶ* habet. Sed *ἀμυχὶ* defendi potest, si deriuamus e datiuo nominis *ἄμυξ*. Conf. not. 139.

33) *ἀτριβὶ*, ut in *Herodiano* p. 254. editum est, reponendum etiam censeo apud *Theodosium* p. 74, 7. pro *ἀκριβὶ*, quod *Goettlingius* p. 230. in *ἀκριβεὶ* mutari iubet. Deduci enim potest ex *ἀτρὶψ* siue *ἄτριψ*.

ῑᾰ desinentium, ut ἀπαρτὶ, quum *plene* et perfecte significat[34]). Sic ἐνοικὶ[35]), et πανοικὶ et παροικὶ[36]), et πανστρατὶ, pro quo etiam πανστρατιᾷ reperitur, quae tamen aeque recte ab adiectiuis ἔνοικος etc. deducas. Sic πανσυδὶ seu πασσυδὶ, de qua forma infra dicam, et πανομιλὶ, ἀνομιλί[37]).

IV) quae descendunt ab adiectiuis in ος̄ exeuntibus, ductis illis

a) a substantiuis primae declinationis, ut ἀδορὶ[38]), ἀκλαγγὶ, ἀμαχὶ[39]), ναυμαχὶ, παμμαχὶ[40]), ἀμεριμηρὶ, ἀμι-

34) ut apud *Aristoph.* Plut. v. 388. ubi Scholiastes: ἀπαρτὶ, ἀπηρτισμένως. ἐπίῤῥημα δέ ἐστιν, ὡς ἀμογητί. Conf. Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. I. p. 418, 15 — 32. *Hesychius* habet: ἀπαρτιᾷ· ἀπηρτισμένως, ἀκριβῶς. ubi non dubito quin cum *Hillio* legendum sit ἀπαρτίᾳ.

35) ἐνοικὶ reperi tantum apud *Herodianum* p. 255.

36) Caue ne πανοικεὶ scribas cum *Phauorino* et *Schneidero* in Lexico, *Lobeckio* item ad *Sophoclis* Aiac. p. 403. aliisque. Nam 3 Maccab. III. 27. pro πανοικὶ diserte in Codice Alexandrino legitur πανοικίᾳ. Etiam ab *Aeschine* Socrat. II. 1. ab *Apollonio* περὶ Συνδέσμων (in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. II.) p. 498, 31. a *Phauorino* in Eclogis p. 103, 29. et a *Theodosio* p. 74, 27. et 78, 22. recte πανοικὶ scriptum est. Sed apud hunc eundem p. 78, 15. pro παροκὶ patet παροικὶ esse reponendum. Caeterum de aduerbiis πανοικὶ et πανστρατὶ vid. *Lobeck.* ad *Phrynichum* p. 514. sq.

37) ἀνομιλὶ nusquam reperi, praeterquam apud *Herodianum* l. l. ubi tamen, ut πανομιλὶ, male per ῆς scribitur: in quem errorem incidit, praeter *Schneiderum*, etiam *Valckenarius* ad *Theocrit.* Adoniaz. p. 225. edit. Lugd. Bat. 1810. 8. Sicut autem πανομιλὶ ad ὅμιλος referendum arbitror, ita ἀνομιλὶ rectius ab ὁμιλία deduci videtur, quanquam, quum ἀνομιλὶ a nullo scriptorum veterum usurpatum sciam, dubitari adeo potest, an non pro ἀνομιλὶ rescribi πανομιλὶ debeat. Saltem apud *Theodosium* p. 78, 11. παρομιλεὶ in πανομιλὶ mutandum putem.

38) In Lexicis *Suidae* et *Zonarae* p. 49. male ἀδορεὶ scribitur.

39) De hoc supra ad not. 21. dixi. Nam ἀμαχεὶ ubicunque scribatur, pessime scribitur, ut apud *Phauorinum* in Eclogis p. 104, 1. atque apud *Theodosium* p. 76, 3. et 78, 14. qui ipse p. 76, 4. ναυμαχεὶ exhibet. *Schneiderum* veram scriptionem non peruidisse miror quidem, sed minus certe, quam *Valckenarium* l. l. eundem errorem errasse.

40) παμμαχὶ habet *Apollonius* περὶ Συνδέσμων pag. 500, 30. et

τρὶ [41]), ἀμουσὶ [42]), ἀνατὶ [43]), ἀσπουδὶ [44]), ἀσπουδὶ [45]), ἀψυχὶ [46]), αὐθωρὶ, ἀωρὶ [47]), ἀναωρὶ, νηποινὶ [48]),

Theodosius pag. 76, 6. sed *Phauorinus* l. l. pag. 104, 2. vult παμμαχεί.

41) Male *Choeroboscus* ἀμετρεὶ scribit. Sed fortassis ἀμετρὶ legendum est. Praecedens ἀμερμηρὶ videtur *Valckenarius* l. l. in ει terminandum putare. Et vidimus not. 28. antiquum Grammaticum, qui idem sentiret. *Suidas* quoque ἀμερμηρεὶ scribit, ut *Theodosius* p. 78, 14. *Phauorinus* in Eclogis p. 104, 1. et *Zonaras* p. 163. ubi tamen unus codex dat ἀμερμηρὶ, quod nos praeferre iubet analogia.

42) Sic recte *Theodosius* p. 75, 25. ubi *Goettling* p. 230. male vult ἀμουσεί.

43) *Herodianus* p. 256. et *Choeroboscus* male scriptum exhibent ἀνατεὶ, a quo vitio nec *Schneiderus* immunis est. Sed *Elmsleio* l. l. ἀνατὶ probatur, et *Bekkerus* apud *Platonem* de legib. lib. XI. T. II. Opp. p. 917. C. ubi *Stephanus* aliique ἀνατεὶ ediderant, recte ἀνατὶ reposuit. Atque sic scribitur in Συναγωγῇ λέξεων paulo ante laudata p. 392. extr. apud *Suidam*, et in *Zonarae* Lexico p. 226.

44) ἀσπουδεὶ solum habet *Schneiderus* cum antiquioribus lexicographis, ut *Suida*. Sed apud *Theodosium* p. 78, 5. vitiosa scribendi ratio debetur *Goettlingio*. Nam ἀσπουδὶ scribendum esse, supra dixi.

45) Etiam de hoc supra paucis expositum est. *Lobeckius* ad *Sophocl.* l. l. male vult ἀσπουδεί. Conf. *Theodos.* p. 74, 9. et 78, 5. Nam in Συναγωγῇ λέξεων p. 453, 21. seruatum apparet adiectiuum ἄσπουδος, allatis verbis *Eupolidis:* ἄσπουδος δ᾽ ἀνὴρ σπουδαίου κακίων. Et in locis *Homericis* Iliad. Θ. 512. Ο. 476. Χ. 304. recte a *Villoisonio* restituta est vera lectio ἀσπουδὶ, quam aeque recte secutus est *Wolfius*.

46) *Herodianus* p. 257. ἀψυχεί. recte, si a ψύχος deriuas. Videtur autem potius a ψυχὴ deriuandum, atque tum, siue ab ἄψυχος siue ab ἀψυχία deducas, ἀψυχὶ scribendum.

47) ἀωρὶ quoque potest a substantiuo ἀωρία ductum esse. Conf. Συναγωγὴ λέξεων p. 476, 10. *Theodosius* p. 75, 23. *Zonaras* p. 368. *Phauorinus* in Eclogis p. 104, 3. Sic *Osannus* in Auctario Lexicorum Graecorum (Darmstad. 1824. 4.) p. 14. recte ἀναωρὶ edidit. Unde nec αὐθωρὶ, quod supra praemisi, bene *Lobeckius* l. l. in ει terminat.

48) nempe ab adiectiuo νήποινος. Posse autem aduerbium etiam νηποινεὶ scribi, infra patescet. *Herodianus* p. 255. solum νηποινὶ habet, ut *Theodosius* p. 75, 7. 77, 32. *Hesychius*, *Etymol. M.* p. 587, 37. *Suidas*, et *Zonaras* p. 1400. Atque hoc ipsum νηποινὶ haud dubie in *Phauorini* Eclogis p. 103, 29. reponi pro κοινὶ debet.

ὁλοῤῥιζὶ, πανθοινὶ[49]), πανορμὶ[50]). Velim tamen ea conferas, quae sub finem additamenti dicta sunt.

b) a substantiuis declinationis secundae, ut ἀδουλὶ[51]), ἀδωρὶ[52]), ἀθρηνὶ, ἀθρονὶ[53]), ἀκαματὶ[54]), ἀκινδυνὶ[55]), ἀκληρὶ[56]), ἀμετρὶ, ἀμισθὶ[57]), ἀμοχθὶ[58]),

49) Vide not. 22. et 116. Scilicet *Schneidero* quidem auctore etiam πανθοινεὶ probum est. Sed is errat non minus quam *Suidas*, si quidem hic ipse hunc errorem admisisse putari recte potest, neque potius ii accusandi sunt, qui eius Lexicon descripsere. Idem iudicandum est de *Phauorini* Eclogis p. 103, 30. ubi itidem exstat πανθοινεί. Cur *Lobeckius* l. l. praecedens ὁλοῤῥιζὶ in ει terminandum putauerit, caussam probabilem non reperio. Nam adiectiuum ὁλόῤῥιζος quidem legitur in versione Alexandrina Prouerbb. XV. 5. sed ὁλοῤῥιζής nusquam.

50) *Schneiderus* et πανορμὶ et πανορμεὶ probat, *Lobeckius* l. l. hoc solum.

51) Apud *Theodosium* p. 75, 1. male ἀδουλεὶ legitur.

52) Affert hoc *Zonaras* p. 49.

53) Utrumque hoc *Goettlingius* p. 230. in ει terminari iubet, quanquam *Theodosius* p. 75, 7. recte ἀθρονὶ exhibet.

54) Hoc e *Choeroboscο* attulit *Bekkerus* Anecd. Graec. Vol. III. p. 1310.

55) Recte sic *Zonaras* p. 116. Sed *Goettling*. l. l. perperam vult ἀκινδυνεί.

56) Apud *Zonaram* p. 116. male per diphthongum scribitur, et apud *Theodosium* p. 75, 21. adeo ἀσκληρεί.

57) Probat hoc etiam *Zonaras* p. 164. ut *Herodianus* p. 255. *Draco* p. 121, 4. *Arcadius* de accentibus p. 183, 9. *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 33. et Grammaticus de prosodia p. 449. Licet enim hic nihil nisi verba ἀμισθὶ γάρ σε πάμπαν attulerit, tamen ad demonstrandam sententiam meam valet, si conferamus *Apollonium* περὶ Ἐπιῤῥημάτων p. 571, 12. τὸ γοῦν Ἀρχιλόχειον συνεστάλη.

Ἀμισθὶ γάρ σε πάμπαν οὐ διάξομεν. (Lege διδάξομεν.)

Quapropter vituperandus est *Schneiderus*, quod ἀμισθεὶ quoque tanquam probum in Lexico suo posuit, etsi hoc vitiosum legitur apud *Dionem Cassium*, etiam in Reimariana editione p. 681, 61. et 747, 68. Praecedens ἀμετρὶ *Phauorinus* l. l. p. 103. sq. male iubet ἀμετρεὶ scribi. Conf. not. 41.

58) *Herodianus* p. 255. et 258. *Theodosius* p. 74, 25. 78, 9. et *Zonaras* p. 165. ut *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 32. praecipiunt ἀμοχθεὶ esse scribendum. Utraque forma *Schneidero* placet. Sola vero probanda est ea, quam supra posui. Unde *Blomfieldius* apud *Aeschylum* Prometh. v. 208. (216.) recte ἀμοχθὶ edidit, quam emendationem

ἀναυλὶ [59]), ἀνοικτὶ [60]), ἀπαταγὶ [61]), ἀποςὶ, ἀστομαχὶ, ἀσυλὶ [62]), ἀτοκὶ [63]), εὐτοκὶ, ἐνδομυχὶ, κοινοδημὶ [64]), πανδημὶ [65]), νηνεμὶ [66]), παμψηφὶ [67]), πανομιλὶ [68]),

probat *Elmsley* l. l. et ad *Euripidis* Bacch. v. 194. Sed *Hermannus*, ad hunc eundem *Euripidis* locum, ἀμοχθεὶ praefert.

59) *Theodosius* p. 78, 11. perperam ἀναυλεὶ, probante p. 230. *Goettlingio*, item *Zonaras* p. 226. In *Phauorini* Eclogis p. 103, 34. hoc ἀναυλεὶ in ἀναολεὶ per librarium mutatum est.

60) *Moschopulus* l. l. et *Zonaras* p. 226. ἀνοικτὶ, ἀντὶ χωρὶς οἴκτου. *Herodianus* p. 257. ἀνοικτὶ, ἀντὶ τοῦ ἀνιλεῶς, quod aduerbium in ἀνηλεῶς mutandum est.

61) Recte sic *Theodosius* p. 78, 8. et *Zonaras* p. 284. Apud *Phauorinum* vero in Eclogis p. 103, 29. vitiose editum reperitur ἀποταγί.

62) ἀποςὶ attuli uno *Choerobosco* apud *Goettlingium* p. 231. auctore. Pro ἀσυλὶ idem *Choeroboscus* et *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 33. et *Schneiderus* ἀσυλεὶ scribunt. Sic *Osannus* in *Boettigeri* Amaltheae Vol. II. p. 271. quanquam in *Ficoronii* Gemmis antiquis literatis Tab. VII. No. 30. recte legerat ἀστομαχὶ, tamen, id quod valde miror, dubitare videtur an non ἀστομαχεὶ sit scribendum.

63) Ita scribendum est apud *Dionem Cass.* p. 893, 53. pro vitioso ἀτοκεί. Sequens εὐτοκὶ reperisse mihi visus sum in *Phauorini* Eclogis p. 103, 29. Nam quod ibi editum est εὐδοκὶ, nihil est.

64) *Schneiderus*, temere secutus *Suidam*, habet κοινοδημεὶ, verae scripturae ne mentione quidem facta. Idem vero recte scribit ἐνδομυχὶ, atque ipse fatetur hoc aduerbium descendere ab adiectiuo ἐνδόμυχος.

65) Male πανδημεὶ praebent *Herodianus* p. 255. *Theodosius* p. 75, 3. 78, 12. et 21. *Choeroboscus* l. l. *Zonaras* p. 1525. *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 35. Utrumque probat *Schneiderus*, sed *Elmsleius* ad *Sophoclis* Aiacem l. l. solum πανδημὶ, quo etiam *Hesychius* ad explicandum πασσυδίᾳ utitur, *Lobeckius* l. l. et *Goettlingius* p. 230. solum vitiosum πανδημεί. Etiam in *Herodoti* libris nunc quoque perperam scribitur πανδημεὶ, ut 6, 63. et 7, 144.

66) Apud *Theodosium* p. 75, 4. et 78, 12. et *Phauorinum* l. l. male in ει exit.

67) παμψηφεὶ volunt *Herodianus* p. 257. *Theodosius* p. 76, 2. et *Choeroboscus* l. l. haud dubie perperam, ut *Schneiderus*. Sed *Arcadium* recte sensisse, vidimus not. 28.

68) Etiam *Elmsleius* ad *Sophocl.* Aiac. v. 1227. legit πανομιλὶ, sed *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 33. sq. habet πανωμιλεὶ, et *Lobeckius* l. l. vult πανομιλεὶ, quod ferri non potest. Conf. quae not. 37. dixi.

69) Hoc recte huc retulisse mihi videor. Nam quod apud *Theodosium* p. 75, 28. legitur, παντολεθρὶ, nemo facile probauerit.

πανωλεθρὶ[69]), μεταστοιχὶ[70]), τετραστοιχὶ, τριστοιχὶ[71]). Huc referendum puto ποταινὶ siue προταινί.

c) a substantiuis tertiae declinationis, ut ἀναιμὶ[72]), ἀνωνυμὶ, νωνυμὶ[73]), ἐξπηχυστὶ[74]). Huc retulerim ἐγκυτὶ[75]) et εὐθηρὶ[76]).

d) a verbis, quae desinunt

α) in αζω, ut ἀβαστακτὶ[77]), ἀθαυμαστὶ[78]), ἀστακτὶ[79]),

70) Rursus male *Schneiderus* habet μεταστοιχεὶ, quanquam Iliad. Ψ. 358. in editionibus *Villoison.* et *Wolf.* recte legitur μεταστοιχί.

71) Itaque apud *Hesiodum* Theogon. v. 727. τριστοιχεὶ in τριστοιχὶ mutandum censeo, quamuis illud praebent *Zonaras* p. 1753. *Theodosius* p. 78, 14. et *Choeroboscus*, et *Phauorinus* in Eclogis p. 104, 2. ubi adeo τριστοιχιεὶ scriptum est. De ποταινὶ siue προταινὶ, quorum hoc *Herodianus* p. 255. et *Theodosius* p. 75, 6. 77, 32. attulerunt, optime dixit *Reisigius* p. CCII.

72) Apud *Zonaram* p. 226. et *Phauorinum* tam in Lexico quam in Eclogis p. 103, 34. male scribitur ἀναιμεὶ, quod ipsum *Goettlingius* p. 230. reponendum perperam opinatur pro corrupto ἀναμεὶ apud *Theodosium* p. 78, 12.

73) νωνυμὶ recte dat *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 30. ut *Theodosius* l. l. sed *Goettling.* male vult νωνυμεί.

74) Hoc reperi tantum in *Philemonis* Lexico technologico p. 51. edit. *Osann.* et in *Etymol. M.* p. 313, 15.

75) Hoc *Archilochus* apud *Etymol. M.* p. 282, 40. et *Callimachus* Fragm. CCCXI. usi sunt. Vid. *Blomfield.* l. l.

76) Hoc scripsi pro εὐθυρὶ, quod est apud *Theodosium* p. 75, 24. *Goettlingius* p. 230. εὐθυρεὶ vult, quod quid sibi velit, non video. Magis probarem, si εὐθωρὶ scribendum putasset. Meum εὐθηρὶ poterat etiam ad IV. a. referri, ut a nomine θήρα deriuetur.

77) Legitur hoc aduerbium, quod a Lexicis abest, in *Scholiis* ad *Platonem* p. 13. extr. edit. *Ruhnken.*

78) Etiam huius terminationem in ει *Schneiderus* perperam probat, licet *Zonaras* p. 63. recte scripserit.

79) Ita scribi iubent *Herodianus* p. 257. *Theodosius* p. 77, 31. *Moschopulus* l. l. et *Valckenaer.* l. l. *Wyttenbachius* item ad *Platonis* Phaedonem p. 331. et *Elmsley* l. l. Et *Valckenarius* quidem ita scribendum dicit in *Aeliani* Hist. Animm. X. 17. ubi *Schneiderus* vitiosum ἀστακτεὶ corrigere debebat. Conf. interpp. *Aristaeneti* p. 531. sq. edit. *Boissonad.* Sequenti πολυστακτὶ *Scholiastes Sophoclis* Oedip. Colon. v. 1642. (1638.) utitur ad explicandum ἀστακτὶ, quod ibi legitur. Conf. not. 193.

πολυστακτὶ, ἀσταλακτὶ, ἀστενακτὶ [80]), ὀνομαστί.

β) in αιω, ut ἀκλαυστὶ [81]), ἀκλαυτὶ [82]), ἀπταιστί [83]).

γ) in ασσω, ut ἀναιμακτὶ [84]), ἀτακτί [85]).

δ) in αω, ut ἀβοητὶ [86]), ἀγελαστὶ [87]), ἀμελετητὶ,

80) Huius quoque formam ἀστενακτεὶ *Schneiderus* temere probat, probare etiam videtur ἀσταλακτεί. Multo rectius *Moschopulus* in eorum numero aduerbiorum, quae in ὶ terminanda sint, ponit ἀστενακτὶ, ἀσταλακτὶ, ἀστακτί. Etiam *Herodianus* l. l. scribi iubet ἀστενακτὶ, ut *Zonaras* p. 116. et *Elmsleius*. Sequens ὀνομαστὶ praeter alios, v. c. *Xenophontem* Cyrop. IV. 1. 2. habet *Zonaras* p. 1455.

81) *Suidas* et *Zonaras* p. 116. ἀκλαυστί· χωρὶς κλαυθμοῦ. Videtur glossa petita esse ex *Callimachi* Fragmento CCCCXVIII. p. 569. edit. *Ernest.* ubi, ut in loco *Choerobosci*, nunc quidem ἀκλαυτεὶ legitur, sed vel in ἀκλαυτὶ, vel in ἀκλαυστὶ mutandum est. Et hoc quidem *Boissonadius* ad *Herodian.* p. 257. recte praefert, quia *Scholiastes Gregorii Nazianzeni* in Orat. Stelit. p. 70. edit. *Montacut.*, unde hoc fragmentum petitum est, ita habet; quod *Ernestius* annotare neglexit, alioqui non ἀκλαυτεὶ seruaturus. *Schneiderus* male et ἀκλαυστεὶ et ἀκλαυστὶ probat.

82) *Valckenarius* l. l. „recte scribitur, inquit, ἀκλαυτεὶ in *Callimachi* Hymn. in Dian. v. 297.“ et fortassis ideo sic iudicauit, quia metri ratio postulat, ut syllaba ultima producatur. At *Draco* Stratonicensis p. 37, 6. et 96, 10. diserte dicit, ῑ in ἀκλαυτὶ produci. *Schneiderus*, qui utramque formam probat, debebat *Draconem* consulere, eumque ita sequi, ut formam ἀκλαυτεὶ tanquam Graecis auribus inauditam proscriberet, praesertim quum *Spanhemius* ad *Callimach.* Hymn. in Dian. v. 65. ἀκλαυτὶ probauerit, et *Apollonius* περὶ Επιῤῥημάτων p. 571, 8. hanc formam solam attulerit. Conf. deinceps not. 91. et 116.

83) Hoc mihi ex *Herodiano* p. 256. innotuit.

84) Ita legendum etiam videtur pro ἀναιματὶ, quod in Lexicis nonnullis sine auctoritate affertur. Simile est ἀναιμωτὶ, de quo infra ad ο), not. 129.

85) Hoc suppeditant *Georgius Choeroboscus* in *Bekkeri* Anecd. Graec. Vol. III. p. 1345. et *Theodosius* p. 76, 18.

86) Praetulerim ἀβοηθετὶ, quod pertinet ad ε). Hoc ἀβοηθητὶ usus est *Caesarius* Quaestt. et Responss. cap. 29. p. 56. βοηθουμένους ἀβοηθητὶ, hoc est, οὐ βοηθοῦντας.

87) *Herodianus* p. 257. ἀγελαστεὶ scribi perperam docet. *Valckenarius* vero scriptionem ἀγελαστὶ meliorem iudicat, eique apud *Athenaeum* lib. VI. p. 261. D. obsecutus est *Schweighäuserus*.

ἀμνηστὶ [88]), ἀνουτητὶ [89]), ἀπαστὶ, αὐτοματί [90]).

ε) in εω, ut ἀθεωρητὶ [91]), ἀκλητὶ, ἀνεγκλητὶ, προκλητὶ [92]), ἀλαλητὶ [93]), ἀμελητὶ [94]), ἀμετρητὶ [95]), ἀμογητὶ [96]), ἀνεθελητὶ [97]), ἀνοητὶ [98]), ἀπολεμη-

88) Recte sic, ni fallor, *Theodosius* p. 77, 23. Minus placet ἀμνητὶ, quod *Bekkerus* p. 1318. e *Choerobosco* attulit.

89) De hoc vide *Zonaras* p. 227. et 1486. Eo utitur *Suidas* quoque in v. ἀνατί.

90) Est enim ex αὐτὸς et μάομαι. Male Schneiderus etiam αὐτοματεὶ probat.

91) *Apollonius* περὶ Συνδέσμων p. 498, 32. praecipit haec: οὐδέποτε ἐπίῤῥημα σὺν στερήσει ἀποτελεῖται. τὰ γὰρ ὄντα, παρασύνθετά ἐστι. τῷ ἀσέμνως τὸ ἄσεμνος παράκειται, τῷ ἀψευδῶς τὸ ἀψευδὴς, τῷ ἀκλαυτὶ τὸ ἄκλαυτος, τῷ ἀθεωρητὶ τὸ ἀθεώρητος. Idem περὶ Ἐπιῤῥημάτων p. 571, 4. τὰ εἰς ῑ λήγοντα ἐπιῤῥήματα, παράγωγα ὄντα, ὀξύνεται. καὶ ἀπὸ ὀνομάτων μὲν παραγόμενα, ταῖς τούτων γενικαῖς ἰσοσυλλαβεῖ, καὶ ἔστιν ἐν ἐκτάσει τοῦ ῑ. παρὰ τὴν ἀθεώρητος καὶ τὴν ἀθεωρήτου τὸ ἀθεωρητὶ, ἀκονητὶ (Ita enim ex Codice MS. pro ἀκονιτὶ legendum h. l. videtur), ἀμογητὶ, ἀκλαυτὶ, πανθοινί. *Herodianus* περὶ μονήρους λέξεως p. 27, 34. ὄνομα — παράγεται καὶ εἰς ἐπίῤῥημα, ὡς παρὰ τὸ ἀκόνιτος ἀκονιτὶ, ἀθεώρητος ἀθεωρητί.

92) Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων p. 365, 4. ἀκλητί· ἄνευ κλήσεως. p. 400, 28. ἀνεγκλητὶ Πλάτων εἶπε, καὶ Ἰσοκράτης. Ad hunc modum προκλητὶ dedi pro vitioso προκληδὶ, quod apud *Theodosium* p. 74, 10. et 78, 6. legitur.

93) Hoc e *Choerobosco* affert *Bekkerus* p. 1314.

94) Aduerbio ἀμελητὶ Auctor Συναγωγῆς λέξεων p. 387, 15. et *Suidas* interpretantur aduerbium ἀμεταστρεπτί. Iam non per se reiiciendum putem ἀμελητὶ, sed interpretamentum aduerbii ἀμεταστρεπτὶ esse posse nego. Itaque vel ἀμελλητὶ legendum est, vel ἀναμελητί. Patet hoc etiam e *Suida* et *Zonara* p. 163. in v. ἀμελητὶ et ἀμελεϊστὶ, ubi vid. interpp.

95) Hoc debetur *Theodosio* p. 77, 26.

96) Ita *Herodianus* p. 256. *Apollonius* loco not. 91. allato, Grammaticus de prosodia p. 449. Συναγωγὴ λέξεων p. 387, 29. *Zonaras* p. 165.

97) Hoc in *Choerobosci* verbis apud *Goettling*. p. 231. bis corruptum est: semel scribitur ἀνηθελιστὶ, deinde ἀνεθελητεί.

98) *Choeroboscus* in Orthographia, apud *Bekkerum* p. 1327. ἀνοητεὶ scripsit. haud dubie falso.

τὶ[99]), ἀπονητὶ[100]), ἀτιμωρητὶ[101]), ἀψοφητί[102]). A πνέω profectum est ἀπνευστὶ[103]) et ἀναπνευστί[104]). Ex πλέω fluxit ἀπλευστί[105]). Alia formata sunt ab adiectiuis, quae orta videntur a verbis in ε̄ω desinentibus, sed non amplius usitatis, ut ἀμαχητὶ[106]), ἀκροποδητὶ[107]), αὐτοποδητὶ, τετραποδητί. Similiter nemo Romanorum, quantum quidem nos nunc scimus, usus est verbo *semedere*, quamuis *semesus* recte dicitur.

ζ) in ανω, ut ἀπαυστί.

η) in ευω, ut ἀγευστί[108]).

ϑ) in ϑω, ut ἀπληστὶ[109]), ἀπευστί[110]).

ι) in ιζω, ut ἀδαϊστὶ, ἀλογιστὶ, ἀνυβριστὶ[111]), ἀ-

99) Hoc suppeditauit *Theodosius* p. 77, 26.

100) Ita *Herodianus* p. 256. et *Theodosius* p. 77, 23. et 25.

101) Male *Schneiderus* etiam ἀτιμωρητεὶ exhibet.

102) Eo utitur *Lucianus* Deorum Dialog. XI. 2. Tom. I. p. 232, 54.

103) *Draco* p. 37, 7. et Grammaticus de prosodia p. 448. τὸ ἀπνευστὶ παρὰ τὸ ἄπνευστος. Etiam apud *Theodosium* p. 77, 24. pro πνευστεὶ lege ἀπνευστὶ, quod *Draco* etiam p. 121, 5. habet. Conf. not. 110.

104) Saltem *Draco* hoc addit p. 37, 5. sed p. 96, 7. ἀπνευστὶ legendum est. Vid. not. 116.

105) Male ἀπλευστεὶ scriptum in Codice MS. inuenit *Bekkerus* p. 1333.

106) Recte sic *Theodosius* p. 77, 26. et *Homerus* Iliad. Φ. 437. *Schneidero* vero ἀμαχητεὶ quoque placet.

107) *Herodianus* l. l. et *Zonaras* p. 116. habent ἀκροποδιτὶ, quasi ab ἀκροποδίω. Utramque formam, quanquam ἀκροποδιτὶ probari vix potest, et in *Luciani* libris saepe ἀκροποδητὶ legitur, ut Tom. I. p. 324, 40. et *Zonaras* p. 1726. recte τετραποδητὶ scripsit, exhibet *Schneider.*

108) Hoc aduerbio *Hesychius* aduerbium ἄπαστι explicat.

109) *Herodianus* p. 257. ἀπληστεὶ dici male iubet.

110) Habet *Theodosius* p. 77, 1. ubi tamen haud dubie ἀπνευστὶ legendum est.

111) Vid. *Fischer.* ad *Anacreont.* Od. LVII. 5. et *Barkeri* Epist. crit. quam not. 13. laudaui, p. 282. Praecedens ἀλογιστὶ attulit *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 27.

στηρικτὶ[112]). Alia plura paulo post ad V) afferam.

κ) in ισσω, ut ἀφρικτὶ[113]).

λ) in ιω, ut ἀκονιτὶ[114]), ἐγκονιτὶ, ἀνιδιτὶ[115]), ἀνωϊστὶ[116]).

112) Hoc reperisse mihi videor apud *Theodosium* p. 77, 31. ubi scriptum legitur ἀστερωκτὶ, quod nauci est.

113) Hoc utitur *Callimachus* Hymn. in Dian. v. 65.

114) *Apollonius* περὶ Ἐπιῤῥημάτων p. 560, 30. εἰς μακρὸν τὸ ῑ, ἀκονιτὶ, ἀναιμωτί. Conf. not. 91. et 116. et *Zonar.* p. 116.

115) In *Photii* Lexico p. 78. perperam ἀνιδητὶ scriptum est, et aeque male ἀνιδιτεὶ apud *Choeroboscum.* Sed *Herodianus* p. 256. *Hesychius*, et *Zonaras* p. 225. recte ἀνιδιτὶ habent. Eodem modo apud *Platonem* de Legib. lib. IV. T. II. Opp. p. 718. E. mendosum ἀνιδριτὶ dudum eiectum et pro eo ἀνιδιτὶ repositum est.

116) *Draco* p. 96, 7. τὸ δὲ ἀναπνευστὶ καὶ ἀνωϊστὶ παρὰ τὸ ἄπνευστος καὶ ἀνόϊστος (leg. ἀνώϊστος), τὰ δὲ (leg. τά τε) ἀπὸ τῶν εἰς πτω οὕτω μηκύνεται, ὡς ἔχει τὸ ἀκονητὶ (malim ἀκονιτὶ), ἀναιμωτὶ, ἀκλαυτὶ, πανθοινὶ, ἀκριτὶ, ἔστι δ' ὅτε ποιητικῇ ἀδείᾳ συνεσταλμένως προφέρεται. Eadem praecipit Grammaticus de prosodia p. 448. nisi quod legit: τὸ μέντοι ἀπνευστὶ καὶ ἀνοϊστὶ π. τ. ἄπν. καὶ ἀνώϊστος, τὰ δὲ ἀπὸ πτωτικῶν οὕτως μηκ. ὡς ἔχει τὸ ἀκονιτὶ, ἀναιμ. πανθ. ἀκριτὶ, et συνεσταλμένον. Ex his intelligi potest, quomodo deprauata illa, τῶν εἰς πτω, apud *Draconem* corrigenda sint. Caeterum *Herodianus* et *Zonaras* p. 225. recte praebent ἀνωϊστὶ, quod etiam confirmatur corrupto illo ἀγνωϊστὶ, quod *Goettlingius* in *Choerobosci* loco habet. Qui defendere volet ἀκονητὶ, quod *Choeroboscus* quoque et *Theodosius* p. 75, 27. exhibent, quodque in ἀκονιτὶ mutandum mihi videri paulo ante significaui, uti poterit his *Etymologici M.* p. 46, 29. verbis: ἀκονητί· ἄνευ πόνου, οὐ τὸ ἐναντίον, ἐγκονητὶ, μετὰ πόνου. κατὰ τροπὴν τοῦ π̄ εἰς κ̄, ἀπονητὶ, ἀκονητὶ Ἰωνικῶς. ὡς τὸ πῶς, κῶς· πότε, κότε. ἀπὸ τοῦ κόνις, κονιτὶ, καὶ ἀκονιτὶ, ἄνευ ἀγῶνος καὶ μάχης. κ. τ. λ. Apud *Libanium* T. IV. p. 217. et 425. et 429. Codex Paris. 3017. habet ἀκονιτὶ pro ἀκοπητὶ, quod fortassis aeque recte in ἀκονητὶ mutandum quis putet. Conf. not. 91. et *Doruill.* ad *Charit.* p. 33. (p. 218. edit. Lips.) qui ἀκονιτὶ praefert. Hoc ipsum praeferendum est apud *Dionem Cassium* Vol. II. meae editionis p. 526, 19. ubi Codex Mediceus antiquior male scriptum exhibet ἀκονειτί. Ibidem p. 724, 40. in utroque Mediceo pro ἀκονιτὶ legitur ἀκονητί. Caeterum ἀνωϊστὶ habet etiam *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 26.

μ) in λλω, ut ἀμελλητί[117]).
ν) in μι, ut ἀδαηστὶ[118]), ἀδυναστὶ[119]), ἀνωμοτὶ[120]), ἀφετὶ, δακτυλοδεικτί[121]).
ξ) in νω, ut ἀκμητὶ[122]), ἀκριτὶ[123]), ἀμενητὶ[124]), ἀμυνητὶ[125]), ἀναισθητὶ[126]), ἀνακλιτί[127]).
ο) in οω, ut ἀκληρωτὶ[128]), ἀνακληρωτὶ, ἀναιμωτὶ[129]), ἀπηρωτὶ[130]), μονωτί[131]).

117) *Συναγωγὴ λέξεων* p. 387, 12. ἀμελλητί· ἀνυπερθέτως. Usus illo est *Iosephus* Archaeol. Iud. XIX. 5. p. 675. E. edit. Colon. 1691. fol.

118) Seruauit hoc *Zonaras* p. 49.

119) Etiam hoc debetur eidem *Zonarae* l. l. et *Suidae*.

120) Legitur apud *Herodot* II. 118. Conf. *Phrynichus Arabius* in *Bekkeri* Anecd. Graec. Vol. I. p. 20, 33.

121) De hoc et praecedente dixi supra, ubi de aduerbiis in εὶ exeuntibus disputabam. *Schneiderus* neutrum habet. *Herodianus* p. 257. et *Moschopulus* male docent, δακτυλοδεικτεὶ esse scribendum. Etiam *Osannus* in Auctario Lexicorum Graecorum p. 48. δακτυλοδεικτεὶ exhibet. quod nollem factum.

122) Recte sic *Iosephus* de bello Iud. I. 12. p. 736. C. *Συναγωγὴ λέξεων* p. 365, 17. *Suidas*, *Zonaras* p. 116. sed *Hesychius* male ἀκμητεί. Unde *Schneiderus* etiam hoc probat.

123) Vid. not. 116. et *Theodos*. p. 75, 26.

124) Habet hoc *Zonaras* p. 164. haud dubie e *Suida*.

125) quasi ab ἀμυνέω. *Apollonius* περὶ Ἐπιῤῥημάτων p. 571, 8 — 12. σαφὲς ὅτι τὸ ἐν ἐκτάσει τοῦ ῑ ἀμυνητὶ ἀναλογώτερον. ὅτι γὰρ τὰ τοιαῦτα διὰ τοῦ ῑ, σαφὲς μὲν καὶ ἐκ τῶν διαλέκτων, σαφὲς δὲ καὶ ἐκ τῆς παραδόσεως, καὶ ἔτι τῆς παρεπομένης ἔσθ' ὅτε συστολῆς, ὅπερ ἴδιον τῶν διχρόνων. Perperam igitur *Choeroboscus* ἀμηνυτεὶ dat. Sed vid. not. 141.

126) ἀναισθητὶ *Theodosio* p. 78, 8. reddendum est pro ἀνεσθί.

127) Male ἀνακλιτεὶ scriptum est in *Choerobosci* loco.

128) *Schneiderus* probat etiam ἀκληρωτεὶ, et temere quidem. Quare etiam sequens aduerbium, quod idem *Osannus* l. l. pag. 13. ex titulo antiquo attulit, ἀνακληρωτὶ scribendum est.

129) Vid. not. 114. et 116. *Herodianus* quoque p. 256. ἀναιμωτὶ habet, ut *Theodosius* p. 75, 27. 77, 26. et *Choeroboscus*. Sic *Συναγωγὴ λέξεων* p. 390, 21. ἀναιμωτί· ἄνευ αἵματος. Ita *Homerus* quoque Odyss. Σ. 143. Idem haud dubie scripserat *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 26. quanquam ἀναιμωστὶ editum est. Quare non bene *Schneiderus* etiam ἀναιμωτεὶ probat. Scilicet temere secutus videtur *Zonaram* p. 225. ubi tamen in uno Codice recte ἀναιμωτὶ scriptum est, et *Henr. Stephanum* Thes. Graecae linguae Vol. II. p. 1521. C. edit. Lond.

π) in πω, ut ἀμεταστρεπτὶ[132]), ἀτρεπὶ[133]), ἀτρεπτὶ, ἀῤῥεπί[134]).

ρ) in υξω, ut ἀκλυστί[135]).

σ) in υσσω, ut ἀκατανυκτὶ[136]), ἀκηρυκτὶ[137]), ἀμυκτὶ[138]), ἀμυχὶ[139]), ἀσκαρδαμυκτί[140]).

cuius verba etiam alias ob causas huc sunt transferenda: „Scribitur „vero et ἀναιμωτεὶ, cum ει, sed ἀναιμωτὶ legit *Eustathius*. Sic et „apud *Apollon. Rhod.* II. 986. ἀναιμωτί γ' ἐρίδηναν. Apud *Suid.* quo„que ita reperitur. Talem autem huius aduerbii formationem ab αἱ„μοῦμαι esse existimo, qualis est τοῦ ἀναιμακτὶ ab αἱμάσσομαι, ut vi„delicet sit ἀναιμωτὶ ab ᾕμωται, sicut est ἀναιμακτὶ ab ᾕμακται. „Nam ut ab ᾕμακται, vel potius αἵμακται, posito pro ᾕμακται, fit „αἱμακτὶ, deinde praefixo ᾱ priuatiuo, et interiecto ν̄, ἀναιμακτί: sic „ab αἵμωται pro ᾕμωται, ut apud *Hesychium* αἱμώθη habetur pro „ᾑμώθη, fit αἱμωτὶ, e quo ἀναιμωτί."

130) Hoc *Bekkerus* p. 1333. habet e *Theognosto.*

131) Habet hoc *Zonaras* p. 1373.

132) Sumsi ex *Herodiano* p. 256.

133) *Herodianus* l. l. τὰ εἰς πι, διὰ τοῦ ἰῶτα γράφονται. οἷον· ἀῤῥεπὶ, ἀτρεπί. e quibus hoc alterum, quod etiam *Choeroboscus* apud *Bekkerum* p. 1346. habet, dubito an non corruptum sit, vel potius e vitiosa lectione ortum, quanquam *Herodianus* eadem pagina ipse quoque ἀτρεπτὶ affert. *Theodosius* p. 76, 20. tantummodo ἀτρεπτὶ habet.

134) Vid. not. 133.

135) Debetur *Choerobosco* apud *Goettlingium.*

136) Hoc ex *Choerobosco* attulit *Bekkerus* p. 1310.

137) *Herodianus* p. 257. *Theodosius* p. 76, 19. 77, 27. *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 23. et *Moschopulus* non recte praecipiunt, ἀκηρυκτεὶ esse scribendum. *Schneiderus* utramque formam in Lexico suo posuit, et *Valckenarius* l. l. quod magis mireris, ἀκηρυκτεὶ recte scribi dicit.

138) Soli *Herodiano* l. l. debetur.

139) Sic scribendum est, siue ab obsoleto adiectiuo ἄμυχος deriues, siue a substantiuo ἄμυξ, ut ad II) pertineat. *Hesychius:* ἄμυξ· ἀμυχή. *Herodianus* l. l. perperam iubet ἀμυχεὶ scribi aduerbium.

140) Ita terminandum esse supra dixi. Et confirmor in sententia per *Herodianum* l. l. *Theodosium* p. 74, 29. 76, 19. *Suidam*, *Zonaram* p. 328. *Moschopulum* l. l. Phauorinum in Eclogis p. 103, 23. et Συναγωγὴν λέξεων p. 452, 22. cuius auctor laudat locum *Aristophanis*, Perperam igitur apud *Xenophontem* Cyrop. I. 4. 18. in ει terminantur, et *Schneidero* utraque scriptura placet.

τ) in $\overline{υω}$, ut ἀδακρυτὶ, ἀμηνυτὶ[141]), ἀμυστί[142]).

υ) in $\overline{φω}$, ut ἀμεταστρεπτὶ[143]), ἀνεπιστρεπτὶ[144]), ἀστρεπτὶ, ἀστραβὶ[145]), ἀστροφί.

φ) in $\overline{ωζω}$, ut οἰμωκτὶ[146]), ἀνοιμωκτί[147]).

V) quae non ab adiectiuis, ductis illis a verbis, sed proxime a verbis ipsis descendunt, ut ἐγερτὶ ab ἐγείρω. Si quis tamen illud malit ab adiectiuo ἐγερτὸς deriuare, non admodum repugnem. Nouimus enim et hoc, et composita, ut ἀνέγερτος, δυσέγερτος, δυσδιέγερτος. Eadem ratio est aduerbii ἀνεκδαρτί. Eiusmodi autem aduerbia, quae ab ipsis verbis deducenda puto, originem maxime debent verbis in $\overline{ζω}$ exeuntibus, et quidem

141) Huc apposui, quum supra not. 125. apud *Choeroboscum* viderimus ἀμηνυτεί. Fortassis autem ille neque ἀμηνυτὶ, neque ἀμυνητὶ, sed ἀμηνιτὶ voluit. Praecedente ἀδακρυτὶ praeter alios usus est *Dio Cassius* Vol. II. meae editionis p. 638, 21.

142) *Suidas:* ἀμυστὶ πιεῖν· ἐπίῤῥημα. λέγεται δὲ ἐπὶ τῶν ἀπνευστὶ καὶ ἄνευ τοῦ ἀναπαύεσθαι πινόντων, οἱονεὶ μηδὲ μυσάντων. Similiter *Zonaras* p. 165. Apud *Theodosium* p. 77, 23. corrupte legitur ἀμιστί. Recte vero ἀμυστὶ scribitur in *Phauorini* Eclogis p. 103, 28.

143) Ita *Hesychius*, et *Herodianus* p. 256. Συναγωγὴ λέξεων item p. 387, 15. *Theodosius* p. 77, 30. *Zonaras* p. 163. Male *Schneiderus* etiam ἀμεταστρεπτεὶ probat.

144) Vid. *Ruhnken.* ad *Timaei* Lexicon Platonicum p. 26. Huius quoque aduerbii formam in $\overline{ει}$ perperam *Schneiderus* probam putat. Sequens ἀστρεπτὶ est ex *Theodosio* p. 77, 31. et *Phauorino* in Eclogis p. 103, 22.

145) Hoc noueram tantum e *Theodosio* p. 74, 7. quod si quis cum *Goettlingio* p. 230. ἀστραβεὶ mallet scribere, nihil regererem. Sed ἀστροφὶ sine controuersia scribendum est pro ἀστροφεὶ, quod est apud eundem *Theodosium* p. 76, 2.

146) Suppeditatur a *Zonara* p. 1438.

146) Recte sic *Theodosius* p. 74, 30. et *Zonaras* p. 226. Sed *Schneidero* placet etiam ἀνοιμωκτεί. Et sane hanc formam apud *Sophoclem* Aiac. 1227. (1206.) praeferunt *Elmsley*, *Lobeck*, *Erfurdt.* Veram vero scripturam *Hermannus* ad eundem locum defendit: „Illud quidem „recte, opinor, statuemus, quae a verbis fiant aduerbia, in ῐ terminari, nunc breue, nunc longum. In his est etiam ἀνοιμωκτὶ, „non illud ab ἀνοίμωκτος, sed ab οἰμώζω deductum.“ Quaenam potissimum causa virum doctissimum mouerit, ut eiusmodi aduerbia non ab adiectiuis, quae a verbis ducta sint, sed ab ipsis verbis dedu-

a) in αζω, ut ἀεκαστὶ, Ἰαστὶ[148]), Διαστί[149]).
b) in ιζω[150]), ut ἀνδριστὶ, ἀνθρωπιστὶ[151]), ἀφοριστὶ[152]), βοϊστὶ[153]), γυναικιστὶ[154]), μεγαλιστὶ, νεανιστὶ[155]),

cenda putaret, diuinare quidem possum, sed non certo perspicio. Vid. not. 91.

148) *Apollonius* περὶ Συνδέσμων p. 500, 12. ἦν οὖν τι ῥῆμα τὸ ἀεκάζω, ἔνθεν τὸ (ap. *Homer.* Il. Z. 458.)

πόλλ' ἀεκαζομένη·

ᾧ παρέκειτο ἐπίῤῥημα τὸ ἀεκαστὶ, ὡς Ἰάζω Ἰαστὶ, Αἰολίζω Αἰολιστὶ, Δωρίζω Δωριστί. Idem περὶ Ἐπιῤῥημάτων p. 560, 29. τῷ ῑ βραχεῖ, ὡς Ἑλληνιστὶ, Ἰαστί. Conf. *Zonaras* p. 1083. Grammaticus de prosodia p. 448. *Herodian.* p. 256. extr. et mox not. 150.

149) Hoc ex emendatione virorum doctorum pro Ἰαστὶ legitur apud *Dionem Chrysostomum* Orat. XI. p. 315. Vol. I. editionis *Reisk.*

150) Grammaticus de prosodia l. l. τὰ εἰς τι λήγοντα ἐπιῤῥήματα εἰ γένοιτο ἀπὸ τῶν εἰς ζω ληγόντων ῥημάτων, ἢ ἀπὸ τῶν εἰς ως ἐπιῤῥημάτων, συστέλλειν θέλει τὸ ῑ, Ἰαστὶ, Λιβυστὶ, Φρυγιστὶ, Δωριστὶ, μεγαλωστὶ, δημιωστὶ, ἱερωστὶ, νεωστί. Fere eadem praecipit *Draco* p. 37, 1—5. et p. 96, 3—7. nisi quod Λυδιστὶ pro Λιβυστὶ exhibet. Multo plenius *Apollonius* περὶ Ἐπιῤῥημάτων p. 571, 32. τὰ μέντοι διὰ τοῦ στι ἐκφερόμενα ἄμεινον ἡγητέον ἀπὸ ῥημάτων παρῆχθαι, ἢ καὶ συνυπάρχειν τὰ ῥήματα, καὶ ταῦτα πάντα εἰς ζω περατούμενα. καὶ καθὼς ἀπὸ μιᾶς συζυγίας τῶν ῥημάτων μία σχεδὸν καὶ ἡ συζυγία τῶν ἐπιῤῥημάτων, εὔλογόν τε καὶ τὸ διηλλαγμένον τοῦ ἐπιῤῥήματος συνδιηλλάχθαι τῷ πρωτοτύπῳ. οὐ γὰρ πιθανὸν παρὰ τὸ Ἕλλην τὸ Ἑλληνιστὶ, μᾶλλον δὲ παρὰ τὸ Ἑλληνίζω. παρὰ γοῦν τὸ Θρᾷξ πάλιν, διάφορον κατὰ τὴν κατάληξιν ὄν, οὐκ ἂν τὸ αὐτὸ παρακολουθήσειε, Θρᾳκιστὶ, παρὰ δὲ τὸ Θρᾳκίζω, τῆς αὐτῆς πάλιν ἐχόμενον συζυγίας. οὕτως ἔχει παρὰ τὸ Δωρίζω Δωριστὶ, καὶ Αἰολιστὶ, βαρβαριστὶ, Μηδιστὶ, Συριστὶ, Σκυθιστί. καὶ ἐπεὶ ἅπαξ τὸ Ἰάζω συνεκόπη ἐκ τοῦ Ἰωνίζω, ἣν καὶ τὸ συνὸν ἐπίῤῥημα συμμετειληφὸς τοῦ πάθους, Ἰαστί. καὶ σαφὲς ὅτι πάλιν τὸ Ἰωνιστὶ τῷ Ἰωνίζω παρέκειτο. Conf. Scholia ad *Dionysii* Thracis Grammaticam, in *Bekkeri* Anecdotorum Graec. Vol. II. p. 936, 12—28.

151) ἀνδριστὶ est *Theocriti* Idyll. XVIII. 23. ἀνθρωπιστὶ praebet *Theodosius* p. 77, 23.

152) habet *Bekkerus* Vol. III. p. 1350. et *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 27.

153) βοϊστὶ λαλεῖν dixit *Porphyrius* in vita Pythagorae c. 24.

154) *Athenaeus* lib. XII. p. 528. F. κεκοσμημένον γυναικιστί.

155) Haec duo nouimus ex *Apollon.* l. l. p. 572, 18. infra not. 176.

δωροδοκιστὶ 156), μελεϊστὶ 157), διαμελεϊστὶ 158), καταμελεϊστὶ 159), ποδιστὶ 160), τετραποδιστὶ, βαρβαριστὶ 161). Ne quis vero offendat in eo, quod non omnium horum verba usitata fuisse reperiuntur, vel omnino esse non potuerunt. Plura huius generis exempla vidimus ad IV. d. ε) alibique. Alia dixerim etiam in iis, quae statim enumerabo, esse exempla Recensenda enim nunc sunt ea huius generis aduerbia, quae originem debent iis verbis in ιζω desinentibus, quibus indicatur, aliquem more illius populi, cuius nomen in verbo inest, agere vel loqui, ut *Αἰγυπτιστὶ*, *Αἰολιστὶ* 162), *Ἀργολιστὶ*, *Ἀρμενιστὶ* 163), *Ἀττικιστὶ*, *Δωριστὶ* 164), et *ὑποδωριστὶ*, *Ἑβραϊστὶ* 165), *Ἑλληνιστὶ*, *Θρᾳκιστὶ* 166), *Ἰνδιστὶ*, *Ἰουδαϊστὶ* 167), *Ἰωνι-*

156) Legitur apud *Aristophanem* Equitt. v. 996. (1005.) ubi *Brunckius* ex antiquis editionibus et tribus Codicibus MSS. reuocauit δωροδοκηστί. non bene. Proprie enim scribendum erat δωροδοκητί, a verbo δωροδοκέω. Sed per comicum iocum et allusionem (παραγραμματισμὸν) ad praecedens *Δωριστί*, scripsit poeta *Δωροδοκιστὶ*, quasi a verbo δωροδοκίζω.

157) Est *Homeri* Iliad. Ω. 409. Et tamen apud *Theodosium* p. 75, 27. μελῃστὶ scriptum est.

158) Eiusdem est Odyss. *I.* 291. et *Σ.* 338.

159) Habet *Aratus* v. 624.

160) Ex *Choerobosco* attulit *Bekkerus* p. 1412. Habet etiam *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 27. τετραποδιστὶ βαδίζει legimus apud *Lucian.* T. I. p. 306, 88. ubi vid. *Hemsterhus.*

161) Vid. quae not. 150. ex *Apollonio* exscripsi, et *Polyaen.* III. 9. 59.

162) De hoc v. not. 148. et 150. Praecedente *Αἰγυπτιστὶ* utitur *Theocritus* Idyll. XV. 48.

163) Hoc habet *Theodosius* p. 77, 22. Praecedens e *Sophocle* attulit *Scholiastes Pindari* ad Isthm. VI. 86.

164) Vid. not. 148. et 150. *Ἀττικιστὶ* dixit *Plato* in Cratylo T. I. Opp. p. 410. C. *Δωριστὶ Theocritus* Idyll. XVIII. 48. Conf. not. 156. *ὑποδωριστὶ Aristot.* Problem. XIX. 48. (49.)

165) Satis notum est e libris N. T. ut Iohann. V. 2. *Ἑλληνιστὶ* e *Xenoph.* Anab. VII. 6. 7.

166) Haec duo memorata sunt not. 148. et 150. *Θρᾳκιστὶ* habet etiam *Theocritus* Idyll. XIV. 46.

167) Hoc legitur in versione V. T. Alexandrina 2 Regg. XVIII. 26.

στὶ[168]), Καριστὶ[169]), [Λιβυστὶ[170]),] Λυδιστὶ, Λυκαονιστὶ[171]), Μαιωτιστὶ, Μακεδονιστὶ, Μηδιστὶ[172]), Παρθιστὶ, Πελοποννησιστὶ et Dorice Πελοποννασιστὶ[173]), Περσιστὶ, Ῥωμαϊστὶ, Σκυθιστὶ, Συριστὶ[174]), Φοινικιστὶ, Φρυγιστὶ[175]), et ὑποφρυγιστί.

VI) quae descendunt ab aduerbiis in ως desinentibus, addito pronomine τὶ, et ita addito, ut cum aduerbio in unum verbum coaluerit, accentu in syllaba τὶ posito. Similia igitur, non vero huc referenda sunt μᾶλλόν τι, ὁμοῦ τι, πάνυ τι, σχεδόν τι, et alia talia, sed, ut dixi, ea tantum, quae, antequam illud τὶ accessit,

ubi etiam Συριστὶ habes. Sed Ἰνδιστὶ in Excerptis ex *Ctesiae* Indicis c. 3.

168) Vid. not. 150.

169) Hoc utitur *Strabo* lib. XIV. p. 663. A. edit. *Casaub.*

170) *Hermannus* in verbis Grammatici, quae not. 150. attuli, ediderat Λιβιστὶ, et haud dubie in Codice sic scriptum inuenerat. Quum autem *Blomfieldius* et *Barkerus* ll. ll. id nihili esse neque ullo modo ferri posse intellexissent, scripserunt Λιβυστὶ, non tamen monitis lectoribus. Ipse quoque, ne de auctoritate famaque duumuirorum illorum detrahere velle viderer, Λιβυστὶ supra scripsi, uncinis tamen inclusum. Quod quia patet a verbis in υζω potius deriuandum esse, aduerbia autem gentilia vix unquam a talibus verbis deduci solent, persuasum mihi habeo, Λυδιστὶ legendum esse, utpote quod, ut not. 150. ostendi, *Draco* ll. ll. pro Λιβιστὶ posuit.

171) Notum est ex Act. Apost. XIV. 11. Sequens Μαιωτιστὶ ex *Theocriti* Idyll. XIII. 56.

172) Vid. not. 150. Praecedens Μακεδονιστὶ habet *Plutarchus* in Eumene c. 14. T. I. Opp. p. 592. B. Sequens Παρθιστὶ idem in Antonio c. 46. p. 937. E.

173) in *Theocriti* Idyll. XV. siue Adoniaz. v. 92. ad quem locum vid. *Valckenaer.* p. 383. Add. *Bast.* ad *Gregor.* de Dialectis p. 91. extr. Vitiosum utique est Πελοποννανσιστὶ, quod in Codicibus eiusdem *Gregorii* reperitur p. 331. ubi vid. interpretes. Sequens Περσιστὶ habet *Xenophon.* Anab. IV. 5. 8. Ῥωμαϊστὶ *Plutarchus* in Bruto c. 2. T. I. Opp. p. 984. extr.

174) Vid. not. 167. De praecedente Σκυθιστὶ vid. *Barker.* ad Etymol. M. p. 1083.

175) Vid. not. 150. ὑποφρυγιστὶ legitur in *Aristotelis* Problem. XIX. 48. (49.) Praecedens Φοινικιστὶ est apud *Polybium* I. 80.

in ω̄ς exibant[176]), ut *δημιωστὶ, ἱερωστὶ, μεγαλωστὶ, νεωστὶ*[177]).

Hanc meam de aduerbiis in *εὶ* et *ὶ* exeuntibus praeceptionem veram esse, e nonnullis veterum Grammaticorum locis, quicunque animum attenderit, ipse facile intelliget, ut *Apollonii*[178]), *Draconis*[179]) et aliorum. Inprimis autem huc facit, quod apud *Theodosium*[180]) *ἐνα-*

176) *Apollonius* statim post illa verba, quae not. 150. ex eius libello *περὶ Ἐπιῤῥημάτων* apposui, p. 572, 13. haec addit: *τούτοις δὴ ἐπιστήσας ὁ Τρύφων ἐζήτει περὶ τοῦ μεγαλωστὶ, ἱρωστὶ παρὰ Ἀνακρέοντι, καὶ ἔτι τοῦ παρὰ Ἀθηναίοις νεωστὶ, ὅπερ οὐκ ἀπιθάνως τῇ παρὰ Ἀθηναίοις συνήθει ἐπεκτάσει ἐξέτεινε τὸ ῑ. ἔδει γὰρ, φησὶ, παρὰ τὸ μεγαλίζω μεγαλιστὶ, νεανίζω νεανιστί. καὶ δῆλον ὅτι καὶ τὸ ἱρωστὶ παρά τι τῶν εἰς ζω̄ ληγόντων ῥημάτων. Πρὸς ὃν ἔστι φάναι, ὅτι πολλάκις καὶ ἐκ διαφόρων μερῶν λόγου αἱ αὐταὶ παραγωγαὶ γίνονται. παρὰ ῥῆμα τὸ αἰτῶ γίνεται τὸ αἰτίζω, καὶ παρ' ὄνομα τὸ βάρβαρον τὸ βαρβαρίζω· ἔστι δὲ ὅτε καὶ παρ' ἐπιῤῥήματα, ὡς αἰαὶ αἰάζω. οὐδὲν οὖν κωλύει καὶ τὰ προκατειλημμένα τὰ μὲν παρὰ ῥῆμα εἶναι, τὰ δὲ ὡς ἠλογημένα ἀπὸ ἐπιῤῥημάτων παρῆχθαι τῶν εἰς ω̄ς περατουμένων, ὥστε ἐν προσθέσει τοῦ τι ἀποτελεῖσθαι, μεγάλως μεγαλωστὶ, νέως νεωστὶ, ἱερῶς ἱερωστί.* Conf. *Herodian.* p. 256. et quae not. 150. ex Grammatico de prosodia excerpsi.

177) Aduerbii *δημιωστὶ* nullum noueram exemplum, neque *Fischerus ἱερωστὶ* siue *ἱρωστὶ* inter *Anacreontis* fragmenta posuit. Sed *μεγαλωστὶ* habet *Herodotus* II. 161. V. 67. VI. 70. et *Lucianus* T. I. p. 846, 70. *νεωστὶ* denique idem *Herodotus* V. 19. et *Dio Cassius* p. 195, 90. ubi male *νεωστεὶ* scriptum est in Codice Mediceo antiquiore. *Etymol. M.* p. 544, 55. *ἐπίῤῥημα, νέως, καὶ νεωστί. Theodosius* quoque p. 75, 27. 77, 1. et 23. habet *νεωστὶ*, p. 76. extr. *μεγαλωστὶ*, p. 77, 29. *ἱερωστί.* Horum priora duo etiam in *Zonarae* Lexico p. 1355. et 1395. inuenias. Pessime *Phauorinus* in Eclogis p. 103, 24. sq. *νεωστὶ ἀπὸ τοῦ νεάζω, μεγαληστὶ ἀπὸ τοῦ μεγαλίζω.* Et vers. 27. *ἱερωστὶ δίκην ἱερέως.*

178) v. c. ubi *ἀκλαυτὶ* et *ἀθεωρητὶ* deducit ab adiectiuis *ἄκλαυτος* et *ἀθεώρητος*. Vide supra not. 91. Praecipue huc pertinet praeceptum *Apollonii περὶ Συνδέσμων* p. 500, 26. *τὰ εἰς ῑ λήγοντα ἐπιῤῥήματα ὀξύνεται. — ῥηματικὰ μὲν ὄντα συστελλομένου τοῦ ῑ, ὀνοματικὰ δὲ διὰ μακροῦ τοῦ ῑ — τοῦ ἐν τῷ ὀνόματι. τοῦ μὲν προτέρου Αἰολιστὶ, Ἰαστί· τοῦ δὲ δευτέρου ἀκόνητος — ἀκονητί.*

179) *Draconis* aliorumque verba attuli not. 103. et 116.

180) p. 75, 22. ubi *Goettlingius* p. 230. ex *Aristophanis* Plut. v. 244. *ἐν ἀκαρεῖ* scribendum esse ostendit. Atque sic saepe legitur apud

καρεὶ scriptum est, quod alii ἀκαρεὶ scribunt[181]). Hinc enim apparet, opinor, quomodo datiui adiectiuorum in ῆς desinentium poni pro aduerbiis potuerint. Tanto studiosius ac diligentius de causis est quaerendum, quae adduxerint Grammaticos, ut etiam ea aduerbia, quae analogia iuberet in ῖ terminari, tamen perperam in εῖ terminanda putauerint. Scilicet Grammatici tam veteres quam recentiores temere et plena cum fide secuti sunt Codices, quibus uterentur, manu scriptos, non illi cogitantes, ex uno quidem antiquo Codice, tanquam ex fonte, omnes reliquos fluxisse, neque tamen omnes eadem diligentia esse scriptos, sed alterum librarium repetiisse alterius vitia, vel etiam nouis auxisse, unde saepissime Codices in iisdem antiqui alicuius operis vitiis consentiunt, nec nisi raro, idque fere in rebus leuioribus, inter se discrepant, ita ut interdum melior, interdum etiam peior existat scriptura. — Deinde Grammatici, quum illas quoque partes sibi impositas vidissent, ut orthographiam ad certas quasdam leges reuocarent, primum collegerunt magnam aduerbiorum copiam, quae in Codicibus suis alterutro modo scripta reperissent; deinde orthographiam ad haec exempla constituerunt sic, ut literarum, quae terminationes ῖ vel εῖ proxime praecedunt, unice rationem haberent, in quorum numero *Herodianum* ac *Theodosium* fuisse supra dixi, qui

Lucianum, ut T. I. p. 137, 3. p. 867, 85. T. III. p. 376, 24. Vid. omnino *Valckenar.* Animaduerss. ad *Ammonium* I. 4. p. 18. sq. Elliptice dici pro *ἐν ἀκαρεῖ καιρῷ s. χρόνῳ* vel *λόγῳ* vel *μορίῳ*, plurimorum sententia est, ut *Gregorii* de Dialectis p. 34. (ed. *Schaefer.*) et *Schwebelii* ad *Bosii* Ellipses Graecas p. 216. (p. 310. edit. *Schaefer.*) Sic *Eusebius* de vita Constantini Magni II. 12. dixit *ἐν ὥρας ἀκαρεῖ ῥοπῇ*. Potest tamen *ἐν ἀκαρεῖ* etiam in genere neutro accipi, quod *Schaefero* ad *Bos.* l. l. pag. 311. placebat, quemadmodnm apud *Caesarium* Quaestt. et Responss. c. 78. p. 200. legitur *ἕπεται παρὰ πόδας τῇ τρώσει ὁ θάνατος, οὐδὲ πρὸς τὸ ἀκαρὲς τῆς φύσεως ἀντεχοῦς* (Lege *ἀντεχούσης*) *τῷ πάθει*, et apud *Aristoph.* Plut. 244. non est quod dubitetur de lectione *ἐν ἀκαρεῖ χρόνον*.

181) *ἀκαρεὶ*, praepositione *ἐν* non praemissa, ex *Antiphonte* attulit *Harpocration.* Eodem modo est in *Phauorini* Eclogis p. 104, 2.

quum magna auctoritate essent, multos habuerunt sequaces. Et recentiores quidem numerum potius consentientium, vel Codicum vel Grammaticorum, quam indolem linguae et analogiam spectarunt. Unde, ut hoc utar, ἀσκαρδαμυκτεὶ in *Xenophontis* Cyropaedia, quum in omnibus, qui inspecti fuere, Codicibus repertum sit, quanquam Grammatici supra nominati[181*]) veram scripturam proposuerunt, nunc quoque in omnibus editionibus, excepta Poppiana, itemque Dindorfiana, lectoribus tanquam genuinum et Graecum exhibetur. — Tum non attenderunt aut inquisiuerunt in antiquam scribendi rationem, qua neglecta fieri non potuit quin innumerabiles progignerentur errores. Antiqui enim, qui nondum nossent literam ῶ, datiuum nominum secundae declinationis scripserunt *OI*, ut *TOIΔE* pro τῷδε, *TOI ΔHMOI* pro τῷ δήμῳ, et alia talia[182]), quae causa est, ut aduerbia nonnulla etiam nunc ita scribantur, ut οἴκοι, Ἰσθμοῖ, πεδοῖ. In aliis, *O* illo abiecto, fortassis ne cum nominatiuis numeri pluralis confunderentur, remansit sola terminatio *I*, quae acui solebat, ut ἀμισθὶ, ἀθρονὶ, pro *AMIΣΘOI*, *AΘPONOI*, hoc est, ἀμίσθῳ, ἀθρόνῳ. Vere haec dici, luculentis exemplis doceri potest, quae passim reperiuntur. Apud *Dionem Cassium*[182*]) ex Codice MSto *Robertus Stephanus* ἀμεταστρεπτοὶ ediderat. Id *Henr. Stephanus*, qui adiectiuo locum non esse perite perspexisset, mutauit in ἀμεταστρεπτεὶ, male quidem, et linguae genio aduersante, sed tamen non tantum *Leunclauio*, verum et-

181*) not. 140. Maxime respiciendus erat *Pollux* II. 67.

182) Vid. *Valckenar.* Epist. ad Matthi. Roeuerum, T. I. Opusculorum (Lips. 1808. 8.) p. 348. et ad *Euripidis* Phoeniss. p. 260. sq. et *Scholia* ad eandem eiusdem poetae fabulam v. 688. qui Scholiorum locus dudum tractatus est a *Salmasio* ad *Herodis Attici* Inscript. p. 61. sqq. edit. *Thomae Crenii* Vol. II. Musei philologici et historici. Huc pertinet Inscriptio Elea, ante decem fere annos inuenta in Elidis agro aereae laminae insculpta, inde a. 1813. asportatae, in Musei Critici Vol. I. p. 536. descripta, in Diario Classico No. XXV. (1816.) etiam aere expressa p. 112. Ibi enim lin. 6. lègitur *ToI ΔI ὀΛTNΠIoI* pro τῷ Διῒ Ὀλυμπίῳ.

182*) Vol. II. meae editionis p. 558, 36.

iam *Reimaro* assentientibus, qui ἀμεταστρεπτὶ rescribere debebant. Eodem modo apud *Xenophontem*[182] †) Codex Parisiensis A. ἀμεταστρεπτοὶ exhibet, quod dudum editores recte in ἀμεταστρεπτὶ mutarunt. Quo magis miror *Bornemannum*, qui haec annotauerit: „In scriptura Paris. A. ἀμεταστρεπτοὶ nescio an lateat ἀμεταστρεπτεί." Scilicet latebat virum doctum vera talium aduerbiorum origo. Quod autem in Stephaniana *Dionis Cassii* editione ἀμεταστρεπτεὶ legitur, id haud dubie operarum vitium est. Nam in Thesauro Graecae linguae scriptum reperitur ἀμεταστρεπτὶ, quae scriptura firmatur *Luciani* et *Platonis* locis. Conf. not. 193. Ipse quoque *Stephanus* recte in sua *Platonis* operum editione scripsit ἀμεταστρεπτὶ, ut de Rep. lib. X. p. 621. A. Quapropter etiamsi supra omnia, quae viderentur ad defendendam scripturam aduerbii ἀθεεὶ proferri posse, quamuis mihi non probata, colligere instituerim, nondum tamen induci possum, ut eam veram esse credam. Immo si vel unus bonus diligenterque scriptus Codex ἀθεῖ exhiberet, auide hanc formam arriperem[183]). Nam ex adiectiuo ἄθεος genitiuus fit ἀθέου, datiuus ἀθέῳ, antique autem *ΑΘΕΟΙ*, unde O omisso prodire intelligitur ἀθεῖ[184]). Similiter ante inuentam literam η veteres scripserunt *E*[185]). Sic pro ῥίζα, ῥίζης, ῥίζῃ, et pro βοή, βοῆς, βοῇ, olim scribendum atque adeo scriptum fuit *ΡΙΖΑ*, *ΡΙΖΕΣ*, *ΡΙΖΕΙ*, et *ΒΟΕ*, *ΒΟΕΣ*, *ΒΟΕΙ*, prorsus ut in

182†) Sympos. IV. 50.

183) In *Zonarae* quidem Lexico p. 63. *Tittmannus* inuenerat ἀθεῖ in tribus Codicibus, ἀθεεὶ tamen edidit, haud dubie quia illas non satis fide dignos putauit. Etiam propterea praeferendam censeo formam ἀθεῖ, quia substantiuum scribitur ἀθεΐα, ut in *Hieroclis* Operibus p. 16. edit. *Needham.*

184) Eandem ob causam semper scribendum est αὐτοματὶ, quanquam *Wesselingius* in uno Codice *Diodori Siculi* II. 25. αὐτοματεὶ reperit.

185) *Plato* in Cratylo T. I. Opp. p. 426. C. edit. *Steph.* diserte: *οὐ γὰρ η ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ε, τοπαλαιόν.* Et p. 418. C. *οἱ μὲν ἀρχαιότατοι ἱμέραν τὴν ἡμέραν ἐκάλουν, οἱ δὲ, ἑμέραν· οἱ δὲ νῦν, ἡμέραν.*

Inscriptione Choiseuliana[186]) *ΤΕΣ ΒΟΛΕΣ* pro *τῆς βουλῆς*. Sic *τηνεὶ*, quod aduerbium saepe apud *Theocritum* legitur, est proprie feminini generis datiuus pronominis *τῆνος*, qui postea *τήνῃ* scriptus est. Sic *ΕΙ* et *ΠΕΙ* pro *ᾗ* et *πῇ*[187]), item *ΤΑΥΤΕΙ* et *ΤΕΙΔΕ* et *ΑΥΤΕΙ*, pro *ταύτῃ*, *τῇδε*, *αὐτῇ*[188]) scribebantur. Articulus *ΤΕΙ*, pro *τῇ*, extat in Columna Farnesiana[189]), omninoque in antiquissimis monumentis. Verum ne opus quidem est, ut ad antiqua monumenta ac titulos confugiamus. In secundis enim verborum personis, passiuae mediaeque formae, saepissime *ει* pro *ῃ* scriptum in libris veterum nunc quoque videmus, ut *αἰσθάνει*, *γίνει*, *δέξει*, *ἐργάσει*[190]), quamuis vulgares Grammatici recentiores non nisi quatuor talia norint, *βούλει*, *οἴει*, *ὄψει*, *παρέξει*. Ex his, quae dixi, aeque facile ac recte defenditur scriptio aduerbii *αὐτοβοεὶ*, quod maxime apud *Thucydidem* constanter sic scribi notum est[191]). Nam terminatio *βοεὶ* est ipse datiuus antiquus *ΒΟΕΙ* pro *βοῇ*. Quare nullo modo sequendi sunt codices, qui *αὐτοβοὶ* habent[192]). — Denique Grammaticos, hac aduerbiorum in *ῐ* et *ει* origine non intellecta aut perpensa, scripturam *ει* saepe scripturae *ῐ* male praetulisse eam ob caussam, quod in poetarum carminibus ultimam syllabam

186) v. Mémoires de l'Acad. des Inscriptions T. XLVIII. p. 337.

187) Vid. *Apollon.* *περὶ Ἐπιῤῥημάτων* p. 622, 18. sq. et p. 625, 5—10.

188) *Theognostus* in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. III. p. 1404. *τὰ γὰρ Δωρικῶς παρηγμένα καὶ περισπᾶται καὶ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεται, τουτεῖ, τηνεῖ, αὐτεῖ, ἐκεῖ.* Conf. *Valckenar.* Epistola paulo ante laudata p. 347. At solum *ἐκεῖ* nunc circumflecti constat.

189) apud *Scaligerum* in Animaduersionibus ad *Eusebii* Chronicon p. 110.

190) Multa huius generis collegit *Maittaire* de Graecae linguae dialectis p. 80. et 81. editionis meae. Add. *Reisigii* praefat. ad Commentarr. in *Sophoclis* Oedip. Coloneum p. XXII—XXVII.

191) *Piersonus* ad *Moeridem* Atticist. p. 48. indicauit locos *Thucydidis* multos.

192) Apud *Dionem Cassium* p. 191, 47. p. 228, 80. ac saepius Codex Mediceus antiquior, et p. 815, 19. Codex Venetus, uterque alias perbonus, male *αὐτοβοὶ* praebent. Caeterum me recte scripturam

per leges metricas producendam esse vidissent[193]), mirari non possumus. Certe eadem causa iussit eos *δωτὴρ* et *Διώνυσος* scribere pro *ΔΟΤΕΡ* et *ΔΙΟΝΥΣΟΣ*. Latini quoque veteres, ut *Plautus* et *Lucretius*, vocalem *i* longam esse indicaturi, scripserunt *ei*, ut *capteiuei*,

αὐτοβοεὶ tuitum esse, et istud *βοεὶ* ortum vere esse ex antiqua terminatione datiui *BOEI*, omissa praepositione *σὺν*, patere etiam magis potest ex hac illius aduerbii explicatione apud *Suidam* et in *Συναγωγῇ λέξεων χρησίμων* (in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. I. p. 465, 3.) *τὸ παραχρῆμα συντελεσθῆναι ἐν πολεμικοῖς ἔργοις, οἷον ταχέως καὶ ἅμα τῷ πολεμικῷ ἀλαλαγμῷ.*

193) ad *Apollon. Rhod.* I. 53. 115. 170. 215. IV. 1327. et pluribus locis. His vero ducibus fieri non potuit quin recentiores, quanquam alias doctissimi, in eosdem errores inciderent. Sic *Henr. Stephanus* in Thesauro Graecae linguae Vol. III. p. 965. B. postquam verba *Sophoclis* Oedip. Col. v. 1638. (1642.) *ἀστακτὶ δὲ σὺν ταῖς παρθένοις στένοντες*, attulit, non dubitauit haec addere: „Sed metri causa scri„bere mallem *ἀστακτεί.* quamuis et apud *Suidam* eadem habeatur „scriptura, cum alio etiam exemplo: *τὸν νεκρὸν παραπέμπων ἔκλαι„εν ἀστακτί.*" Neque tantum, ut hoc velut in transcursu addam, Grammatici in terminationibus aduerbiorum passim insulse *ει* pro *ι* scripserunt, sed etiam saepe in mediis syllabis adiectiuorum, ut *βοεικὸς* et *ὀρεικός*, pro *βοϊκὸς* et *ὀρικός*. Vid. interpp. *Thomae Magistri* p. 655. et 865. Sed de illo priori recte indicauit *Choeroboscus* apud *Bekkerum* p. 1354. *βοϊκὰ ζεύγη, ἡ παράδοσις· Ἡρωδιανὸς δὲ διὰ τῆς ει διφθόγγου, ἐν τῷ περὶ Ὀρθογραφίας. ὁ δὲ λόγος οὐ συγχωρεῖ.* De altero verum viderunt *Piersonus* ad *Moeridem* p. 273. et *Wesseling.* ad *Diodor. Sicul.* II. 10. Eodem modo in titulo antiquo, quem *Muratorius* in Thesauro Inscriptionum p. 1027, 2. exhibet, memorantur *ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΙΣ*. In numis non raro scriptum reperitur *ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC*. Apud *Gruterum* CCCXIV. 1. bis in Inscriptione est *ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗC*, apud *Reinesium* III. 36. ter. Alia Inscriptio apud *Ge. Whelerum* Itinerarii Tomo II. p. 438. (edit. Amst. 1689. 12.) pro *νικήσας* habet *νεικήσας*. In numo apud *Tristanum* Hist. des Empereurs par Médailles T. I. p. 547. scriptum est *ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ*. Apud *Dionem Cassium* p. 1325, 47. et 62. in editione Romana et Codice Vaticano scriptum est *μεῖσος* et *ὀνομαστεί*. Apud eundem p. 1341, 35. *Leunclauius* et *Falco*, male *Ursinum* secuti, ediderunt *εἰλεώσασθαι*. Et Vol. II. meae editionis p. 578, 44. in utroque Codice Mediceo *ὑφείετο* scriptum est pro *ὑφίετο*. Apud *Caesarium* lib. laud. c. 57. p. 128. *Eilhardus Lubinus* edidit *τῶν φρενῶν ἐξετεινάχθησαν*. In his tamen exemplis non Grammaticorum, sed librariorum, negligentiam accusandam censeo.

variei, principieis, albeis. Similiter *Erasmus* eiusque aequales scripserunt *aedere* librum, libri *aeditio*, et similia, haud dubie antiquiorum exempla secuti, quorum vel unum commemorasse sufficiat ex Inscriptione apud *Gruterum* CCCXXXI. 6. SCAENICOS ARTIFICES. Ut autem ad aduerbia Graeca reuertar, quae Grammatici ob causam modo allatam per diphthongum scripsere, luculenta exempla sunt apud *Theodosium*, ἀσπουδεὶ, ἀμοχθεὶ, ἀδουλεὶ, πανδημεὶ, νηνεμεὶ, παμψηφεὶ, ἀμαχεὶ, ναυμαχεὶ, ἀκηρυκτεὶ, ἀσπουδεὶ, et apud *Choeroboscum* a *Goettlingio* editum, ἀνιδρωτεὶ, ἀνακλιτεὶ, ἀνιδιτεὶ, ἀθεωρητεὶ, ἀνεθελητεὶ, ἐγρηγορητεὶ, ἐθελοντεὶ, quorum nullum ferri potest. Quodsi illam, quam partim hic partim supra indicaui, aduerbiorum originem vel cognitam habuissent, vel satis recordati essent inter scribendum, facile illi perspexissent, ῑ produci posse, quatenus ex diphthongo ōῑ, antiquo datiuo, ortum est, sed corripi, quatenus ῐ sine ō scriptum, et ὀξυτόνως quidem. Atque tum nec per librarios tot vitia in veterum scriptorum libros inuecta fuissent. Iam ex omnibus, quae hucusque disputaui, manifestum est, valde incertam ac dubiam esse veterum Grammaticorum plerorumque fidem, etiam ubi alteram scribendi rationem ab altera diserte distinguunt. Sic *Zonaras*[194]): ἀδορεί· ἀνεκδάρτως· ἀδωρὶ δὲ, χωρὶς δώρων. μέγα καὶ ι. Et tamen ἀδορὶ pro ἀδορεὶ scribendum est, quia neque ἀδορής, neque simile eiusdem originis adiectiuum, cuius datiuus in εῖ finiatur, notum est, sed omnia adiectiua a δέρω siue δείρω vel a δορὰ descendentia desinere constat in ος.

Neque tamen nulla aduerbia terminationem utramque admittere aio. Certe non solum ἀμετρὶ recte dicitur, quam formam supra ad IV. b) attuli, sed nec ἀμετρεὶ[195]) damnem, quia accusatiuo adiectiui ἀμετρὴς *Diodorus Siculus*[196]) utitur. — Νηποινὶ recte scribitur a

194) in Lexico p. 49. *Suidas* quoque dicit: ἀδορεί· ἀνεκδάρτως.
195) quod *Theodosius* p. 78, 14. attulit.
196) XII. 10. ἀμετρῆ μάζαν ἔδοντες.

multis[197]). Qui vero νηποινεὶ in Codice aliquo repertum[198]) vel praeferre illi, vel aeque atque illud probare velit, ei facile cedam. Nam alia aduerbii forma, νηποινῆ, a *Polluce*[199]) seruata est, ῃ autem et ει olim idem fuisse demonstraui paulo ante. — Quum et ἀβουλὴς et ἄβουλος usitata fuerint, aduerbium recte quum ἀβουλεὶ tum ἀβουλὶ scribi apparet. — Ἀξιφεὶ[200]) recte habet, quia datiuum substantiui ξίφος in se continet, sed ἀξιφὶ quoque scribi licet, quia vix dubium est, quin ab isto substantiuo legitime ducatur adiectiuum ἄξιφος. — Ἀβλαβεὶ recte scribi, supra vidimus. Sed videtur ἀβλαβὶ quoque probari posse cum nonnullis Grammaticis[201]), modo ab ἀβλαβία deriuetur. — Πανσυδὶ siue πασσυδὶ probatur multis[202]), et verisimiliter ideo, quia a substantiuo πανσυδία originem ducere putatur[203]). *Suidas* mira inconstantia, postquam πανσυδὶ et πανσυδίη probauit, inferius posuit haec: πασσυδεί· παντελῶς. Θουκυδίδης[204])· εἰ μὴ οὕτω τε πασσυδεὶ διεφθάρθαι. ὅπερ ἀγνοήσαντές τινες γράφουσι πασσυδί. Ac deinceps rursus ipse habet πασσυδίη. Qui πανσυδεὶ et πασσυδεὶ praeferunt, possunt ad defendendam hanc scribendi rationem partim

197) Vid. not. 48.

198) Ex eiusmodi Codice *Henr. Stephanus* apud *Xenophontem* Hier. III. 3. νηποινεὶ margini apposuit.

199) Onomast. VIII. 70.

200) quod apud *Theodosium* p. 76, 2. pro ξιφεὶ rescribendum est.

201) ut *Choerobosco* apud *Bekkerum* p. 1299. et *Theodosio* p. 77, 32.

202) ut *Herodiano* p. 254. *Theodosio* p. 74, 10. 78, 5. *Spanhemio* ad *Callimachi* Hymn. in Dian. v. 65. editoribus *Dionis Cassii*, aliisque.

203) *Eustathius* ad *Homer*. Iliad. *B.* p. 166. edit. Rom. τὸ δὲ πανσυδίῃ, καὶ διὰ τῶν δύο σ γράφουσιν οἱ παλαιοὶ, ὡς τὸ σύσσιτος, σύσσωμος, καὶ τὰ ὅμοια. δηλοῖ δὲ, κατά τινας, τὸ παμπληθεί. ἕτεροι δὲ φασὶ, πασσυδίῃ ἀντὶ τοῦ πανστρατιᾷ, μηδενὸς ἀπομάχου μένοντος. ἄλλοι δὲ, πανσυδίῃ ἀντὶ τοῦ πανορμεί. (Leg. πανορμί. Vide supra ad IV. a.) Αἴλιος δὲ Διονύσιος, ἀντὶ τοῦ παντελῶς. Conf. not. 204.

204) VIII. 1. ubi *Eustathius* l. l. πανσυδεὶ legit, quod per παντελῶς explicat.

originem ex datiuo Ionico *πανσυδίῃ* seu *πασσυδίῃ* ita ducere, ut *ῇ* in *εῖ* mutato primum *πασσυδιεί*, deinde *πασσυδεὶ* prodeat[205]), partim aduerbio *πασσυρεὶ* uti, quod *Pollux*[206]) reiicit quidem, sed in usu tamen fuisse ostendit. Sicut enim hoc ex *πᾶν* et *σύρειν* vel *σύρη*, quod *Hesychius* vocabulo *πλῆθος* interpretatur, ita *πασσυδεὶ* ex *πᾶν* et *σύειν* siue *σεύειν* vel *σύδη*, unde superest aduerbium *σύδην*, compositum esse patet. Mihi tamen, ne quid dissimulem, magis placet terminatio utriusque in *ῖ*. Et fortassis *πανσυδὶ* siue *πασσυδὶ*, et *πασσυρὶ*, ne differunt quidem, nisi quod hoc fuerit dialecti Aeolicae. *Hesychius*: *πασσύριον· ἀντὶ τοῦ πασσυδίην. Αἰολεῖς.* — De *αὐτονυχεὶ* et *αὐτονυχὶ*, aliisque nonnullis ex hoc genere aduerbiis, iam supra me pauca monuisse memini. — *Ἀφαρεὶ* et *ἀφαρὶ* proprie esse datiuos nominum antiquorum *ἀφαρεὺς* et *ἄφαρ*, atque adeo scribi posse utroque modo, manifestum fiet etiam posthac.

Postremo iuuat nonnulla ex *Theodosii* Grammatica enumerare, quae vel an unquam Graecis usitata fuerint dubitari potest, vel quae incertum est unde orta et quomodo scribenda sint. *Ἀκριβὶ* iubet ille p. 74, 7. scribi, et pauca alia talia, et tamen deinceps, quasi aliud allaturus, haec addit: *πλὴν τοῦ ἀκριβῆ.* Mihi pro illo videtur *ἀτριβὶ*, pro hoc autem *ἀκριβεὶ* legendum, nisi omnino *ἀτριβὶ* malis. Sed de hoc quoque supra dixi. — *Ἀλαβὶ* quum bis in illa Grammatica positum reperiatur[207]), quumque in altero loco *ἀλαβὶ* et *ἀβλαβὶ* statim iuncta atque inter se distincta legantur, certe neque *Theodosius* ipse errasse putandus, neque librarii, qui eius librum descripsere, negligentiae accusandi sunt. Immo *Theodosius* ipse videtur usus esse antiquiore aliquo Codice corrupto, ita ut *Goettlingius* p. 230. recte *ἀλαβεῖ* restituerit. — *Ἀνεσθὶ*, quod p. 78, 8. *Theodosius* affert, nisi ab *ἰσθίω* profectum esse potuit, de quo sane

205) quod *Goettlingius* p. 230. voluit. nec male.
206) Onomast. IX. 143.
207) p. 74, 7. et p. 77, 32.

dubito, videat quis an in ἀναισθητὶ (Conf. not. 126.) vel ἀνεθιστὶ sit mutandum. Sed paene malim ἀνηστὶ, quod ortum sit e datiuo ἀνήστιϊ nominis ἄνηστις. *Goettlingii* enim correctio, ἀσθενεὶ, vix cuiquam placebit. — Ἀλεξεὶ, quod p. 75, 13. protulit, potest verum haberi, quippe similiter formatum ut ἀκηδεὶ, ἀπαθεὶ, αὐτολεξεὶ, et quae alia huius generis supra collegi. Videtur tamen nescio quid inesse, quod minus probandum existimes. Fortassis illud ipsum αὐτολεξεὶ reponendum fuerit. — Ἀμαξεὶ, quod p. 75, 12. exhibet, modo ἁμαξεὶ scribatur, nihil in se habet, quod damnes. Potest enim recte factum iudicari e datiuo nominis ἁμαξεὺς, vel antiquo datiuo nominis ἅμαξα, quae ipsa est docti nostri censoris sententia, de quo plura dixi in additamento ad hunc libellum. Nemo vero non contortam censebit *Goettlingii* notationem[208]). — Ἁμαρτεὶ praeter *Choeroboscum*[209]) affert *Theodosius* p. 77, 27., haec addens: ἁμαρτῇ δὲ, ἀντὶ τοῦ ὁμοῦ, διὰ τοῦ ῃ. Etiam p. 75, 29. ἁμαρτῇ scribit, ut *Herodianus*[210]). Mihi ἁμαρτεὶ recte scribi videtur. Nam ῃ pro ει, vel etiam pro ι, tum quoque scriptum fuisse scimus, quum id vitandae ambiguitatis causa fieri non oportuit, ut p. 74, 11. ἀσπουδῇ pro ἀ-

208) *Goettlingii* verba p. 229. sunt: „Quemadmodum Atticis licuit „οἴκοι in οἴκει mutare, ita etiam ex ἅμαξα fit ἁμαξεί. Nempe haec „mutatio litterae ο in ε etiam vocatiuo propria est, quum v. c. ex „Ἀττικὸς nominatiuo Ἀττικὲ vocatiuus oriatur; ac quum genitiuum et „datiuum vocis ἅμαξα eloquimur, literam ᾱ in ῃ mutamus, ut nihil sit „omnino, quod mirere, quum ab ἅμαξα aduerbium ἁμαξεὶ deducimus." Quomodo haec inter se comparari recte possint, equidem nullo modo perspicio. Scilicet οἴκει antiquioribus Atticis pro οἴκοι dicere placuit nullam aliam ob causam, quam quia sonus ει etiam in aliis nonnullis vocabulis suauior iis, quam οι, accidit, ut in δυεῖν et πεῖος. qua de re nostrae aures consuli non debent.

209) cuius locum *Goettlingio* debemus p. 231.

210) p. 256. ubi etiam ὁμαρτῇ et ἀκαρῇ habet, ut p. 254. κομιδῇ. p. 255. παγγενῇ, πανσθενῇ, ἀχανῇ. p. 257. κρυφῇ, ἡσυχῇ, διχῇ, τριχῇ, τετραχῇ, πενταχῇ, πολλαχῇ, ἑκασταχῇ. Quae omnia ex datiuis orta, antiquissimis temporibus in *EI* terminata, sed post inuentam literam η, in hanc finita fuisse, iota vel subscripto vel omisso, mihi persuasum est.

σπουδὶ, p. 75, 9. et 78, 1. παγγενῆ pro παγγενεὶ, p. 75, 10. ἀμηχανῆ pro ἀμηχανὶ, ibidemque ἀκρινῆ, pro quo tamen neque ἀκρινὶ, neque ἀκρινεὶ, sed ἀκρονηΐ, reponendum esse declarant verba interpretandi gratia adiecta: τὸ ἄκρον τῆς νηός. Sic p. 75, 22. σταφορῆ literis male transpositis ex ἀστροφῆ corruptum, hoc autem pro ἀστροφὶ, vel ἀστροφεὶ, ut ipse p. 76, 2. scribit, positum arbitror. Ibidem luculentissima exempla sunt ἀφαρῆ et ἐναφαρῆ. Haec enim ἀφαρεὶ et ἐν ἀφαρεῖ, vel saltem ἐναφαρεὶ, erant scribenda. — Ἀπαιγνεὶ p. 75, 7. si recte scribitur, dictum putari debet pro ἀπαιγνιεὶ, ut ὑγεία pro ὑγίεια, auctore *Goettlingio* p. 230. Immo ἀπαιγνιεὶ ortum videtur ex datiuo Ionico ἀπαιγνίῃ, ut πασσυδιεὶ e πασσυδίῃ, atque deinde in ἀπαιγνεὶ contractum. — Ἀμυθεὶ in loco *Choerobosci* nisi in ἀμαθεὶ mutandum, certe ἀμυθὶ est scribendum. Fortasse tamen nihil horum verum est, ut nec illud, quod in *Phauorini* Eclogis p. 103, 22. et 32. legitur, ἀμοθεί. Mihi legendum potius videtur ἀμόθι, quod est apud *Thucydidem* V. 77. ita ut ad rem nostram plane non pertineat.

Volueram etiam alia huius generis aduerbia, rariora illa et fere corrupta, colligere atque emendare. Veritus tamen, ne nimia diligentia molestus essem lectoribus, consilio illo abiecto unum attulisse contentus esse debui, quod fortassis etiam alio modo prodesse tironibus poterit. Nimirum *Henr. Stephanus*, quem scimus in Indicem Thesauri Graecae linguae ea quoque vocabula intulisse, quae unde orta, a quo scriptore antiquo usurpata, quomodo explicanda essent, ipse nesciret aut dubitaret, saepe talia referens addit se ea inuenisse in *v. l.* hoc est, in veteri lexico, vel, in veteribus lexicis, nusquam quae haec essent diserte indicans. Ex tali igitur veteri Lexico, siue per illud intelligatur *Iacobi Ceratini* Dictionarius Graecus [211]), siue aliud quoddam [212]),

211) quem *Erasmus* praefatione sua ornatum edidit Basileae 1524. fol. ubi ἀπερεῖ scribitur, et vertitur *infatigabiliter*.

212) v. e. illud Lexicon, quod septem virorum doctorum opera

Stephanus recepit aduerbium ἀπερεὶ, quod vertit *indefesso et infatigabili tenore.* Quae versio si recte habet, pro ἀπερεὶ legendum ἀτειρεὶ esse certissimum puto. Similis error foedauit *Platonis* Cratylum [213]), ubi haud dubie ἀτειρὴς pro ἀτηρὲς debet reponi.

ADDITAMENTUM
DE
ADVERBIIS IN EI ET I DESINENTIBUS.

Mirum est, nonnullis hominibus, etiam egregie doctis, nonnunquam valde obscura vel adeo falsa videri, quae sunt luculentissima atque verissima. Scilicet ubi semel aliquid, siue inde a pueris, siue serioribus annis, pro vero habere coeperunt, hoc tam alte animis impressum tamque firme comprehensum tenent, ut sententiam, quam velut veram amplexi sunt, non facile dimittant. Quod ut saepe in rebus grauioribus factum esse scimus, ita longe facilius in re multo minoris momenti usu venire nemo nescit. Nouum huius generis exemplum est iudicium illud, quod vir quidam doctus de meo libello ferendum putauit [214]). Silentio sane id praeterire poteram, et vero praeteriissem, nisi eo ipso mihi occasionem subministrari vidissem, veritatem doctrinae supra a me traditae etiam magis stabiliendi. Nimirum

1) negat Datiuum esse horum in EI et I exeuntium aduerbiorum fontem, neque meam doctrinam ferri posse dicit ideo, quia sedes accentus mutetur ex mea ratione,

Basil. 1537. fol. prodiit, vel, quod verius videtur, Lexicon illud, quod *Aldus Manutius* Venetiis 1497. fol. edidit.

213) T. I. Opp. p. 395. B.

214) in Diario Ienensi, *Allgemeine Literatur-Zeitung*, anni 1824. Nr. 39. p. 309—312.

si v. c. ex Datiuo antiquo ἀθρόνοι fiat ἀθρονοὶ, ac deinde ἀθρονί. Et tamen ipse attulit exempla πεδοῖ et Ἐφεσοῖ, quorum accentus itidem in alia syllaba positus cernitur. Datiuos enim per se, nisi aduerbiorum vim habent, scribi constat πέδῳ (πέδοι) et Ἐφέσῳ (Ἐφέσοι). Sed de hoc plura dicam inferius.

2) Idem vir doctus negat αὐτοβοεὶ recte scribi, quod syllabae αυτο nequaquam iungi potuerint Datiuo antiquo *BOEI* (βοῇ), non ille cogitans aut memor, multa similia a me esse allata, ut αὐτολεξεὶ, αὐτοψεὶ, αὐτονυκτὶ, αὐτοποδὶ, et plura similia, in quibus illas syllabas αυτο ipsis Datiuis nominum tertiae declinationis adiunctas esse manifestissimum est. Cur non idem fieri potuerit in Datiuis nominum primae declinationis? Illud αυτο est ipsum pronomen generis neutrius, quod aeque recte praemitti potuit tam nominibus, et substantiuis et adiectiuis, quam aduerbiis et verbis, ac neutrum πᾶν inest in παγγυναικὶ, παμπαιδὶ, πανστρατιᾷ et huiusmodi multis. Inscitiae enim accusare virum doctum videri possem, si plura apponerem.

3) Idem docet, aduerbia in εὶ et ὶ exeuntia non e Datiuis esse deriuanda, sed terminationem suam debere τῷ ῑ demonstratiuo, et exempla addit οὑτωσὶ, ἐντευθενὶ, νυνὶ, νυνμενὶ, et alia. Non igitur ille vidit, quia non diserte monueram, me de his ac talibus ne verbulum quidem voluisse dicere, quum de huius generis aduerbiis nulla possit esse controuersia, siue istud ῑ velis demonstratiuum appellare, siue emphaticum. Neque enim magis negabit quisquam, Latine recte dici huiusce, hicce, heicce. Sed nec vidit, idem ῑ demonstratiuum non posse locum habere in παμμαχὶ, quod *Apollonio* ac *Theodosio* probatur, et multo minus in ἀμαχὶ, quod ipsi nostro Censori placet. Nolo plura similia congerere. Illud enim ῑ demonstratiuum iis tantum pronominibus vel aduerbiis addi et posse et solere, quae indicant rem in conspectu positam, et quae digitis monstrari potest, partim res ipsa et exempla docent, partim di-

serte dicunt *Apollonius*[215]), *Draco*[216]), aliique, et satis luculenter ostendit *Buttmannus*[217]). *Apollonius* enim ita praecipit: *Δεικτικώτεραι γινόμεναι (αἱ ἀντωνυμίαι) προσλαμβάνουσι τὸ ῑ, οὑτοσὶ, ὁδὶ, ἐκεινοσί. Draconis* verba sunt: *αἱ ἐπεκτεινόμεναι διὰ τοῦ ῑ ἀντωνυμίαι μακρὸν ἔχουσι τὸ ῑ, οἷον ἐκεινοσὶ, οὑτοσί. λέγεται δὲ καὶ οὑτοσὶν, καὶ ἐκεινοσὶν, καὶ τὸ ὁδὶ μακρὸν ἔχει τὸ ῑ.* Iterum *Apollonius*[218]): *ἔτι δεικτικώτεραι γινόμεναι διὰ τοῦ ῑ ἐπεκτείνονται, οὑτοσὶ, ὁδί· ἀλλ' οὐκέτι ἡ αὐτός· οὐδὲ γὰρ δεικτική.* Iam si hoc ῑ *δεικτικὸν* ne pronominibus quidem omnibus adiici potuit, sed solis demonstratiuis, quomodo quis dixerit ipsis nominibus id addi ad effingenda inde aduerbia, qualia nos hic tractamus? Profecto valde rideremus, si quis Latine scribens sibi videretur pulchre scilicet et eleganter scribere *ipsece* aut *gratisce* pro *ipse* et *gratis*. Num vero minus ridebimus, si quis ῑ demonstratiuum sibi inuenisse visus est in *ἀμισθὶ, ἀμοχθὶ, ἀτοκὶ*, et reliquis? Nam nihil in talibus est, quod possit *δεικτικὸν* aut *δεικτικῶς* dictum existimari.

4) Idem Censor libelli mei anonymus contendit, istud ῑ demonstratiuum nihil esse nisi antiquum pronomen demonstratiuum *ἵ*, eamque in rem laudat *Hermannum*[219]). Me haec legentem ad tempus obstupuisse ingenue profiteor. Nam neque tale quid a Viro Graece doctissimo dictum memineram, neque dici potuisse credebam. Statim igitur Orphica ab eo (Lipsiae 1805. 8.) edita euolui, sed nihil quod huc pertineret inueni. Nam ad versum 781. Argonauticorum nihil aliud *Hermannus* dixit, quam se ibi *νὶν* in *οἷ*, ut apud *Pindarum* bis *νὶν*

215) *περὶ Ἀντωνυμίας*, quem libellum primus edidit *Imman. Bekkerus*, in *Wolfii* et *Buttmanni* Museo antiquitatis studiorum, Vol. I. Berol. 1808. 8. ubi verba supra a me allata leguntur p. 335. B.

216) de metris poeticis p. 106. 17.

217) in *Ausführliche Griechische Sprachlehre* Vol. I. Berol. 1819. 8. pag. 315.

218) in eodem de Pronomine libello p. 338. B.

219) ad Argonautica, quae *Orphei* dicuntur esse, vers. 781.

in ἶν mutasse, et apud eundem semel ἶν pro μὶν restituendum putare. Fere eadem repetit aliis locis[220]). Non igitur vera nobis narrauit Anonymus. De ipso autem pronomine demonstratiuo pauca omnino scimus, certi fere nihil. *Apollonius* enim[221]) primum haec tradidit: "Ι. Ταύτην οἱ μὲν φασι παράλογον, ὅτι οὐ διὰ τοῦ υ· ἀποβολῇ γὰρ τοῦ σ̄ τὰς κατὰ τὸ τρίτον ἀποτελεῖσθαι, σοῦ-οὗ, σὸς — ὅς. οἱ δὲ εἰσηγησάμενοι τὰς κατὰ τὸ τρίτον ὀρθοτονηθείσας ἀντανακλᾶσθαι, οὐδ' ὅλως φασὶ τὸ σχῆμα συστῆναι. Deinde, aliquot interiectis[222]): καὶ τὸ Ὁμηρικὸν[223]) ἔνιοι διὰ τοῦ ῑ γράφοντες προσπνέουσιν,

ἐναλίγκιον ὡς ἶ ἅπασα,

ἐκδεχόμενοι τὸ αὐτὴ, ἡ Ἴλιος. ἀλλ' εἰ καὶ ἐνταυθοῖ τὸν εἶ συναπτικὸν σύνδεσμον ἡ φράσις ἐπιζητεῖ, τὸ ἰωροὶ παρὰ Ἀττικοῖς ὁμολογεῖ τὴν ἀντωνυμίαν. τὰ γὰρ φυλασσόμενα περιέχει ἡ τοῦ ὠρεῖν σύνθεσις. τὸ πύλην φυλάσσει πυλωρὸς, τὸ θύρην θυρωρός. οὕτω καὶ οἱ αὐτῆς τῆς πόλεως φύλακες ἰωροί. καλοῦνται δὲ καὶ οἱ αὐθιγενεῖς παρὰ Δωδιοις (Fort. Ῥοδίοις) ἴγνητες, τῆς δασείας Ἀττικῶς προσελθούσης. Denique[224]): τὰς κατὰ τὸ τρίτον πρόσωπον, λέγω δὴ τὴν ἶ καὶ τὰς συζύγους, ἀναφορὰν προσώπων δηλούσας, συμβέβηκε μεταλαμβάνεσθαι εἰς τὴν αὐτὸς καὶ αὐτὴ καὶ αὐτὸ, εὐλόγως, ἐπεὶ καὶ αὐτὴ ἀναφέρεται πάντοτε ἐπί τι πρόσωπον, ὅτε μὴ ἐπιτέτακται πρώτῳ καὶ δευτέρῳ. *Draco* autem[225]) haec: Ἡ ἶ ἀντωνυμία, ἡ σημαίνουσα τρίτον πρόσωπον, βραχὺ ἔχει τὸ ῑ. Scimus igitur, fuisse pronomen tertiae personae, et nominatiuum quidem, ita

220) ut in disputatione de pronominibus οἷ et σφιν, suae Orphicorum editioni subiecta, p. 788. et in Obseruationibus de dialecto Pindari, Lipsiae 1809. 4. editis, p. XIV.

221) in libello paulo ante laudato p. 329. C.

222) ibidem p. 330. B.

223) Iliad. *X*. 410. sq. ubi nunc legitur

τῷ δὲ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιον ὡσεὶ (*Wolf.* melius: ὡς εἰ) ἅπασα
Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης.

224) in eodem libello p. 336. C.

225) l. l. pag. 106, 14.

ut fere idem fuerit quod *αὐτὸς, αὐτὴ, αὐτό*. Quod *Constantinus Lascaris* docet[226]): *Τοῦ τρίτου προσώπου ἡ Ὀνομαστικὴ, ὃς κοινῶς, καὶ ἳ κατὰ παλαιούς.* Atque sic, ἳ, rectius scribi quam ἱ videretur, quia etiam in *Etymologico Magno* p. 533, 10. et apud *Arcadium* de accentibus p. 178, 20. ἳ scribitur, nisi in accusatiuo ἕ, non ἕ, diceretur. *Priscianus* vero nunc *Fἰ*, nunc ἱ scribit.[226*]) Sed de spiritu nunc quaerere non nostrum est. Illud potius certum putabimus, *Homeri* aetate pronomen ἱ vel ἳ non usitatum fuisse. Nam *Scholiastes Homeri Villoisonianus*[227]) haec habet: *τινὲς δὲ περιέργως διὰ μόνου τοῦ ῑ γράφοντες* (scil. *ὡς* ἱ pro *ὡσεὶ*), *ἀποδιδόασιν ὡς αὐτὴ ἅπασα. οὐκ οἶδεν δὲ ὁ Ποιητὴς οὔτε τὴν* ἳ (vel ἱ), *οὔτε τὴν σφεῖς*. Certissimum vero est, neque hoc pronomen ἱ unquam pro fonte terminationis aduerbiorum habitum fuisse, neque ῑ demonstratiuum cum isto pronomine *πρωτοτύπῳ* temere ab *Hermanno* confusum.

5) Illud ῑ demonstratiuum ait Anonymus primitus anceps fuisse, sed ideo, quod accentu notari soleat, semper produci; annecti autem characteri nominis, a quo deriuetur, hoc est, ei literae, quae abiecta casus terminatione supersit. De quo charactere ita praecipit, ut alterum eius praeceptum altero tollatur, neque ullus ex eius doctrina doctior euadat. Postquam enim hoc largitus est, *ἀμισθὶ* et *ἀμαχὶ* esse scribendum, ipse se extricare non aliter potest, quam ut dicat, horum formationem commutatam fuisse cum formatione aduerbiorum in *στὶ* exeuntium. Unde vero vir doctus hoc didicerit, cur non docuit? Nimirum id docere multo difficilius esse vidit, quam de tripode pronunciare. Ego certe, cur in duobus Graeci terminationem in ὶ concoxerint, in reliquis nauseantes fastidiuerint, perspicere nequeo. Quae autem de causa productae literae ultimae dicit, in eo-

226) Grammaticae libro tertio p. 344. edit. Venet. 1698. 8.
226*) Vid. *Priscian.* p. 562. 563. 574. 575. edit. *Krehl.*
227) ad locum Iliados paulo ante laudatum.

rum refutationem, post ea quae in ipso libello meo attuli, otium operamque insumere plane foret superuacaneum.

6) Idem Anonymus ut exempla nos doceat, aduerbia a nominibus secundae declinationis descendentia esse in *εὶ* terminanda, ex adiectiuo *ἄμουσος* aduerbium proprie fieri dicit *ἀμουσοὶ*, ac deinde, ō in ē mutato, *ἀμουσεὶ*. Mirum sane est, eum non vidisse, etiam sic sedem accentus mutari; quod supra in mea ratione reprehenderat. Quid autem nos sumere cogit, ō potius in ē mutari, ut exeat aduerbium in *εὶ* desinens, quam, quae mea sententia est, o ex antiquo datiuo *OI* extrudi, ut prodeat terminatio in *ἰ*? praesertim quum verum disci possit ex iis, quae in hac altera libelli mei editione not. 182.* et 182.† attuli, quumque idem factum esse accedente ῑ demonstratiuo appareat in *δευρί*. Hoc enim recte a me huc afferri quilibet intelliget, qui non solum *τουτὶ*, sed etiam *τουτοῖ*, dici didicerit. Itane etiam in *ἐξοῖ* siue *ἔξοι* dicamus ō esse ex adiectiuo *ἔξος* residuum, tanquam characterem? Caecus videat necesse est, *ἐξοὶ* nihil aliud esse quam datiuum illius adiectiui, sed antiqua scriptura *ΕΞΟΙ* seruata. Fluxit enim e praepositione *ἐξ*, et proprie, quia datiuus est, omissa praepositione *ἐν*, nihil significauit quam *in loco exteriore*, deinde vero, ut fit in linguis, etiam *in locum exteriorem*, sicuti Latinum aduerbium *foris*, quod et ipsum proprie nihil est nisi ablatiuus. *Apollonius*[228]): *παρὰ τὴν ἐξ πρόθεσιν, σημαίνουσαν τὸ ἐκ τόπου, τὸ ἔξω ἐπίῤῥημα καὶ τὸ ἐν τόπῳ καὶ εἰς τόπον δηλοῖ.* Postea scribi coeptum est *ἔξω*, non subscripta litera ῑ. Nam quid, quaeso, aliud voluit auctor *Etymologici Magni*[229]), sic scribens: *πάντα γὰρ τὰ ἀπὸ*

228) *περὶ Ἐπιῤῥημάτων* p. 571, 23—25. in *Bekkeri* Anecdot. Graec. Vol. II.

229) p. 317, 6—12. Similia sunt, quae idem p. 601—21. sqq. tradidit: *ὅσοι τὸ ἐγγυτέρω καὶ ἐγγυτάτω καὶ τὰ ὅμοια σὺν τῷ ῑ βούλονται γράφεσθαι, ἀπὸ δοτικῆς λέγουσιν αὐτὰ εἶναι, ὁ ἐγγύτατος τοῦ ἐγγυτάτου τῷ ἐγγυτάτῳ· καὶ ὁ ἀνώτατος, τοῦ ἀνωτάτου τῷ ἀνωτάτῳ·*

προθέσεως ἀρχόμενα ἐπιῤῥήματα χωρὶς τοῦ ῑ γράφονται· οἷον ἀνὰ, ἄνω· κατὰ, κάτω· εἰς, εἴσω. οὕτως οὖν καὶ ἐξ, ἔξω· καὶ πρὸς, πρόσω. ὁμοίως καὶ τὰ εἰς ω̄ ἀπὸ ἐπιῤῥημάτων γινόμενα χωρὶς τοῦ ῑ γράφονται· οἷον ἐγγὺς, ἐγγυτέρω, ἐγγυτάτω· ἔξω, ἐξωτέρω, καὶ ἐξωτάτω· πέραν, περαιτέρω, καὶ περαιτάτω. Ego quidem certe nihil his verbis indicari arbitror, nisi hoc: proprie ista aduerbia fuisse datiuos, atque adeo ἀνοῖ, κατοῖ, εἰσοῖ, ἐξοῖ, προσοῖ pronunciatos, sed deinde ω̄ quidem, notam datiui recentiorem, mansisse, sed ῑ omissum esse, quum in aliis aduerbiis ῑ manserit, abiecto ō antiquo, siue ω̄ recentiori. Quare etiam Latini veteres ex ἐνδοῖ ipsi quoque literam ῑ abiecerunt, sed ō, non ω̄, seruarunt, atque adeo *endo* et *indu* ita dixerunt, ut ultima syllaba corriperetur. Si illi, quae est vulgaris opinio, haec duo ex Graeco ἔνδον sumsissent, haud dubie more suo *endum* dixissent et *indum*. Vix enim sana ratio adducere eos potuit, ut ν̄ finale omitterent. Quemadmodum vero e datiuis in *OI* postea solum ω̄ Graeci seruarunt, ut in ἔξω et similibus, iota non subscripto, ita idem factum scimus in ō et adiecto ῑ demonstratiuo. Ex δευροῖ enim superest δεύρω. *Herodianus*[230]): Δεῦρο — εἴρηται παρὰ τῷ ποιητῇ[231]) ἅπαξ κατ' ἐπέκτασιν εἰς ω̄ ἐν τῷ,

ἢ δεύρω μὲν ἕποντο·

καὶ λέγει ὁ Ἐπαφρόδιτος, ὅτι τινὰ τῶν ἀρχαίων ἀντιγράφων σὺν τῷ ῑ εἶχον αὐτὰ γεγραμμένα. κρεῖττον δέ ἐστι χωρὶς τοῦ ῑ ταῦτα γράφεσθαι. λέγει δὲ ὁ τεχνικὸς, ὅτι εἴ τις τὸ ἔξω σὺν τῷ ῑ γράφει, ἐπειδὴ οἱ Συρακούσιοι ἔξοι λέγουσιν, οὐκ ἐπιχειρεῖ καλῶς· ἰδοὺ γὰρ τὸ ἔνδον ἐνδοῖ λέγουσιν, ὡς παρὰ Θεοκρίτῳ. Locus est Idyll. XV. 1. ubi *Scholiastes*: ἐνδοῖ ἀντὶ τοῦ ἔνδον. ἔστι τοπικὸν ἐπίῤῥημα, ὡς τὸ Μεγαροῖ, Πυθοῖ, ἀντιπίπτει δὲ τούτοις τὸ οἴκοι. Itaque fuerunt adeo, qui ἔξῳ, ἐγγυτέρῳ, ἐγγυτάτῳ et talia reliqua scriberent. Usus vero postea tulit, ut solum ω̄, veteri ō substitutum, seruaretur, omisso ῑ, altera veteris datiui parte et eiusdem indice.

230) in libello περὶ μονήρους λέξεως p. 26, 30. sqq. quem *Guil. Dindorfius* primum edidit Grammaticorum Graecorum Volumine I. Lips. 1823. 8.

231) Locus est Iliad. Γ. 240. ubi etiam *Villoisonus* edidit δεύρω, quum in caeteris editionibus δεῦρο legatur. In Scholiis ab illo

παραιτουμαι γὰρ τὴν διάφορον ἀνάγνωσιν. Hoc tamen obiter tantum et illustrandi causa allatum putato. Sed ad nostram causam praecipue pertinent *Ἰσθμοῖ, Πυθοῖ, οἴκοι*, et multo magis, quia etiam accentus ex antepenultima vel penultima syllaba ablatus et in ultima positus est, *Μεγαροῖ, Ἐφεσοῖ, πεδοῖ.* Haec enim et similia patet esse datiuos antiquos in *OI*, omissa praepositione *ἐν*, et accentu in ultima posito. Ad eundem modum omnia aduerbia huius, de quo agimus, generis ex datiuis orta esse, per exempla a me collecta ita manifestum est, ut, quid sententiae meae probabiliter opponi possit, neutiquam videam[232]). Negabitne censor ille eruditus, *αὐτοποδίᾳ, ἰδίᾳ, δημοσίᾳ, ἄλλῃ, ἐκείνῃ, τῇδε*, et multa alia, esse datiuos, et omissa praepositione *ἐν* aliaue pro aduerbiis poni? Cur igitur in iis, quae tractamus, aduerbiis aliter statuendum erit? Solam enim analogiam ducem sequi nostrum est. Atque haec sola nobis monstrauit viam unice veram, quam ego quoque ingressus sum. Quocirca nec ab eorum opinione abhorreo, qui praepositiones non paucas dicunt ortas esse ex datiuis, deriuandis illis ab adiectiuis, vel masculini generis, vel feminini, ita ut ex *ἈΠΟΣ* remanserit *ἈΠΟ* pro *ἈΠΟΙ*, ex *ὙΠΟΣ* autem *ὙΠΟ* pro *ὙΠΟΙ*, sicut supra vidimus *endo* Latinum ex *ΕΝΔΟΙ.* Nam usus loquendi usitatiorem rationem, ο omittendi et ι seruandi, nonnunquam neglexit. Sic datiuus feminini conspicuus est in *ἀπαὶ, διαὶ, καταὶ, παραὶ, ὑπαὶ*, scilicet ut *ΔΗΜΟΣΙΑΙ* et *ΙΔΙΑΙ*, quae formae posthac, omisso ι datiui feminini indice, pepererunt formas usitatas *διὰ, κατὰ, παρά.* Iuuat de nonnullis apponere verba *Euerardi Scheidii*[233]): „*ἀπὸ* — esse datiuum vel ablatiuum, suadere videtur

primum editis praeter alia habentur haec: *οὐκ ἔστιν Ἀττικὸν τὸ δεῦρο* (Scrib. *δεύρω*)· *οὐδέποτε γὰρ, μακρᾶς προκειμένης, τοιαύτην ἔκτασιν ποιοῦνται· ἀλλ' Ἰωνικόν.* In quo scholio vitium aliquod latere suspicor.

232) Vid. not. 178.

233) ad *Ioh. Danielis a Lennep* Etymologicum linguae Graecae, T. I. p. 153. et 235. et 394. et Tom. II. p. 731. sq.

ἀπαί. Est enim ἀπαὶ proprie datiuus vel ablatiuus antiquus primae declinationis, a nominatiuo ἀπὴ vel ἀπά." Item: „διὰ, pro διᾷ, proprie est datiuus singularis obsoletae vocis διὰ siue διή." Item: „κατὰ proprie videtur esse datiuus singularis antiquus, pro καταὶ, quod ipsum καταὶ seruatum est in καταιβάτης, *descensor*, pro quo alioquin dicitur καταβάτης. Iam vero κατὰ nominatiuus, unde καταὶ et κατὰ datiuus, proprie fit a κέκαται, tertia praeteriti passiui verbi κάω, *findo* deorsum, unde notio actionis quae *deorsum* vel *versus inferiora* instituatur. A κέκαται igitur est adiectiuum κατὸς, κατὴ, κατόν. A feminino κατά, quod idem ac κατὴ, est datiuus καταὶ, et a κατὸς forma masculina, vel neutra, est κατῷ, unde aduerbium κάτω. Eleganter ad proprietatem utraque forma usus est *Aristophanes* in Pluto v. 228.

εὐθὺς ΚΑΤΩ'ρυξέν με ΚΑΤΑ' τῆς γῆς ΚΑ'ΤΩ,
Continuo me DEfodit in IMA terra DEORSUM.

Vide etiam *Valckenar*. ad Theocr. Idyll. A, 118. p. 32." Item: „Videntur πάρα dixisse pro παρᾷ, ex παραὶ, quod poetae seruarunt. — Est igitur παραὶ (quod ipsum in multis quoque compositis mansit, παραιβάτης, παραιβόλος, παραίπαισμα etc.) proprie datiuus vel ablatiuus antiquus a nominatiuo παρὰ, quod proprie nobis praebet formam femininam a masculino παρὸς, παρὴ, παρόν. — Quemadmodum vero Graecis in usu promiscuo fuerunt olim formae ἀπὸ et ἀπαὶ, ὑπὸ et ὑπαὶ, sic non nisi forma generis diuersa fuerunt πρὸ, pro παρῷ, παραὶ, unde nostrum παρὰ descendit, iota primum subscripto, (hoc modo παρᾷ) eodemque mox neglecto, sic παρά." Lectu digna sunt, sed longiora, quae idem de ὑπὸ et ὑπαὶ in eandem sententiam dixit[234]). Interdum quidem usus tyrannidi parendum esse quis neget? Sic ἔνδον haud dubie olim fuit accusatiuus nominis ἔνδον vel ἔνδος, cuius datiuus ἐνδοῖ, ut πεδοῖ ex πέδον, adhuc superest, et proprie, assumta praepositione ἐν, significauit idem quod postea accusatiuus ille ἔνδον. Usus vero iussit Graecos hoc accusatiuo,

234) ibidem T. II. p. 1026 — 1028.

qui proprie, quum εἰς omissum sit, significabat *in locum interiorem*, pro datiuo uti, ut sit *in loco interiore*, quemadmodum Latinum *intus* utroque modo dicitur. Scilicet tyrannus est supra legem, leges saltem non curat. Similiter πεδοῖ proprie datiuum et pro ἐν πέδῳ positum esse, inter omnes constat. Et tamen illud scimus pro εἰς πέδον usurpatum fuisse, prorsus ut Latinum *humi* non raro ponitur etiam sic, ut significet in humum.

7) Adiectiuorum datiuos, praemissa praepositione ἐν, pro aduerbiis usurpatos fuisse nemo est qui nesciat[235]). Ubi vero Graeci viderent, nullam ambiguitatem existere per reliquam orationis viciniam posse, solum datiuum vel in *AI* (ᾳ) vel in *HI* (ῃ) vel in εῖ vel in ῖ vel in *OI* (ῳ) desinentem posuere, pro *OI* vero non ῷ scripsere, sed ῶ, maximeque ῖ, ne quis, si datiuus vim aduerbii haberet, pro simplici datiuo eum habens erraret. Quae res in superioribus ita a me declarata est, ut de ea nemo, nisi qui praefracte defendere suam sententiam velit, dubitare facile queat.

8) Aduerbia in ὶ exeuntia et a verbis deducta dicit Anonymus non ab adiectiuis verbalibus, sed a tertia persona perfecti passiui esse deriuanda, eamque in rem laudat *Hermannum* ad *Sophoclis* Aiac. v. 1206. Ego *Henricum Stephanum* dudum id docuisse, ipsius verbis allatis ostendi not. 129. Neuter vero terminationem ὶ dixit esse ῖ demonstratiuum, neque dicere potuit. Sed hoc misso videat, qui videre potest, utrum sit contortius, primo augmentum vel etiam reduplicationem abiicere, ac deinde ex terminatione ται mediam literam extrudere, an ex datiuo adiectiuorum verbalium, quia ῖ demonstratiuum nulla ratione locum habere potest, penultimam modo pellere. Multo facilior, atque adeo simplicior pariter ac verior est haecce ratio, quam ego secutus sum, et ante me praeter *Apollonium* et *Draconem* et *Blomfieldium* etiam *Herodianus*[236]), cuius verba sunt haec:

235) Exempla collegi in Lexico Xenophonteo Vol. II. p. 166. sq. Alia dabit Index meus Dioneus.

236) περὶ μονήρους λέξεως p. 27, 31 — 35.

ὄνομα μὲν εἰς ὄνομα παράγεται, ὡς λεπτὸς Λεπτίνης, — παράγεται δὲ καὶ εἰς ἐπίῤῥημα, ὡς παρὰ τὸ ἀκόνιτος ἀκονιτὶ, ἀθεώρητος ἀθεωρητί. Nihil potest esse clarius.

9) Multum operae Anonymus impendit, ut nobis persuaderet, ῑ demonstratiuum in omnibus eiusmodi aduerbiis, etiam non demonstratiuis, dominari, eaque re πολὺν γέλωτα ὦφλε. Poterat vero egregie de nobis mereri, si pro illa sua de ῑ demonstratiuo doctrina perspicue ostendisset, quomodo factum sit, ut non pauca huius generis aduerbia cum perfectis passiuorum non conueniant. Si enim aliquis alacri ingenio puer, qui perfectum passiui verborum στρέφω ac τρέπω in tertia persona numeri singularis non ἔστρεπται et ἔτρεπται formari, sed ἔστραπται et τέτραπται, cognouisset, nos interrogaret, qua de causa aduerbia, quae a tertia perf. passiui deriuari audiuisset, ἀστρεπτὶ, ἀμεταστρεπτὶ, ἀνεπιστρεπτὶ, ἀτρεπτὶ, ἀμετατρεπτὶ dicerentur, quid tandem responderemus?

10) Accentus cur in ultima semper syllaba ponatur, non anxie longe quaerenda, et multo minus a ῑ demonstratiuo repetenda est ratio. Est enim in promtu, et sic ante oculos obuersatur, ut valde mirandum sit, virum doctissimum eam non vidisse. Scilicet hanc ipsam ob causam, quia aduerbia sunt, utque statim cuique pateret aduerbia esse, locum accentus mutasse Graeci, atque adeo primum οἱ (Vid. ad not. 182.* et 182.†), deinde ὶ scripsisse, intelliguntur. Sicut enim σωζόμενος et πυῤῥὸς sunt nomina appellatiua, ubi vero propria fiunt, Σωζομενὸς et Πύῤῥος scribuntur, nullam profecto aliam ob causam, quam ut omnis ἀμφιβολία vitari certius possit atque facilius, hoc est, perspicuitatis gratia: ita etiam aduerbiorum ex hoc genere accentum in ultima syllaba poni iussit eadem perspicuitas, quam scimus esse scribendi ac dicendi legem summam. In οἴκοι accentus non quidem aliam sedem occupare iussus est, sed certe ipse mutatus apparet. Nam nominatiuus pluralis scribitur οἶκοι, non οἴκοι. Eodem plane modo factum est in aduerbiis in εὶ terminatis, quippe quae re vera nihil sunt

nisi datiui adiectiuorum oxytonorum in ῄς exeuntium. In his enim accentus quidem fit e circumflexo, ut ἀμιγεὶ ex ἀμιγεῖ, sed in eadem syllaba manet. Si ῑ esset ῑ demonstratiuum, aduerbium scribendum esset ἀμιγεῒ. Quod autem οἴκει quoque pro οἴκοι dictum reperitur, id Anonymo argumentum praebet, quo demonstret, characterem ō in ε̄ esse mutatum. Hoc vero omnino falsum est. Ponamus enim, eum recte sentire, nonne rursus, accedente ῑ demonstratiuo, aduerbium scribendum esset οἰκεῒ? Immo haec scribendi diuersitas, οἴκει pro οἴκοι, soli dialecti varietati originem debet. Nam eandem diuersitatem animaduertimus etiam in aliis, quae non sunt aduerbia, et in quibus de ῑ demonstratiuo ne cogitari quidem licet. Atque hoc dudum obseruauit *Eustathius* ex *Heraclide*[237]), ἰστέον, inquiens, ὅτι τῆς ὑστέρας Ἀτθίδος ἐστὶ τὸ ποῖοι. ἡ γὰρ ἀρχαία ἑτεροίαν ἐδίδου παράληξιν τῇ τοιαύτῃ λέξει, ὡς καὶ Ἡρακλείδης δηλοῖ, ἔνθα λέγει τοὺς Ἀττικοὺς τὴν οι δίφθογγον εἰς τὴν ει μεταποιεῖν· τὸ δυοῖν, λέγοντας δυεῖν· καὶ τὸ οἴκοι, οἴκει· καὶ τὸ ποῖος, πεῖος. Itaque si ullo modo defendi potest aduerbium ἀθεεὶ, quod potius ἀθεεῒ scribendum esse supra ostendi, hoc tantum modo potest, ut antiquiorem dicamus scripturam ἀθεεί.

11) Ut tandem ingenue dicam, quod sentio, tantum abest ut sententiam a me propositam et latius explicatam omnibus Graece doctis probatum iri sperem, ut nec posthac defuturos esse, qui aliter sentiant, facile credam. Quin etiam fore, qui totam contentionem nihil nisi rixam de lana caprina iudicent, certissime persuasum mihi habeo. Atque hi utique habebunt, quo iudicium suum confirment. Nam si illa adiectiua verbalia in τος exeuntia, a quibus proxime, non a tertia persona perfecti passiui, aduerbia multa in ὶ desinentia et supra ad IV, d.) allata, dixi deducenda esse, si igitur adiectiua illa per se spectantur, facile apparebit, illa ipsa quoque descendere ab eadem perfecti

237) ad *Homer.* Odyss. Φ. p. 1907, 49—51.

passiui persona, et tamen saepe vim actiuam habere; cuius generis exempla iam *Apollonius*[238]) collegit: *πάνυ γελοῖον ἐστὶ τὸ τὴν αὐτὴν σημασίαν ἀπαιτεῖν ἔν τε τοῖς ἐπιῤῥήμασι καὶ τοῖς ὀνόμασιν· εἰ γὰρ ἀθεώρητον τὸ οὐ τεθεωρημένον, πῶς τὸ ἀθεωρητὶ σημαίνει τὸ μὴ θεωρῆσαι; καὶ πῶς, εἰ ἄκλαυτον τὸ μὴ κεκλαυσμένον, πῶς τὸ ἀκλαυτὶ τὸ μὴ κλαῦσαι σημαίνει; ἔστι γὰρ καὶ ἐν ἄλλοις μέρεσι λόγου πάμπολλα, οἷς ἡ τοιαύτη διαφορά. ἀπὸ παρακειμένων παθητικῶν ἐνεργητικὰ ὀνόματα γίνεται· παρὰ γὰρ τὸ ἔψαλται τὸ ψάλτης, λέλυται, λύτης, κεκάθαρται καθαρτής.* Itaque quum ego aduerbia, qualia modo significaui, proxime ab adiectiuis verbalibus in ος terminatis descendere aio, nihil aliud volo, quam hoc: eam viam, qua ego incessi, multo breuiorem et commodiorem esse Stephaniana illa, quae *Hermanno* placuit, ac partim hac ipsa de causa, partim quia quum ῑ demonstratiuum huc aduocari et hic tolerari nequaquam possit, ex mea ratione facilius explicatur terminatio ὶ, partim quia mea via et ratio multo analogiae conuenientior est, quum etiam Latina lingua multis ablatiuis pro aduerbiis utatur, longe illi praeferendam. Caeterum de iis aduerbiis, quae ad I) II) III) et IV. a. b. c.) posui, ne dubitari quidem a quoquam posse arbitror, nisi forte excipere quis velit *ὁλοῤῥιζί*. Hoc enim si cui in *εὶ* potius terminandum videatur, non magnopere repugnem, quia haec terminatio, non minus quam in *αὐτοβοεὶ*, accipi recte potest pro ipso antiquo datiuo nominis *ῥίζα*. Quin etiam *ἀκλαγγεὶ, ἀμαχεὶ, ναυμαχεὶ, παμμαχεὶ, ἀμουσεὶ, ἀνατεὶ, ἀσπονδεὶ, ἀσπουδεὶ, ἀψυχεὶ, πανορμεὶ* scribi posse, si quis malit, eandem ob causam concedo.

238) *περὶ Ἐπιῤῥημάτων* p. 571, 15—23.

IV.

DE UTILITATE QUAM LUTHERI DOCTRINA SCHOLIS PUBLICIS ATTULIT.

Inde a triginta fere annis multas et magnas rerum conuersiones tam in Gallia quam in Germania vidimus, quae facile, si cui volupe est, comparari possunt cum similibus aliis antiquiorum temporum turbis, quibus regna etiam maxima euersa, reges vel expulsi vel facti, multum cruoris profusum, multorum hominum libertas vel vita erepta, multae ciuium opes perditae, magna denique omnis generis miseria inuecta, et, quod pessimum omnium est, boni mores corrupti sunt. Sed vix ulla res reperietur, quam quis recte conferat cum magno illo et admirando opere, quod Martinus Lutherus egit, quippe cui hoc erat propositum, ut non solum cultum diuinum externum ac cerimonias sacras moresque emendaret atque corrigeret, sed etiam doctrinam Christianam ab innumeris, et foedis quidem, erroribus liberaret, pristinoque nitori et veritati redderet ac restitueret. Bella enim et paces et rerum publicarum mutationes partim breui tempore finem habuere, partim ad nonnullas tantum regiones pertinuerunt, omnes autem a principibus, et penes quos esset summa potestas, profectae sunt. Lutheri vero conatus et molitio, religionem pessima superstitione contaminatam repurgandi, non modo per tria saecula et ad nostra adeo tempora fructus tulit, verum etiam omnium regionum, per Europam certe, fines intrauit, neque tamen a principe quoquam decreta et iussa, aut vi et armis adiuta fuit ac propugnata, sed ex unius hominis ingenio prodiit, nec nisi doctrinae propositae veritate et vi defensa fuit; atque eius necessitas infimorum quoque hominum et plebeiorum et indoctorum intelligentiae ita euidenter patuit, ut doctrina illa etiam

in animos eorum facile se insinuaret, iisque probaretur, quumque homines potentissimi nullo modo impedire Lutheri causam et opprimere valerent, ad ipsum Deum tanquam auctorem haec quoque referretur: quod quam vim habuerit, non opus est ut pluribus exponam.

Omnino enim non hoc agere constitui, ut de toto illo opere egregie salutari, cuius fructus, si recte auguror, etiam ad multa sequentia saecula pertinebunt, multis verbis disseram, sed pauca quaedam *de insigni utilitate* dicere, *quam Lutheri doctrina praestitit scholis publicis.* Nulla certe ratione probari ab aliquo, nisi partium studioso et praeiudicata opinione ducto, unquam mihi videtur posse, quod *Sebastianus Günthnerus* [1]) vel nuper dicere haud erubuit, Lutheri libris et instituto, quod *reformationis* nomine insigniri solet, literarum progressum impeditum, magnumque inde, scholis maxime, detrimentum illatum fuisse. Non noua est haec criminatio. Ut enim alios taceam, etiam *Michael Ignatius Schmidtius*, celeberrimus Historiae Germanorum conditor, simili crimine, quanquam paulo tectius atque cautius, Lutherum arguere conatus est [2]). Quemadmodum vero hunc, praeter alios, *Carolus Leonhardus Reinholdus* refutauit [3]), ita nec defuere, qui, quanta Lutheri in scholas omninoque in literas elegantiores merita fuerint, luculenter demonstrarent [4]).

1) Volumine primo illius libri, quem inscripsit: *Was hat Baiern für Wissenschaften und Künste gethan?* Monachii 1815. 8.

2) Vid. *Schmidts* Geschichte der Deutschen, P. VI. pluribus locis, sed maxime p. 300. 305. sqq. collata p. 293. edit. Ulm. 1785. 8.

3) in *Ehrenrettung der Lutherischen Reformation gegen Mich. Ignaz Schmidt Geschichte der Deutschen*, Ienae 1789. 8. Magna cum utilitate legi etiam potest *Essai sur l'esprit et l'influence de la Réformation de Luther*, *par* Charles Villers, à Paris 1804. 8. qui liber anno sequenti Germanice conuersus fuit certatim, ut a *Stampeelio*, et *Pliethio*, et *Cramero*.

4) Huc inprimis pertinent *Joh. Forsteri* Oratio apologetica pro Luthero, contra *Jacobi Gretseri* Lutherum academicum (Ingolstadii 1610. 4. editum), Viteb. 1611. 4. *Andreae Julii Dornmeyeri* Lutherus humanioris literaturae cultor et aestimator, Halae 1703. 4. *Hen-*

Praeclare enim vir magnus vidit, omnem salutem ciuitatis pendere ab educatione et institutione, ac sine his homines ferarum modo ea tantum sequi, quae cupiditatibus ipsorum blandirentur; ubi vero pueruli bene educati essent diligenterque eruditi, futurum esse ut et ipsi humaniores fierent, et liberos suos rursus ad humanitatem informarent. Sed quum illo, quo viuebat, tempore partim rariores essent scholae publicae, partim minus bene quam res humana et Christiana postularet institutae, ante omnia hoc sibi agendum putauit, ut eos, qui ciuitatibus praeessent, ad instituendas scholas publicas grauiter cohortaretur. Quod quidem quam prospero successu fecerit, res est satis nota, quibus autem argumentis usus primoribus ciuitatum de necessitate scholarum vel condendarum vel melius instituendarum persuaserit, paulo post ita ostendere animus est, ut ex aureo illo libello, quem eam in rem composuit[5]), potissima excerpam. Ipse enim, quae summa in eo erat ingenii perspicacitas atque solertia, quum plures scholas, Mansfeldensem, Magdeburgensem,

rici von Seelen Oratio de Luthero de scholis optime merito, Flensburgi 1716. 4. *Chr. Frid. Wilischii* progr. de Luthero reformatore rei scholasticae, Altenb. 1717. 4. *Frid. Andreae Hallbaueri* Lutherus politioris literaturae cultor et aestimator, Ienae 1717. Eiusdemque Ecclesia Lutherana, politioris literaturae patrona, Jen. 1718. *Chr. Kretschmanni* disquisitio de fauore Megalandri D. Mart. Lutheri in Scholas literasque P. I. Fridericortii 1763. 4. Etiam *Birgerus Thorlacius*, si recte memini, Dissertationem edidit de meritis Lutheri in scholas. Alios passim infra laudandi erit occasio.

5) Quilibet harum rerum gnarus ipse perspiciet, intelligendum esse eum *Lutheri* libellum, qui inscribitur *An die Rathsherren aller Städte Deutsches Landes, daſs sie Christliche Schulen aufrichten und halten sollen*, et primum editus est Viteberg. 1524. 4. deinde saepius tam separatim, quam in operibus coniunctim publicatis, ut in Halensi operum collectione, quam *Joh. Georg. Walchius* curauit, Vol. X. p. 532—567. qua quidem et ego usus sum. Idem libellus Latine conuersus prodiit Hagenoae 1524. cum Praefatione *Phil. Melanchthonis*. Neque vero per hunc solum libellum de omni re scholastica bene mereri Lutherus studuit, sed etiam per alias occasiones, ut in Epistola ad Iohannem, Electorem Saxoniae, Vol. XXI. p. 156.

Isenacensem [6]), deinceps frequentasset, expertus nouerat, quam multa iis adhuc deessent, quo minus magna illa, quae praestare et possent et deberent, commoda vere praestarent [7]), expertus item sciebat, meliora se didicisse Erfordiae, ubi artibus humanitatis operam dabat [8]), ac deinde in monasterio Augustinianorum, quod ibidem erat, venerando Staupitio doctore et suasore et amico usus. [9]) Discrimen igitur inter scholas bonas et malas probe perspectum habens, per totam suam vitam nihil melius agi posse arbitratus est, quam ut scholarum et numerus augeretur, et ratio corrigeretur. Et primo quidem in libello paulo ante laudato ostendit, omnia niti debere libris sacris, quippe qui soli viam ad homines recte educandos atque instituendos certissimam breuissimamque monstrarent. Non Turcos, non bella, non inundationes, quas homines magnopere fugerent et formidarent, timendas esse, sed eos, qui teneros animos non meliori rerum cognitione mature imbuerent, verum potius ut optimarum rerum ignorantes essent curarent, grauiter declarauit. [10]) Miratus est, ciuitates non parcere sumtibus

6) Vid. *Joh. Mich. Heusingeri* Dissertat. de schola Isenacensi Lutheri magistra, Isenaci 1748. 4. et *Chr. Koehleri* Martin Luthers jugendliche Bildung in Eisenach, ibid. 1795. 4.

7) Vid. quae dixit in *Predigt, daſs man Kinder zur Schulen halten soll*, Vol. X. p. 481.

8) Vid. *Georg. Henr. Goetzii* de Praeceptoribus Lutheri Commentatio, Lubec. 1718. 4. et *Henr. Wolfg. Fratzscher* de Academia Erfordiensi de Luthero optime merita, Coburgi 1754. 4.

9) Vid. *Ge. Henr. Goetzii* Commentat. de Iohanne Staupitio, Lubec. 1715. 4. et *Joh. Henr. Stussii* Progr. de Iohannis Staupitii meritis in religionem euangelicam, Gothae 1732. 4.

10) Vol. X. p. 536. sq. *Man fürchtet sich für Türken, und Kriegen, und Wassern; denn da verstehet man, was Schaden und Frommen sey; aber was hie der Teufel im Sinn hat (daſs die Kinder schlecht oder gar nicht unterrichtet werden sollen), siehet niemand, fürchtet auch niemand, gehet stille herein. So doch hie billig wäre, daſs, wo man einen Gülden gäbe, wider die Türken zu streiten, wenn sie uns gleich auf dem Halse lägen, hie* 100 *Gülden gegeben würden, ob man gleich nur einen Knaben könnte damit auferziehen, daſs ein rechter Christenmann würde.* etc.

in arma et aggeres et vias impendendis, parcere vero pecuniae qua ad scholas bene constituendas opus esset.[11]) Dixit se multo malle, ut nullus puer unquam aliquid disceret, immo ut omnes muti essent, quam ut scholarum quae tum erant vitia non tollerentur vel corrigerentur. Aetate prouectiores et parentes ideo viuere ait, ut pueros recte educarent ac docerent, qui vero id negligerent, ipsis brutis animalibus inferiores esse ac deteriores, utpote quae pullis educandis et quae par esset docendis egregie intenta essent, neque ullum peccatum tantis poenis dignum a Deo censeri, quantis puerorum omninoque liberorum neglectionem.[12]) Quum vero sciret, parentes solos, etiamsi quam maxime cuperent, bona institutionis impertire liberis non posse, nisi essent scholae quibus eos tradere recte liceret, conuertit se ad senatores et ciuitatum praefectos, hosque monuit, salutem ac robur ciuitatis non eo tantum augeri atque adiuuari, ut magnae diuitiae colligerentur, ut urbs muris bene munita esset, ut pulchris aedificiis armisue instrueretur, sed potius eo, ut magna esset ciuium humanorum et doctorum et bene moratorum copia, qui omnibus opibus recte uti possent et parta tueri. Laudauit hactenus Romanos veteres, quod pueros suos ita educandos curassent, ut quindecim vel duodeuiginti vigintiue annos nati Latine et Graece essent praeclare docti, variasque artes liberales accurate nossent, tumque statim rempublicam capesserent aut militatum exirent. Eam ob causam res omnes iis egregie successisse, quod abundassent viris ad varias res bene gerendas idoneis.[13]) Ne autem de-

11) Vol. X. p. 537. *Liebe Herren, mufs man jährlich so viel wenden an Büchsen, Wege, Stege, Dämme, und dergleichen unzählliche Stücke mehr, damit eine Stadt zeitlichen Friede und Gemach habe; warum sollte man nicht vielmehr doch auch so viel wenden an die dürftige arme Jugend, dafs man einen geschickten Mann oder zweene hielte zu Schulmeistern.*

12) Conf. Vol. X. p. 491.

13) Vol. X. p. 543. *Wie hat die Stadt Rom gethan, die ihre Knaben also liefs ziehen, dafs sie inwendig funfzehen, achtzehen, zwanzig Jahren aufs ausbündigste konnten Lateinisch und Griechisch, und*

essent postea quoque, qui utilia pueros docerent, mature rem agendam esse, dum adhuc suppeteret aliqua copia eorum, qui scholis possent praefici. Quum enim paucis modo, quibus non esset res angusta domi, peculiares liberis suis educandis erudiendisque magistros ac paedagogos alere liceret, ita ut multa bona ingenia negligerentur, unice eorum, qui rebus publicis praeessent, hoc esse officium, ut tam scholas aperirent nouas, quam antiquas melius instituerent, eamque in rem doctores idoneos et vocarent et sufficienter sustentarent. Iam quum reperiri sciret, qui scholis quidem opus esse concederent, verum linguarum veterum, Latinae, Graecae et Hebraicae, liberaliumque artium notitiam nihil prodesse dicerent, sed Germanice tradi posse doctrinam diuinam, et lingua patria legi posse libros sacros, eorum opinionem grauissime refutauit, artes quidem et linguas non modo nihil nocere, sed ad libros diuinos recte intelligendos et ad bene gerendam rem publicam multum conferre docens [14]), earumque contemtores perquam inepte agere ostendens, quum merces exteras, quibus re-

allerley freye Künste, darnach alsbald in den Krieg und Regiment. Da wurden witzige, vernünftige und trefliche Leute aus, mit allerley Kunst und Erfahrung geschickt, dafs, wenn man jetzt alle Bischöffe und alle Pfaffen und Mönche in Deutschen Landen auf einen Haufen schmelzete, sollte man nicht so viel finden, als man da wohl in einem Römischen Kriegsknechte fand. Darum ging auch ihr Ding von statten: da fand man Leute, die zu allerley tüchtig und geschickt waren.

14) Vol. X. p. 545. *Ja, ich weifs, leider, wohl, dafs wir Deutschen müssen immer Bestien und tolle Thiere seyn und bleiben; wie uns denn die umliegende Länder nennen, und wir auch wohl verdienen. Mich wundert aber, warum wir nicht auch einmal sagen: Was sollen uns Seiden, Wein, Würze, und der Fremden ausländische Waaren, so wir doch selbst Wein, Korn, Wolle, Flachs, Holz und Steine in Deutschen Landen nicht allein die Fülle haben zur Nahrung, sondern auch die Kühr und Wahl zu Ehren und Schmuck? Die Künste und Sprachen, die uns ohne Schaden, ja grösserer Schmuck, Nutz, Ehre und Frommen sind, beide zur heiligen Schrift zu verstehen, und weltlich Regiment zu führen, wollen wir verachten: und der ausländischen Waaren, die uns weder noth*

cte careremus, ad inania ornamenta anxie conquirerent. Non nisi per linguas doctrinam euangelicam propagatam auctamque fuisse, per easdem esse seruandam, ac Deum ideo Turcis Graeciam dedisse, ut Graeci expulsi atque dispersi linguam Graecam ubique spargerent, et sic deinde homines ad discendas alias linguas progrederentur.[15]) Linguas esse vaginam, in qua reconditus esset gladius Spiritus sancti, hoc est, doctrina diuina, esse arcam quae contineret pretiosum illud κειμήλιον, esse vas hunc potum capiens, canistrum denique in quo hic cibus esset repositus. Neglectis linguis nos et euangelium esse perdituros, et eo tandem deuenturos, ut neque Latine neque Germanice loqui recte aut scribere possemus. Ipsa experientia et historia satis hoc declarari. Nam simulac linguarum accurata cognitio desiisset, totam religionem Christianam paulatim corruptam et pollutam fuisse, linguarum vero luce rursus fulgente talem lucem exortam esse, ut quilibet miretur necesse sit et fateatur, iam euangelium multo purius tradi quam Hieronymi vel Augustini aetate. Hunc enim et Hilarium, omninoque omnes patres ecclesiasticos, qui idonea et accurata linguarum scientia destituti literas sacras interpretari ausi essent, saepe turpiter errasse, quumque ex falsis interpretatiunculis argumenta alicuius dogmatis deduxissent, saepe ansam dedisse dubitandi de veritate religionis Christianae uniuersae, eamque irridendi et cauillandi. Sic Hieronymum, cum Iudaeis e Psalmis de veritate religionis Christianae disputantem, quum intel-

noch nütze sind, darzu uns schinden bis auf den Grad, der wollen wir nicht zu gerathen. Heissen das nicht billig Deutsche Narren und Bestien? Similia dixit Vol. X. p. 482. 485. 486.

15) Copiosius hoc demonstrarunt *Humphred. Hodius* de Graecis illustribus linguae Graecae literarumque humaniorum instauratoribus, Lond. 1742. 8. *Christian. Fried. Börnerus* de doctis hominibus Graecis, literarum Graecarum in Italiâ instauratoribus, Lips. 1750. 8. *Arnold. Hermann. Ludov. Heeren* Geschichte des Studiums der classischen Literatur seit dem Wiederaufleben der Wissenschaften, Gotting. 1797. et 1801. 8. 2 voll.

lexisset, ab iis derideri Christianos, quod non sic in Hebraico librorum diuinorum corpore legeretur, ut ipse aliique ecclesiae Christianae doctores contenderent, coactum fuisse denuo Psalterium ex Hebraica lingua interpretari. Et Bernhardum, magni ingenii virum, saepissime in explicandis librorum sacrorum locis lusisse et a vera sententia aberrasse, ita ut aduersarii dixerint, obscuros esse libros diuinos.[16]) Quod postea multi sapientem hanc rationem, quam Lutherus commendauit, male deseruerunt, verisimiliter quia laboris molestiam fugiebant,[17]) id quidem Luthero ipsi tribui non potest. Neque vero is docuit, solis theologis necessariam esse linguarum artiumque liberalium scientiam, sed etiam iis, qui aliquando curare vellent rei publicae salutem, ciuesque recte regere et in officio continere. His enim cognoscendam esse historiam, ut totius orbis terrarum inde ab initio mores et consilia, incrementa ac decrementa, cum eorum causis, tanquam in speculo perspiciant, atque inde sua consilia capiant, quidque agendum fugiendumue sit videant, aliisque recte consulere discant. Haec autem ut disci possint, bonas scholas esse instituendas, ac meliorem methodum introducendam, eamque in rem non multos omnis generis libros, quum malos tum bonos, promiscue colligendos, legendos, explicandos, sed optimos et selectos.

His aliisque argumentis, non sane leuibus, vir egregius in uno illo quem supra[18]) laudaui libello usus, efficere studuit, ut ubique per Germaniam scholae publicae vel conderentur, vel melius instituerentur. Quod quam necessarium fuerit, ex historia literarum conditionis, qualis fuit ante Lutheri aetatem, facile a quolibet

16) Conf. *Eliae Weyhenmayeri* Oratio de Luthero Philologo sacro, et de scholis linguarum sacrarum introductione emendatis, Ulmae 1717.

17) Multa egregie hanc in rem disputauit *Joh. Gothofredus Eichhornius* in Geschichte der Literatur von ihrem Anfang bis auf die neuesten Zeiten, Vol. III. P. I. Gotting. 1810. 8. p. 267. sqq.

18) not. 5.

intelligitur, quin etiam caeco apparet. Quapropter miseram illam literarum faciem uberius describere et fusius, alienum est ab hoc loco. Sed exempli loco afferenda putaui, quae *Georgius Dethardingius* [19]) de neglecto linguae Graecae et Latinae studio exposuit: „Non Graeca „amplius vocabula morbos designabant, sed in cathedris „resonabant voces *Alharab*, *Alarbitin*, *Alconaci*, *Alue-„fax*, *Thoos*, *Alsahatrab*, *Zurbaia*, *Almaiach*, aliaeue his „similes voces, sonitu horrido ipsis aegritudinibus peio-„res. — Cholera iam *colera*, hydrops *ydrapisis*, anasar-„ca *yposarta*, plethora *plectoria*, prognosis *prognostica-„tio*, epilepsia *epilentia*, spasmus *spasmatio*, diarrhoea „*diarricus fluxus*, hectica *ethica*, ephemera *effimera*, „ut plura sileam. — Vocibus *grossitiei*, *citrinitatis*, *pro-„fundationis*, *vexabilitatis*, verbis item *epitimare*, *reci-„dare*, *rusticare*, *statuminare*, aliisque obtunderem au-„res.“ Quae huius generis plura idem vir doctus collegit, exscribere me quoque taedet. Monendum potius videtur, ne nimiis laudibus unum Lutherum extollentes iniuste deprimamus alios viros aeque doctos, vel etiam doctiores, aut sua laude eos gloriaque fraudemus. Sicut enim certum est, et ex uniuersa Lutheri vita manifestum, non nisi Deo adiuuante eum fecisse quae fecit,*) ita nec negari potest, *Erasmum* quoque multis libris elegantissime doctissimeque scriptis, et inscitiam monachorum salsis dicteriis perstringendo, grauissime barbariem impugnasse, bonasque literas egregie adiuuisse. [20]) Ta-

19) in Oratione de meritis Lutheri in artem medicam, Rostochii 1717. habita, quae inserta legitur *Ernesti Salomonis Cypriani* Hilariorum Euangelicorum, Gothae 1719. fol. editorum, Parti secundae p. 91—100.

*) Quo referenda sunt, quae *Joach. Camerarius* in Vita Melanchthonis p. 241. contra eos disputauit, qui Lutherum supra conditionem et modum generis humani non dubitarent extollere.

20) Vid. *Sam. Knight* Leben Erasmi von Rotterdam, aus dem Englischen ins Deutsche übersetzt von *Theodoro Arnold*, Lips. 1736. 8. et *Burigny* Leben des Desiderius Erasmus von Rotterdam. Aus dem Französischen, mit Berichtigungen und Zusätzen von *Heinr. Phil. Conr. Henke*, Halae 1772. 8.

ceo *Johannis Reuchlini*, siue *Capnionis*[21]), et *Philippi Melanchthonis*[22]), qui recte communis Germaniae praeceptor cognominatus fuit, multa et magna in literas elegantiores merita.

Admonitionibus et exhortationibus supra allatis non contentus Lutherus, egit etiam alia, quibus meliorem puerorum educationem atque institutionem vel praepararet vel perficeret. Primo enim ut vulgo quoque de necessitate et utilitate scholarum, quibus etiam pauperiorum et infimae sortis hominum liberi ad humanitatem informarentur et rectiora de religione Christiana docerentur, certissime persuaderet, omnem dedit operam. Quo quidem consilio non tantum oratione, quam pro concione sacra habuit[23]), fere eadem praecepta quae supra enumeraui tradidit, eademque consilia dedit, sed etiam aliis orationibus sacris, graui eloquentia[24]) habitis, ad expolienda rudia inferiorum ordinum ingenia et ad spargenda melioris pueros educandi docendique rationis praecepta plurimum contulit, omninoque de omni re paedagogica praeclare meruit[25]), quippe passim docens,

21) Vid. *Christoph. Meiners* Lebensbeschreibungen berühmter Männer aus den Zeiten der Wiederherstellung der Wissenschaften, T. I. Turici 1795. 8. p. 44. sqq.

22) Ita enim, *Melanchthon*, non *Melanthon*, viri egregii nomen scribendum esse partim origo eius aperte declarat, partim discimus e *Joach. Camerarii* de Philippi Melanchthonis ortu, totius vitae curriculo et morte narratione pag. 9. et 10. in ea saltem, qua usus sum, editione, Lipsiae 1696. 8. emissa. Ipse ut nomen suum *Melanthon* scriberet, euphoniae studio adductus videtur.

23) *Predigt, daſs man die Kinder zur Schulen halten soll*, primum edita Viteb. 1530. 4. atque inde in Operum Vol. X. p. 480—533.

24) Vid. *Joh. Henr. Stussii* Oratio de eloquentia Lutheri, Helmstad. 1711. 4. et *Justi Christoph. Boehmeri* Programma de eloquentia Lutheri, ibidem eodem anno editum.

25) Locis e *Lutheri* Operum collectione hanc in rem laudandis recte supersedere posse mihi videor. Pleraque enim eius praecepta ad hoc argumentum spectantia dudum collegit *Frider. Gedike* libro ita inscripto: *Luthers Pädagogik, oder Gedanken über Erziehung und Schulwesen, aus Luthers Schriften gesammelt*, Berolini 1792. 8.

quomodo in educandis liberis versandum esset, verbi causa, non nimia seueritate et austeritate esse in eos saeuiendum, sensum boni et recti mature in iis excitandum et summa cura alendum, omnium minime mendacia eorum toleranda atque ignoscenda, conuersari eos debere cum sui similibus, sed bonis, ut libere nullaque re impediti vires suas, tam animi quam corporis, ipsi cognoscerent ac sentirent, has vires iuste exercendas esse, ipsos perspicue et ratione ipsorum ingeniis accommodata erudiendos, mature linguam primo vernaculam, deinde etiam eas, quae futuris viris doctis necessariae utilesque essent, docendos. Recte tamen monuit, non omnibus quidem opus esse magna eruditione et exquisita, Latine vero scire oportere etiam vulgares concionatores, qui populariter plebi rudi et indoctae tradere lingua patria deberent doctrinam Christianam, et magnam esse bonorum librorum copiam, e quibus id cognosci atque disci posset multo quam olim facilius[26]).

Inprimis autem commemorandum arbitror, quod utrumque suum Catechismum composuit[27]), et in multorum indoctorum hominum utilitatem edidit, quodque emendandae linguae Germanicae ita studuit, ut ea, qua usus est, dicendi scribendique ratio, si comparetur cum ea, quae in antiquioribus libris Germanice scriptis reperitur, vere classica haberi recte possit. Quemadmodum enim utroque illo Catechismo multis minus doctis, qui tamen alios docere deberent, rectiorem et breuiorem viam, qua docendum discendumque esset, commonstrauit, et multa praecepta utilissima, lingua patria et populari et ad intelligendum facillima, sed graui et animos feriente, vulgauit, omni-

Idem nuper facere instituit *Christian. Ern. Aug. Gröbelius* Programmate quod inscripsit: *D. Mart. Luthers Gedanken über Schulen und Schulwesen, aus seinen Schriften gesammelt*, et cuius Pars I. edita est Dresdae 1817. 8.

26) Vid. Vol. X. p. 501. et 502.

27) De Catechismis *Lutheri* eorumque praestantia multos scriptores laudauit *Joh. Alb. Fabricius* in Centifolii Lutherani Part. I. Hamburgi edita 1728. 8. p. 282. sqq. et Part. II. quae ibidem 1730. prodiit, p. 742. sqq.

busque ad veri cognitionem aditum patefecit: ita quantum tam versione et interpretatione Bibliorum Germanica, quam paene innumeris libris lingua patria editis, ad emendandam docendi rationem non minus quam ad errores aliorum cognoscendos et refellendos, superstitionem autem veluti de solio depellendam ac deturbandam, contulerit atque profuerit, neminem esse puto qui nesciat, paucos qui negent.

Et ex iis quidem, quae modo dixi, Lutherum inprimis scholis minoribus, maxime Saxonicis, magna animi contentione et variis modis, sed optime, consuluisse satis apparet. Verum nec scholas maiores et academias ab eo neglectas fuisse, aeque perspicuum ea facient, quae nunc dicenda existimo. Nimirum quum intellexisset, quanta tum esset paene cuiuslibet literarum uniuersitatis labes ac ruina[28]), quumque ipse huic malo mederi satis non posset, monuit saltem Melanchthonem, ut quantum liceret efficeret. Atque hunc omnem operam in erudiendos fingendosque eos, qui aliquando futuri essent doctores, sedulo impendisse notissimum est. Sed nec ipse cessauit, aut quod poterat facere omisit. Certe si nihil nisi nobilissimam *de Interpretatione* Epistolam[29]) scripsisset, magna eius in omnes librorum diuinorum interpretes merita fuisse nemo facile negare auderet. Sunt ibi ea, quorum nec *Hugonem Grotium*, aut

28) Vol. X. p. 533. *Ists nicht vor Augen, daſs man jetzt einen Knaben kann in dreyen Jahren zurichten, daſs er in seinem funfzehenten oder achtzehenten Jahre mehr kann, denn bisher alle Hohe Schulen und Klöster gekonnt haben? Ja, was hat man gelernet in Hohen Schulen und Klöstern bisher, denn nur Esel, Klötze und Blöche werden? Zwanzig, vierzig Jahr hat einer gelernet, und hat weder Lateinisch noch Deutsch gewuſst. Ich schweige das schändliche, lästerliche Leben, darinnen die edle Jugend so jämmerlich verderbet ist.* Multo plura in hanc sententiam disputat Vol. XVIII. p. 1834. sqq. sed etiam aliis locis permultis, ut Vol. VI. p. 2553. Vol. XII. p. 353. sq. Vol. XXII. p. 2230. sq. Vol. X. p. 378. sqq.

29) *Martin Luthers* Sendschreiben vom Dolmetschen primum prodiit 1530. 4. et legitur in Halensi Operum eius Collectione Vol. XXI. p. 310—327.

Johannem Vorstium, aliosue qui de usu loquendi Hebraico etiam in libris Noui Testamenti conspicuo scripserunt, ullo modo pudeat. Neque satis habuit recte praecepisse, sed etiam, qua ratione utendum esset his praeceptis, ipse suo exemplo, partim versione librorum sacrorum et in eos commentariis, partim iis Operum suorum locis, quibus illam versionem contra aduersarios defendit[30]), luculenter docuisse reperitur. Quin etiam, quod vix exspectes, puncta Hebraeorum vocalia recens Rabbinorum inuentum et seriori tempore addita fuisse vidit, neque accentuum rationem habendam esse iudicauit[31]). Ac de his quidem in Philologiam meritis neminem dubitaturum esse, mihi persuasum habeo. De Philosophia vero Lutherum neque satis recte iudicasse, neque bene esse meritum, facile quis induci potest ut credat. Quanquam enim ille, quum primum Vitebergam vocatus esset, ut in Academia nuper condita munus doctoris publici susciperet, commendante Staupitio Dialecticam et Ethicam docere iussus erat, tamen neque id sibi placere professus est[32]), et multa in libris suis scripsit, quae omnem philosophiam docere videantur contemnendam esse nihilique faciendam[33]). Sed hanc eius

30) ut Vol. III. p. 2780 — 2787. Vol. IV. p. 170 — 185. Vol. XIV. p. 19. sq. quae qui legerit, profecto admirabitur egregiam ac diligentem curam et circumspectionem, qua in versione Bibliorum usus est, etiam aliunde notam, ut ex *Joh. Mathesii* Concione XIII. de vita Lutheri. Conf. *Nicol. Panecii* Dissertat. de B. Luthero optimo interprete, Viteb. 1695. 4.

31) Vid. *Lutheri* Commentar. ad Genes. XLVII. 31. et XXXVI. 30. item Glossa marginalis ad Genes. XXII. 14. Conf. laudati *Panecii* Dissertatio de necessitate accentuationis Hebraicae, Viteb. 1695. 4.

32) ut in Epistola ad Ioh. Braunium, Vol. XXI. Opp. p. 517.

33) Sic Vol. XVIII. p. 6. postquam plura contra *Aristotelis* philosophiam dixit, addit haec: *so daſs, wenn Aristoteles nicht Fleisch gewesen wäre, ich mich nicht scheuen wollte, ihn einen Teufel zu nennen.* Alia quae ad impugnandum Aristotelem scripsit, leguntur ibidem pag. 10. sqq. Vol. XV. p. 103. et pluribus locis. Multa talia collegit *Joh. Hermann. ab Elswich* in Schediasmate de varia Aristotelis in scholis Protestantium fortuna, praemisso nouae editioni

reprehensionem ad solam philosophiam scholasticam pertinere, haustam illam quidem ex *Aristotele*, raro autem recte intellectam, qua etiam theologia infecta tum et corrupta erat, partim res ipsa declarat, partim alii viri docti demonstrarunt [34]). Nam ut omnino bonas literas, ita philosophiam quoque sanam et rectam plurimi aestimauit [35]), ineptas vero Scholasticorum argutias et insanam philosophiae Aristotelicae admirationem grauiter damnauit, et omnibus modis impugnauit, atque e scholis eliminare studuit [36]). Quod quidem cum recte fecisse, quilibet largietur sponte, qui ex illorum temporum historia didicerit, fuisse adeo homines, qui, neglectis libris diuinis, placita *Aristotelis* pro concione sacra explicarent [37]).

Nolo enumerare, qui de singulis disciplinis ita disputarunt, ut eas plurimum Luthero debere ostendere conarentur [38]). Non vero praetermittenda, sed praecipue commemoranda videtur *Johannis Sartorii* oratio, qua Lutherum, fugientium literarum statorem, proponit [39]). Hic enim quum permulta de literis Graecis et Latinis, quas nos in scholis publicis fouere atque tueri

libri ab *Joh. Launoio* de varia Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna compositi, Viteb. 1720. 8. p. 18. sqq.

34) Praeter eundem *ab Elswich* p. 34. sqq. huc pertinent *Joh. Ludov. Hauenreuteri* Theses miscellaneae de iudicio B. Lutheri de scriptis *Aristotelis*, Argentorati 1617. *Joh. Jac. Syrbii* Diss. de Lutheri philosophia eclectica, Jen. 1718.

35) Vid. Vol. X. p. 379. sqq. Vol. XXII. p. 2206. 2242. sq.

36) Vide quae laudatus *ab Elswich* p. 35. sq. ex ipsius *Lutheri* Epistolis attulit. Conf. huius Opp. Vol. XVIII. p. 1834. sqq. et p. 1838.

37) Vid. *ab Elswich* l. l. pag. 33. et *von Seelen* in Oratione supra not. 4. laudata p. 45.

38) ut *Joh. Sam. Heringius* Oratione Stettini 1717. habita et Parti II. Hilarium Euangelicorum a *Cypriano* inserta p. 110 — 113. qua ostendere conatur, quantum iurisprudentia ecclesiastica B. Luthero eiusque Reformationi debeat. *Sebastian. Edzardus* Dissertatione, quantum Reformatio Lutheri profuerit Logicae, Hamb. 1717. 4. De *Dethardingio* vid. supra not. 19.

39) Extat ea in Hilariis Euangelicis modo laudatis p. 119 — 123. Partis II.

quam maxime debemus, per Lutheri doctrinam restitui et instaurari coeptis, bene disputauerit, mihi otium fecit. Illam igitur orationem iis, qui plura de hoc argumento legere cupiunt, commendare, quam exscribere eam, aut similia aliis verbis dicere, malo.

V.

VARIETAS LECTIONIS
IN XENOPHONTE
E
CODICIBUS AUGUSTANIS
COLLATIS CUM
THIEMII EDITIONE.

HIERO inscribitur in Codice: *Ξενοφῶντος ῥήτορος Ἱέρων ἢ τυραννικός.*

1, 3. *ὑπέμνησάς με*
1, 5. *ὁτὲ δ' αὖ — ὁτὲ*
διὰ ante *τοῦ σώματος* deest
1, 8. *μείω πολὺ εὐφραίνονται*
1, 9. *πῶς ἂν πολὺ*
1, 10. *γὰρ δοκῶ καὶ σὲ*
1, 11. *ἀλλὰ μέν γε*
ἃς βούλονται
ἔνθα τὰ ἀξιοθέατα
συναγείρεσθαι
1, 12. *φοβερὸν γὰρ ἅμα στερηθῶσι*
1, 14. verba *τοῦ δ' αὖ — ἀνήκοοί ἐστε* desunt
1, 15. *ἔφη* post *τί οἴει* deest
ὅταν εἰδῇ τίς
verba *οὗτοι πάντες* desunt

1, 18. παρεσκευασμένα
1, 19. ἔφη ἐκεῖνος
πλείω τίς παράθηται τῶν ἰκ.
μειονεκτεῖς παρατιθέμενος
1, 20. ναὶ μὰ τὸν Δί'
προσίεται
1, 21. οὔκουν
ἦ οὖν ὁρᾷς
1, 23. ἄλλο τί οὖν
ἔφη ὁ Σιμωνίδης. Sed supra scriptum est Ἱέρων
τρυφῆς ψυχῆς
1, 25. χαρᾶς πιμπλάμενος
1, 27. καὶ παρέχει
1, 28. ἂν μὲν ξένην
μεγίστων φρονουσῶν. Sed in margine μέγιστον καὶ εὐφραινουσῶν
ὑπὸ δούλων
ἐλλίπωσι
1, 30. πιεῖν ἀπολαύοι
1, 33. ἐγὼ γὰρ ἐρῶ
ἐμαυτόν τι κακὸν ποιεῖν
1, 34. ἥδιστον deest
1, 35. καὶ αἱ ἔριδες
1, 36. οὗ ἐὰν ἐρᾷ τίς
1, 38. ἐξεικάζουσιν αὐτοὺς
2, 1. πρὸς ταῦτα δὲ εἶπεν
ἔφη ante ἔγωγε deest
verba καὶ ποτῶν desunt
2, 4. ἐν τοῖς ἀνθρώποις
2, 9. καὶ ante στρατεύωνται deest
2, 10. καὶ ante ἄλλοι deest
κρείσσονες
τύχωσιν deest
καθιστάναι
2, 11. θαρσήσειε
2, 12. χαλεπὰ σὺν ταῖς πόλεσι
2, 15. post πολεμίους recte addita sunt verba

ὅσην δ' ἐν τῷ διώκειν, quae *Bachius* perperam omisit

2, 16. τὸ πολὺ νικᾷν

3, 1. φιλίας δὲ καταθέασαι

3, 2. ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἀγαθοῖς

3, 3. καὶ ante ἥδιστον deest

νηποινὶ

3, 4. γε post ὅταν deest

3, 8. ἀπεκτονηκότας πολλῶν

παίδων αὐτοὺς ἀπολωλότας

καὶ ante ὑπὸ γυναικῶν deest

ὑπὸ ἑτέρων

φίλων deest

3, 9. καὶ νόμων

οἴεσθαι χρῆναι αὐτοὺς

4, 1. ἂν ante ἀνδρὶ deest

4, 2. ἀπάρχεσθαι τοῖς κυρίοις

4, 5. τὸν ἀποκτείναντα τὸν τύραννον

4, 6. ἥγηται αὐτῷ

4, 7. τι post θᾶττον deest

πόλεως. Sed in margine πόλεων

4, 8. ὑπὲρ τὰς χρήσεις

4, 9. εἰς τὰς ψυχὰς φυκὰς

4, 10. οἰκτείρει τίς ὡς

δικαίως καλοῖ

4, 11. ἀδίκως ἱερὰ

5, 1. γε post κοσμίους deest

τολμήσωσι, ut Thiem.

μηχανήσωνται, ut Thiem.

5, 4. ἔστι δὲ φιλόπολιν

ξένους δεινοτέρους

5, 5. συγχωρεῖ

6, 2. τε post ᾠδαῖς deest

6, 3. δ' αὐτοὺς τοῦ ἡδέως

6, 4. ἀνόπλους ἔχειν ἐθέλειν

περὶ αὐτὸν

6, 5. ξένοις μὲν μᾶλλον

βαρβάροις τε, ut Thiem.

ὑπὸ φόβων τε καταπεπλ.
6, 6. αὐτοὺς ἐνὼν
6, 8. τοιαῦτά ἐστι
6, 12. ὃ δ' ζηλώσας
6, 13. παρὰ τυράννου
οὐδὲν ἑαυτοῦ
6, 14. δεσμεύειν οἷόν τε ᾖ. τίνων
6, 15. verba καὶ τοῦτο desunt
6, 17. καὶ τἆλλά γε
7, 2. καὶ ἄλλόν τινα
7, 3. ἐμφυῇ τιμῆς τὲ
μόνον ante νομιζόμενοι deest
7, 6. τὰ ἀφροδίσια τὰ βίαια, ut Thiem. Bach. τὰ ἀφρ. omisit
παρὰ τῶν φοβουμένων
7, 9. ὅταν γὰρ ἄνθρωποι
οἱ αὐτοὶ οὗτοι, ut Thiem. Sed Bach. οὗτοι omisit
τιμᾷν τὲ
7, 11. οὐδεὶς ante πώποτε deest
ὥσπερ ἂν ἅπαξ
7, 12. ἐν ταύτῃ
γὰρ ἄν τίς ποτε
7, 13. τοῦτο ante λυσιτελοῦν deest
8, 5. διαλεγόμενοι ὅτε
8, 6. ἂν ante αἶσχος deest
τυγχάνῃ
8, 10. τυράννοις ἰσοτίμους
9, 1. πάλιν ὁ Σιμωνίδης εἶπεν
9, 2. αὕτη μὲν ἡ ἐπιμέλεια
τί ποιοῦντα λοιδορεῖν τὲ
ἀνάγκῃ deest
9, 3. ἆθλα διδόναι, δι' αὑτοῦ
9, 4. ἐνδεῶς τί ποιοῦσιν
9, 5. τἆλλα τὰ κωλυτικὰ
9, 6. εὐοπλείας
9, 7. ὁρμῷντό γε θᾶττον
9, 10. τὸ σκοπεῖν τί

καὶ ἐπιμελεῖσθαι
9, 11. καὶ γυμνικοῖς, quae verba Bach. omisit
10, 1. ἔχεις τί εἰπεῖν
10, 2. ἔκπλεα
ὑβριστοτέροις, ut Thiem.
10, 4. καὶ ὅταν εἰδεῖεν
10, 5. πολίταις τῶν ἰδιωτῶν
10, 6. κωλῦσαι
στρατιᾷ
11, 2. παραστᾶσι
11, 4. δοκεῖς
11, 7. verba πρὸς ἄλλους desunt
ἔσῃ νικῶν

OECONOMICI PARTICULA

4, 4. τῶν Περσῶν
4, 5. sq. verba ὁ Κριτόβουλος usque ad verba βασιλεὺς δὲ a codice absunt
4, 6. verba ἔνθα δὴ — καλεῖται absunt
τοὺς δὲ πόῤῥω ἀποικοῦντας
πιστοὺς καὶ ἀληθεῖς πέμπειν ἐπισκοπεῖν
4, 7. χιλιάρχων καὶ στρατηγῶν καὶ σατραπῶν
ἔκπλεον
οὓς δ' ἂν εὕρῃ
4, 8. καὶ ante ἐνεργὸν deest
τὲ ὧν ἑκάστη
καὶ ante δώροις deest
4, 10. ὀλιγάνθρωπόν τε καὶ ἀργὸν παρέχηται
4, 12. ὁ post ποιεῖ deest, ut in Thiem.
4, 22. prius ταῦτα deest
4, 23. εἰπεῖν post εἶχεν deest
4, 24. ἔφη deest
ἀεὶ ὧν γέ τι
4, 25. ὁ Λύσανδρος deest
verba δεξιώσασθαι — καὶ εἰπεῖν desunt

SYMPOSII PARTICULAE

2, 9. verba ἐν πολλοῖς μὲν desunt
verba καὶ ἄλλοις δῆλον — ποιεῖ ὅτι desunt
οὐδὲν χεῖρον
2, 11. οὐκ ἄπο τοῦ σκοποῦ

Altera particula

2, 23. incipit sic: ἐν συμποσίῳ καθημένων, Φίλιππος ὁ γελωτοποιὸς μετὰ τὸ ὀρχήσασθαι, διψῶ, ἔφη, etc.
2, 25. συμπόσια ταῦτα πάσχειν
2, 26. verba ἵνα καὶ ἐγὼ — ῥήμασιν εἴπω desunt
2, 27. ταῦτα πᾶσιν οὕτως ἔχειν προσέθηκε
οὕτω ἐποίουν
3, 1. αὐτὴ ἡ κρᾶσις

SYMPOSII PARTICULA

EX ALTERO CODICE AUGUSTANO

Index est: Ξενοφῶντος φιλοσόφων συμπόσιον.
1, 1. τῶν ante καλῶν deest
τὰ post ἀλλὰ καὶ deest
1, 2. ἡ ante ἱπποδρομία deest
1, 4. ἱππάρχοις
1, 9. σιωπηρώτεροι
1, 10. σφοδρότεροι εἶναι φαίνονται τοῖς γε τετελεσμένοις
1, 13. κατάκλινον
1, 15. ἀλλ' ἢ ὀδύνη
συνόντες γελῶντες δι' ἐμὲ
σπουδάσας ἂν
οἰκίαν δεῖπνον προσφέρεσθαι
1, 16. ὧδ' ὡς ἤσθετο
2, 1. τις non post ἔρχεται, sed post Συρακόσιος positum est

2, 3. μύρον ἡμῖν τίς ἐνέγκαι
καὶ ἦν ὅτε νύμφαι
ὥσπερ καὶ ἡ Νικηράτου
2, 4. ἐλεύθεροι ἔσεσθαι
2, 5. χρίσμα λάβῃ
2, 6. σκεψάμενος
2, 7. διδακτὸν τοῦτο εἴη
2, 8. δονουμένους
2, 11. οὐκ ἄπο τοῦ σκοποῦ
περίμεστος ὀρθῶν ξιφῶν
verba εἰς οὖν—ὑπὲρ αὐτῶν desunt
2, 12. ἀνδρία
ὁπότε καὶ αὕτη καὶ γυνὴ οὖσα
2, 13. πάντας post ποιήσει deest
2, 15. εἴδετε ἔφη
ἐπι καλλίων
2, 16. Συρακούσιε
2, 17. ἐνταῦθα δ' ἐγέλασαν
ἀπονῶν τῷ σώματι
2, 18. συγγυμναστὴν ζητεῖς
2, 20. κᾂν εἰποῖς
2, 21. ὅταν μέλλεις
2, 22. τὸν παῖδα ἐπήνουν
τὸ σῶμα γυμνάζει
θάττον ἀριθμὸν ἐπάγειν
2, 24. ὁ δ' οὖν Σωκράτης
2, 25. τοσοῦτω πίνῃ
2, 26. in verbis κύλιξι πυκνὰ deficit Codex.

INDICES VERBORUM
DE VOCIBUS ANIMALIUM.

Prior numerus paginam, alter notam indicat.

INDEX
VERBORUM GRAECORUM.

Asteriscus praefixus est iis, quae desunt in Thesauro Stephaniano.

A.

Λ.

M.

O.

Π.

DE

VOCIBUS ANIMALIUM.

INDEX VERBORUM LATINORUM.

G.

H.

I.

L.

M.

INDEX
ADVERBIORUM GRAECORUM
QUIBUS AUGERI POTEST
HENR. STEPHANI THESAURUS.

INDEX

SCRIPTORUM EMENDATORUM.

X 2

Praecipua operarum peccata sunt haec:

Pag.	24.	not.	89.	leg.	437. extr.	pro	457. extr.
					Εὐρυπώδης	—	*Ηὐρυπώδης*
—	59.	—	284.	—	ὀνοματοθεσίας		ὀνομαθησίας.
—	73.	lin.	19.	—	Iapetus	—	Japetus.
					Ionia	—	Jonia.
—	78.	not.	395.	—	ι, p.	—	1, p.
—	84.	lin.	23.	—	Θουκυδίδης	—	Θεοκυδίδης
		not.	414.	—	quod supra	—	supra
—	89.	lin.	2.	—	*τοὖνεκά*	—	*τοῦνεκά*
		—	5.	—	praetereundum		praetereundem
—	92.	not.	459.	—	auctore	—	auct.
		—	460.	—	*Reinesii*	—	*Reiskii*
—	93.	lin.	22.	—	Φίλτατος	—	Φιλτάτως
—	94.	—	29.	—	*Βασιλείδης*	—	*Βασιλίδης*
—		not.	465.	—	*Ζωπυρίων*	—	*Ζωπυρίωυ*
—	105.	lin.	3.	—	sit	—	si
—	111.	not.	539.	—	*Κλείσοφος*	—	*Κλείσοφας.*
					Στρουθίας	—	*Στρουθίος*
—	144.	—	70.	—	*λέξιν*	—	*λέξειν*
—	145.	—	74.	—	voce.	—	voce,
—	150.	—	107.	—	*ἐλάφου*	—	*ἐλάφοῦ*
				—	*Eustath.* ad		*Eustath ad*
				—	διὰ	—	θιὰ
—	156.	—	155.	—	*Aleandri*	—	*Alexandri*
—	165.	—	233.	—	*γρύζουσα*	—	*γρόζουσα*
—	184.	—	420.	—	infra	—	supra
—	186.	—	436.	—	*κέπφον*	—	*κέπθον*
—	235.	lin.	3.	—	*πανοικησίᾳ*	—	*πανοικήσιᾳ*
		—	14.	—	*κρυφῇ*	—	*κρύφῇ*
—	239.	nct.	28.	—	*παμψηφί*	—	*παμψηρί*
		—	31.	—	*πανν̲υχὶ*	—	*πανν̲υχὶ*
—	240.	—	37.	—	*ει*	—	*ης*
—	245.	—	86.	—	*ἀβοηθητὶ*	—	*ἀβοηθετὶ*
—	246.	—	89.	—	*Zonaram*	—	*Zonaras*
—	247.	—	103.	—	prosodia	—	posodia

Pag.	250.	not.	140.	leg.	terminatur	pro	terminantur
—	268.	—	219.	—	*Orphei*	—	*Orohei*
—	270.	lin.	3.	—	κοινῶς	—	κοικῶς
—	271.	—	4.	—	exemplo	—	exempla.
		not.	229.	—	p. 601,	—	p. 601 —